



~~194~~

White ...



A
23
234

M. del Collegio de Granada Comp. de S. de Granada

Da

AVLI

R. 1306

PERSII FLACCI SATYRAE SEX

A

NICODEMO FRISCHLINO Alemanno *auctore damnato*
ex vetustis. Codicis fide PARAPHRASI
opus cum expurgat
periculum, et omnia
damnata illustrata:

VALENTINI *in super*, VOLSCI, ENGENTINI, *et in comia* Crusii
FOQUELINI *Commentarijs explicata.*

*Damnata auctoris
de lenda*

Cum gratia & privilegio S. Cas. Maiest.



*Por amiti on delos
py in quiti drey con
gi esse libro conforma
al expurgatorio del año
de 1632. en Granada
s. de Mayo 1632.
Al. de medrano*

BASILEAE.

AD PERNEAM LECYTHVM
M D XXCII



QVINTILLIANVS LIB.
bro I, Capite XIII.

Versus primò soluere : mox mutatis ver-
bis interpretari, tum Paraphrasi quadam
vertere : quin & breuiare quædam, & exor-
nare, saluo modò poetæ sensu permittitur.
Quod opus etiam consumatis professori-
bus difficile, qui commodè tracta-
uerit, cuiunque dicen-
do sufficiet.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, D. LV-
DOVICO, DVCI VVIRTENBERGEN-
si & Deccensi, Comiti Montis Belgarum, &c.
Domino suo Clementissimo S.
per Christum.

NICODEMVS FRISCHLINVS.

QVID mihi cum satyra: dices mitissime Princeps:
Quæ tantum est mores carpere nata malos?
Illis conueniunt sermonis verba petulci:
Quorum legitimo vita pudore caret.
Num tu virtutem & mores mihi inesse negabis:
Germani quales principis esse decet?
Di nolint isthoc: quis enim temerarius ardor,
Dicere tam celso crimina velle throno?
Scimus nos quantis patrium virtutibus orbem:
Et quanta ciues pace, fideq; regas.
Scimus inoffenso te poplite tangere metam,
Lucida quæ facili ducit ad astra via.
Cur igitur satyras veteris tibi dedico Persi:
Ille quibus mores taxat vbique malos?
Si vacat & desunt nunc ocia nulla legendi:
Propositi causam percipe, quæso, mei.
TEMPORE vitales, quo carpsit Persius auras,
Romulea scelerum mæsis in vrbe fuit.
Omne nefas, fraudesq; , & amor sceleratus habendi,
Nulla in corde fides: nullus in ore pudor.

*Ambitio passim, & regnandi dira cupido:
 Magnarum & luxus depopulator opum.
 Non auro teētisue modus, mensasq; priores
 Aspernata, gula, fæda ministra, fames.
 Patriciæ imprimis vesana superbia gentis,
 Inq; magistratus perfidiosa suos.
 Detestanda Venus, turpesq; libidinis æstus
 Prætulerant dira ciuibus vrbe faces,
 Tunc fas, & census, & testamenta mereri
 Noctibus & pueros prostituisse viris.
 Tunc iustum, vxores præbere venena maritis,
 Pupillo dominum fas sepelire suum.
 Adde quod Hebrææ recutita sacraria gentis
 Necebat patrijs Romula turba focis.
 Herodisq; dies uncta coluisse lucerna
 Fas erat: inq; suas Sabbathæ ferre domos.
 Illa superstitio mentes obsederat omnes;
 Vt superis etiam turpia vota darent:
 Vt thure atq; auro, pecudumq; cruore litarent,
 Iuraq; negligenter, negligenterq; fidem.
 Hos qui tam prauos auderet carpere mores,
 Nemo erat: in vitijs tunc erat omne decus.
 Quid? quòd adulando, gens abiectissima vatum,
 Laudibus ornabat talia monstra suis.
 Namq; pœtastri, modico plebs dedita lucro,
 Gaudebant miris ista referre modis.
 At docti vates, & Phæbo digna locuti:
 Quis odio stolidæ carmina plebis erant:*

Tunc

*Tunc nullo in precio, nulloq; in honore vigebant:
 Nobilium fædo gens odiosa gregi.
 Non tulit hanc speciem generosa mente pœta
 Persius: atq; iræ frena, sed apta, dedit.
 Ille velut mimus procedit: & auspice Phæbo
 Crimina carminibus taxat vbiq; suis.
 Taxat auaritiam, turpesq; cupidinis æstus
 Et misera infelix ambitionis opus.
 Luxuriam taxat, fastumq; , animosq; Quiritum,
 Et generis prisca ridet inane decus.
 Ridet adulantes Satyramordace pœtas:
 In Clario nullum qui grege nomen habent.
 Hunc tibi præstantem, generoso pectore, vatem
 Dedico, Tecciaci fax L. V. D. O. V. I. C. E. soli,
 Dedico, sed lingua nunc liberiore loquentem,
 Quam status infani temporis ille tulit.
 Salve Dux, veteremq; proba, quem trado, pœtam:
 Vt te hostem vitijs talibus esse probes.
 Nam tibi si mores nunquam placuere nefandi,
 Cur meus hic poterit displicuisse liber?
 Quid? quòd consimili mihi cantat Horatius ore,
 Inq; pari Satyrum tramite pangit opus.
 Quòd si forte tuus mea calculus orsa probârit,
 Hunc Flaccum excipiet Flaccus in arte prior.*

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ
 Humilimus cliens.

Nicodemus Frischlinus
 Alemannus.
 Ioan.

Proc. 7. 2. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

6
I. O. A. N. T. H. O. M. A. S. F. R. E. I. G. I. V. S.,
Guilielmo Adolpho Scribonio S.

PHYSICAM tuam, secundum leges methodicas κατὰ τὴν πύξ, καὶ ἀνὰ τὸν καὶ θόλου τῶν in ordinem redactam, proximisque nundinis editam, summa cum voluptate legi. Recte fecisti, quod nugas illas, quibus me in scholasticis tenebris irretitum olim memini, quibusque me beatū & lautum physicum factum putavi, è medio sustulisti, & ex agro physico eiecisti. Quid enim causarum illa, motus, temporis, loci, logica ideoque in physicis heterogenea tractatio? quid vacui & infiniti (quorum nihil in rerum natura est) ματαλογία in physicis facit? Ματὴ itaque ista virtute, Scriboni, & quod cepisti, alacriter perfice. Vnum enim superest, ut que de astris & planetis desunt, plenius exequaris: historiā metallorum, stirpium, animantium vberius ex Agricola, Matthiolo, Gesnero, tanquam rerum physicarum Oceano, in angustum alueum legibus Methodi contrahas, Habes enim præter Logicæ adiumenta, quæ te in arte constituenda non oberrare sinent: magnum quoque ex arte, cui te mancipasti, auxilium. Nam Medicinæ (cuius pars olim habita est physica, quem errorem, ut nosti, Ioubertus clarissimus nostræ ætatis Medicus indicavit et sustulit) te studiosum esse, ex Physica tua intellexi. Sed ut ad eam rem maior tibi animus addatur: utque inter nos arctior familiaritas cōtrahatur: hos in Persium commentarios (quos à P. Perna Typographo acceptos, multis laboribus correxi & transscripti) tibi inscribere constitui. Valentinus præter alia cum reliquis cōmunia, hoc proprium habuit, quod cum Persio Horatium diligentissimè ubique contulit: quem etiam Tiguri suis his commentarijs illustravit. Volscus autem maiorem verborum rationem habuit: licet ex Plinio & historicis pleraque ex poetis etiā fabulas, quæ ad obscura authoris loca illustranda facerent, non segniter conquiesierit. His ego ex parentis mei Nicolai Freigij bibliotheca adieci ea, quæ is à Philippo Eng-
gelbrech-

7
gelbrechto Engertino poeta festiuissimo (qui Freiburgi Brisiacorum poeticam olim docuit) publica acroasi quasi sua fecerat. Adieci etiam Foquelinum, qui (ut Rami discipulum agnoscis) præter Grammaticam, Rhetoricā, Ethicam, Politicam, Historicam, Poesin: etiam Logicam quasi priorum θεικὸν superstruxit: Adeo ut si qua huic laus præ ceteris tribuenda sit, λογικώτερον eum iure optimo dicere queamus. Hoc ergo mei erga te amoris & benevolentiae signum beneuolo animo excipito, meque inter tuos amicos, vel in extrema cera, scribito. Vale. Dat. Altorfij Noricorum. Anno 1578.

IOANNIS MURMELLIJ Ruremondensis in A. Perna
Prologum, & Satyras, Argumenta.

*Commendat, ridens alios, præfatio vatem:
Nobilium prima mores taxantur inepti,
Carpit auaritia mala vota, precesque secunda.
Tertia desidia iuuenum, fastusque lacescit.
In quarta stultus Rex, Censoresque notantur.
Cornutum laudans aperit, penultima seruos.
Ultima perparcum Satyra insectatur auarum.*

AELII ANTONIJ NEBRIFSENSIS in Satyras Argumenta.

*Prima poetarum mores, & tempora monstrat.
Quidque optare decet, quod non optare, secunda.
Tertia virtutis iuuenes inflammat amore.
Rem populi ignaros prohibet contingere quarta.
Quinta docet, qui sit liber, qui sit quoque seruus.
Ultima, ob heredis curam, castigat auaros.*

IOANNIS PIERIJ VALERIANI Bellunenensis in
eisdem Argumenta.

*Prima lenis carpit vates mollemque Neronem,
Altera spes vanas, & inania vota, precesque.
Tertia cessantem circa præclara inuentam.
Censores quarta insanos, & facta Neronis.
Quinta hominum in vanis diuersa negotia rebus.
Duriter impransos sexta insectatur auaros.*

8

AVLI PERSII FLACCI
CIVITA.

AVLVS Persius Flaccus, Olympiade 203. anno ab Vrbe condita 795. Imperatoris Tiberij 22. patre Flacco, matre verò Fulvia (vt author est Eusebius, & P. Crinitus lib. 3. de poetis Latinis) Volaterras Hetrurix oppidum patriam habuit (quod idem ipse Satyra 6. videtur indicare cum ait:

— *Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatiq; meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli. & multa litus se valle receptus.*)

Floru't, autem sub Claudio principe, mortuus Neronis nono, cum ageret trieesimum ætatis suæ annum. Komam literarum causa profectus cum moribus (vt Probus Grammaticus scribit) esset lenissimus, ac virginali ferè verecundia, formaq; modesta & pulchra, sumpta virili toga Rheimio Palemoni in Grammatica, Verginio Flauio in Rhetorica, tandem Cornuto Stoico in philosophia operam dedit: quæ vt omni officio ac pietatè potius coluit & obseruauit, sic singulari beneuolentia & vitæ consuetudine in reliquum vitæ spatium sibi coniunctum tenuit, vt ipse testatur Satyra V.

*Cum primum pauido custos mihi purpura cessit,
Bullaq; succinctis Laribus donata pependit,
Me tibi supposui. teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute senis: — Et,*

— *Tibi nunc hortante camæna
Excutienda damus præcordia, quaniq; nostra
Pars tua sit Cornute animæ, tibi dulcis amice
Ostendisse inuat, pulsa dignoscere cautus, &c.
Et paulò post:*

*Tecum me longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis consumere noctes:
Vnum opus & requiem pariter disponimus ambo:
Atq; verecunda laxamus seria mensa.*

Prætextatus amicos imprimis coluit, Minucium Macrinum equestris ordinis principem, & Cæsium Bassum poetam lyricum librum scripsit, & paucos vxori Trafæ & in Arriam matrem versus, quæ se ante virum occiderat, quos auctore Cornuto magistro suo postea damnauit. Iuuenis verò Satyras sex, ingenij, solertix, acuminisq; sui testes edidit: plures fortasse emissurus, nisi in iplo ætatis flore, immatura morte oppressus interisset: scilicet (vt ait Poeta)

*Opiima, prima ferè manibus rapiuntur anaris,
Implentur numeris deteriora suis.*

Neque tamen sepultos poetæ manes sperata Satyrice virtutis fecellit gloria, cuius poema (vt ait Fabius) tantum laudis apud omnes veræq; commendationis habuit, vt de eo passim illud vulgaretur, quod annis post aliquot versibus persecutus est Martialis:

*Sæpius in libro memoratur Persius vno,
Quam lenis in tota Marsus Amazonide.*

FINIS.

AVLI

9

AVLI PERSII FLACCI
IN SATYRAS SVAS
Prologus.



*N*EC fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repente sic poeta prodirem.

*Heliconidasq; Pallidamq; Pyrenem
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hedera sequaces. ipse semipaganus
Ad sacra vatium carmen affero nostrum.
Quis expediuit Psittaco suum xaipeet,
Picasq; docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniq; largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refusserit nummi,
Coruos poetas, & poetridas picas
Cantare credas pegaseium melos.*

NICODEMI FRISCHLINI
Paraphrasis.



*R*EDO ego vos lectores mirari, quid sit, quod reddi le-
cum tot summorum poetarum libri, & præcla- *Etori causa*
rissimorum vatium opera, passim nunc extent: *sam, cursa-*
ac multi hodie nobilissimi oratores, atque poetæ *tyram poti-*
sint, qui sua scripta & carmina in lucem proferunt, ego quo- *us scribat,*
que ad scribendum veniam: qui neque cum superioribus il- *quam car-*
lis, neque cum his, qui nunc scripserunt, ingenij gloria, nec *mina assen-*
autoritate sim comparandus. Neque enim tali ego sum men- *tatoria:*
tis acumine, atque tanta animi excellentia præditus: vt *quibus ho-*
quod Hesiodo gloriari licuit, omnes omnium artium ac di- *norem &*
sciplinarum fontes exhauserim: adeoque ipsam Hippocrenæ *opes paras*
epotauerim: aut quod Ennius de seipso credidit, in bicipiti *re potuisse*
set.

B

Non scribit, neq; in lucem profert sua Persius, glorie studio vt alij.

Non scribit Persius ventris ac gulae causa.

Parnasso Homeri anima per somnium accepta cœlesti quodâ numinis afflatu correptus ad carmen scribendum repente nunc prodeam. Nam istam qualemcunque ingenij gloriam, cum toto Helicone & Pirene, ambitiosis quibusdam & honorum cupidis poetis libens concedo. Hac enim laude non nisi inflati, ac turgidi quidam superbiunt: qui carminibus suis pessimo cuique assentando, & adulando, aurum, & statuas hedera ornatas, in æde Camœnarum emereri: & hinc nominis sui celebritatem venari student. Cuius ego honoris non sum ita cupidus, vt alijs eũ ereptũ velim: aut cuiquã homini malitiosè talem laudem inuideam. Quæ igitur res me ad hoc propositum impulit: vt subrusticum meum carmen, ipse semipaganus vates, in ædem Apollinis Palatini nunc afferam, & cum aliorum poetarum libris coniungam. Equidem nulla alia, nisi sola Reipub. & vitæ communis utilitas. Nihil enim aliud volo, nihil quæro, nihil expeto, quàm, vt lecto hoc carmine, vitia ciuitatis sanentur: & suos quisque mores ac studia hinc emēdet, atque corrigat. Alij quidem versificatores, ventris tantum & pecuniæ gratia Romanis nobilibus carmina assentatoria scribere: & in hac respittacos picasque imitari: ac dominos suos ficta voce, vanisque titulis salutare, diuitibusque pro cibo abblandiri solent. Quis enim Psittacum humanas voces exprimere & herum alloqui docuit? quis coruos acclamare principi iussit? quis picas nostra verba imitari voluit? quis famelicos nostros assentatores, nobilibus ac diuitibus falsas laudes accinere, & adulatoria carmina offerre impulit? Nonne communis ille artium magister, & ingeniorum summus opifex, gulosus & voluptarius venter? Nam hic non tantum brutis animantibus, voces à natura denegatas affingit, sed etiam adulatoribus & parasitis quibusdam falsas & à vita nobilium alienas laudes extorquet. Nam eò quorundam hominum progressa nunc est auaritia atque audacia: vt exigui lucri spe oblata, imperitissimi quique ad scribendos versus prodeant: omniumque ineptissimi & insulsiissimi, vulgò pro optimis ac suauissimis poetis habeantur. Proposita enim à nobili quopiam, præconi laudum, mercede ac præ-

mio:

mio: tot boni poetæ subito existent, quot sunt mali: ac modò non corui poetarum, ac picæ poetiarum vices suscipere audebunt. Neque verò credentur illi carmen tritum aut vulgare composuisse: sed sublime, & omnibus numeris absolutum, adeoque ab ipsis nouè Musis, ad Pegasi fontem elaboratum.

A. PERSII FLACCI SATYRA PRIMA.

O *Curas hominum, o quantum est in rebus inane?
Quis leget hæc? min' tu istud ais? nemo hercule. nemo?
Vel duo, vel nemo. turpe & miserabile. quare?
Ne mihi Polydamas, & Troiadas Labeonem
Præstulerint. nugæ, non si quid turbida Roma
Eleuet, accedas. examen uè improbum in illa
Castiges trutina: nec te quesueris extra.
Nam Romæ quis non? ah si fas dicere: sed fas,
Tunc, cum ad caniciè, & nostrum illud viuere triste
Aspexi, & nucibus facimus quæcumq; relictis,
Cum sapimus patruos, tunc tunc ignoscite. nolo.
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber
Græde aliquid, quod pulmo anima prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo pexusq; togaq; recenti,
Et natalitia tandem cum sardoniche albus
Sede leget celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile colluerit, patranti fractus ocello?
Hic neq; more probo videas, neq; voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tum vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe,
Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata, est rupto iecore exierit caprificus?*

B 2

*En pallor, seniumq;: ò mores, vsq; adeone
 Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
 At pulchrum est, digito monstrari, & dicier, hic est.
 Ten' cirratorum centum dictata fuisse
 Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula querunt
 Romulida saturi, quid dia poemata narrent.
 Hic aliquis, cui circum humeros et hyacinthina lana est,
 Rancidulum quiddam balba de nare locutus
 Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid
 Eliquat, & temero supplantat verba palato.
 Assensere viri: nunc non cinis ille poëta
 Felix? nunc leuior cippus non imprimit ossa?
 Laudant conuiuia. nunc non è manibus illis,
 Nunc non è tumulto, fortunatag; fauilla
 Nascentur viola? rides ait, & nimis vncis
 Naribus indulges, an erit, qui velle recuset
 Os populi meruisse, & cedro digna locutus.
 Linqere: nec scombros metuentia carmina, nec thus?
 Quisquis es ò, modò quem ex aduerso dicere feci,
 Non ego, cum scribo, si fortè quid aptius exit,
 Quando hæc rara auis est, si quid tamen aptius exit,
 Laudari metuam. neq; enim mihi cornea fibra est,
 Sed recti finemq;, extremumq; esse recuso.
 Euge tuum, & belle: nam belle hoc excute totum,
 Quid non intus habet? non hic est Ilias Acci
 Ebria veratro, non si qua elegidia crudi
 Dictarunt proceres, non quicquid demig, lectis
 Scribitur in citreis. calidum scis ponere fumen:
 Scis comitem horridulum trita donare lacerna.
 Et verum, inquis, amo, verum mihi dicito de me.
 Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calue
 Pinguis aqualiculus propenso sesquipedè extet.
 O lane, à tergo quem nulla ciconia pinxit,*

Nec

*Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
 Nec lingua, quantum sitiât canis appula, tantum.
 Vos ò patrii sanguis, quos viuere fas est
 Occipiti caco, postica occurrите sanne.
 Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli
 Nunc demum numero fluere, vt per leue seueros
 Effundat iunctura ungues? scit tendere versum
 Non secus, ac si oculo rubricam dirigat vno.
 Siue opus in mores, in luxum, & prandia regum
 Dicere, res grandes nostro dat musa poëta.
 Ecce modò heroas sensus afferre videmus
 Nugari solitos Græcè, nec ponere lucum
 Artifices, nec rus saturum laudare, vbi corbes,
 Et focus, & porci, & fumosa * palilia feno,
 Vnde Rhemus, fulcoq; ærens dent alia Quinti,
 Cum trepida ante boues dictatorem induit vxor,
 Et tua aratra domum lictor tulit. euge poëta.
 Est nunc Brysei quem venosus liber Acci,
 Sunt quos Pacuuiusq;, & verrucosa moretur
 Antiopa, arumnis cor luctificabile fulta.
 Hos pueris monitus patres infundere lippos
 Cum videas, querisne vnde hæc sartago loquendi
 Venerit in linguas? vnde istud dedecus, in quo
 Trossulus exultat tibi per subsellia leuis?
 Nilne pudet capiti non posse pericula cano
 Pellere? quin tepidum hoc optes audire decenter.
 Fur es, ait Pedio, Pedius quid? crimina rasis
 Librat in antihetis, doctas posuisse figuras
 Laudatur. bellum hoc, hoc bellum? an Romule ceues?
 Mèr' moueat quippe, & cantet si naufragus, assen
 Protulerim? cantas, fracta te in trabe pictum
 Ex humero portes? verum nec nocte paratum
 Plorabit, qui me volet incuruasse querela.*

* Palilia.

B 3

Sed numeris decor est, & iunctura abdita crudis.

Claudere sic versum didicit, Berecynthius Atys,

Et qui ceruleum dirimebat Nerea delphin.

Sic costam longo subduximus Appennino.

Arma virum nonne hoc spumosum, & cortice pingui,

** Prægrandi. Vi ramale vetus * vegrandi subere coctum?*

Quidnam igitur tenerum, & laxa ceruice legendum?

Torua Mimallois implerunt cornua bombis,

Et raptum vitulo caput ablatura superbo

Bassaris & lyncem Manas flexura corymbis

E-uion ingeminat, reparabilis adsonat echó.

Hæc fierent, si testiculi vena vlla paterni

Viueret in nobis? summa delumbe salina

Hoc natat in labris, & in udo est Manas, & Atys.

Nec pluteum cadit, nec demorfos sapit unguis.

Sed quid opus teneras mordaciradere vero

Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi fortè

Limina frigeant. sonat hic de nare canina

Littera. per me equidem sint omnia protinus alba,

Nil moror. Euge omnes, omnes bene mira eritis res.

Hoc iuuat, hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.

Pinge tuos angues, pueri sacer est locus, extrâ

Meyte, discedo secuit Lucilius urbem,

Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

Omne vaser vitium ridenti Flaccus amico

Tangit, & admissus circum præcordia, ludit,

Callidus excusso populum suspendere naso.

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam?

Hic tamen infodiam, vidi, vidi ipse, libelle,

Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,

Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo

Iliade, audaci quicunq, afflate Cratino,

Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,

Aspice & hæc, si fortè aliquid decoctius audis.

Inde vaporata lector mihi ferueat aure,

Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit,

Sordidus, & lusco qui poscit dicere lusce,

Se se aliquem credens, Italo quod honore supinus

Frerit heminas Arreti adilis iniquas,

Nec qui abaco numeros, & secto in puluere metas

Scit risisse vaser, multum gaudere paratus.

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

His mane edictum, post prandia Callierhoen do.

NICODEMI FRISCHLINI IN

Satyram primam Paraphrasis.

O Cogitationes hominū inanes; ô curas de rebus mortalium præposteris & vanas; ô spes vitæ humanæ de-
prauatas. Quænam hæc animorum peruerfitas & quæ homi-
num ista intemperies: quod plerique omnes huius seculi
scriptores, eò tantum in scribendo feruntur: vt sprete rei ve-
ritate, populi fauorem aucupentur: ac præter inanem vul-
gi applausum, suis scriptionibus nihil prorsus queritent &
Quæ enim vulgi hæc tâta leuitas & quæ populi Romani tam-
ta vanitas & vt in aliorum scriptis examinandis, præter ina-
nem delectationem, & ridicula quædam verborum lenoci-
nia nihil spectent: ac veritatem cuius in primis habenda
erat ratio, prorsus negligant, atque, contemnant? Nam quo-
tusquisque è promiscua hominum multitudine existet: cui
nostra hæc oratio, quæ haudquaquam ad inanem pompam
atque ostentationem, sed ad vitæ humanæ communem utili-
tatem comparata est: non dicam curæ sit, sed qui eam dun-
taxat pellegat? Nam si quis hoc ipsum ignauo populo iam
exprobret, continuo è græge nobilium aliquis obstrepat:
quorsum tu ista, aut cui nam commemoras & perinde ac si ni-
hil ad eum nostra pertineat oratio. Quis verò (inquit idem)
Satyris tuis delectetur & quis tam stupidus sit, vt ex ista mor-
dicitate

Aspice

Exordium à persona lectorum, præsertim nobilium: quos reprehendit, ob præpostera iudicia. Nã pleriq, maiores capiebant voluntatē è laudibus adulatorum: quàm veritate satyrica. Igitur hæc neglecta tantū fabulas legebant.

dacitate voluptatem capiat? Equidem nemo est, inquit, nemo Hercule, qui non libentius audiat iucundissimas poetarum fabulas, quam tua maledicta & hæc vituperia? Quid igitur huic respondeam? Quid dicam? quid interrogem? An ex tota plebe nemo erit, qui hæc respiciat, qui legat? Fortè, inquit, duo in populo reperientur, qui curent ista: vel, quod verissimilius est, nemo prorsum consentio. Nam vulgò nunc ita comparatum esse video, vt non quæ veracissima, sed quæ cuique gratissima & acceptissima sunt, ab hominibus spectentur & eligantur. Sed quàm turpe hoc, & miserabile sit, quis tam cæcus est, vt non videat? quis tam vecors & amens vt non intelligat? Nam quæ tandem causa est, vt mea scripta tam ingrata sint populo: neque Romæ lectorem inueniant? An quia Polydamas iste, & reliqui effœminati Troiugenæ me spernunt & eleuant: multique Atrium Laëonem, nouæ Iliados fœdissimum conditorem, anteferre ac præponere non dubitant: an idcirco scripta mea in nullo habenda sunt numero? Equidem istis popularis auræ captatoribus, nihil pulchrum, nihil acceptum, obuenit: nisi quod de rebus Romanis, in gratiam nobilium, ab assentatoribus confictum sit. Sed quia nugatoria sunt omnia, tam quæ ab hoc adulatorum genere scribuntur, quam quæ ab iniquis scriptorum æstimatoribus proferuntur: ideò dicta aliorum haudquaquam de quorumuis nobilium, qui se ab assentatoribus decipi patiuntur: deprauato corruptoque iudicio sunt ponderanda. Non enim si quid indoctum & imperitum nobilium vulgus contemnit ac eleuat: statim illius sententiæ accedendum erit: multò minus ita insistendum, vt falsas opiniones trutina veritatis examinare: & aliorum sententiæ æqua statera appendere non liceat. Nulli enim cuiusquam iudicio ita standum aut acquiescendum: vt si te assentator aliquis virum bonum aut fortem prædicet: tuo non utaris de teipso, nedum de alijs, iudicio atque examine. Nam quis hodie Romæ non? si modò liceat dicere, & oratione ac verbis exprimere: quod alij vita ac moribus exprimere non dubitant? Verùm ista proloqui tum demum mihi fas erit: cum eiectis ex animo iuuentutis cupiditatibus, & nubi-

cibus, quod aiunt, relictis, ad grandiore ac sapientiore ætatem peruenero: ac mores adolescentiæ, cum graui & seuera senectute commutauero. Tunc enim mihi grandæuo ac longo rerum vsu confirmato seni benignè clementerque ignoscetis, vos Romani nobiles: si quid contra vos, vestramque leuitatem liberius iusto, in medium protulero. Nunc propter ætatem meam asperius vobiscum agere nolo. Quid ergò faciam? Id nempe quod cauillatores nonnulli solent: qui cum alios aperte reprehendere non audent, certa quadam & mordaci dicacitate, mores eorum carpere & vellere consueuerunt. Cum enim ad cachinnos, & immoderatum risum natura me propensior & largior procreauerit: nunc ineptias vestras non reprehendam acrius, sed tantum ridebo petulantius. Cæteram primè omnium, hoc loco mihi ridendos se offerunt Romani nobiles & principes: qui poetæ & oratores dici atque haberi volunt. Nam alij nostrorum nobilium domi, in occulto inclusi atque abditi, verus meditantur, aptisque verbis constrictas sententiæ numerosè conantur effingere: alij non poetico, sed oratorio numero & modo verba circūscribunt: & nescio quam grandiloquentiam affectantes, tumidum quoddam inflatumque orationis genus efficere student: quod sine graui ac vehementi spiritu & magna laterum ac pulmonum vi, & motu recitari non possit. Ad priores illos quod attinet: puta, qui poemata conscribunt, eaque populo recitant: & poetæ salutari atque haberi volunt: solenne vsitatumque illis est, plerisque: vt carmina sua populo recitaturi: primò omnium in id studeant: vt quàm splendidissimo ornatu amicti in concionem veniant, & corporis cultu hominum in se oculos conuertant. Nam sæpè accidit, vt quos orationis maiestas non comouet: eos vestitum elegantia & corporis mundicies, in sui admirationem rapiat. Itaque populo carmen lecturi, prius operam dant, vt pexi ac nitidi, togisque recentibus, & preciosis gemmis, ipsaque natalitia sardonice ornati, in hominum conspectum prodeant. Deinde etiã in hoc elaborant, vt voce mollicula, ac suauiori sono, carmina sua proferant. Itaque fauces antè aliquo plasmate, & dilu-

Prima ve-
prebensio
poetarum
nobilium
quorum vitia
percesset.
Vestitus
immodicè.

Vox effusa
minata.

*Actio vi-
tiofa.**Affectuum
nefariorū
captatio.**i. Obiect.**Responsio.*

to potionis genere colluunt: ac vocem, quam possunt maximè, effœminatam & molliusculam reddunt. vti iam versus non recitare, sed quamsvauissimè modulari, & quasi cantillare videantur. Quibus rebus primùm domi constitutis, postea in magna auditorum frequentia sedem excelliorem occupant: consensuquè suggestu, lasciuum & fœdum carmen recitant. Cui vt maior accedat gratia, nefario insuper gestu ac libidinoso cantu petulantes oculos in omnes partes proteruè circumferunt. Videre est tibi Romanos nobiles ac principes: cum nefariæ, & fœdæ istæ voces libidinè in eorum animis accenderint: & tremuli declamatoris versus, intimos lumborum recessus, pruritu quodam inflammauerint: mox isto nefando carmine excitatos, lasciuix & libidinis suæ documentum dare, turpissimo corporis motu & voce ipsa plusquam effœminata. Nam eò prolapsa est quorundam hominum impudentia: vt turpissimos recitantium gestus, ac vocem ipsam illiberali corporis agitatione subsequi non vereantur. Sed heus tu veterator & delirum silicernium: quid tandem est, quod te senem, intrus & in cute perditum, huc impellit: vt non modò aliorum lasciuas aures, tam impudico & salaci carmine delinias, sed etiam impudentiæ tuæ honestum, ac nescio quem prætextū quæras: perinde ac si tua eruditio nihili sit, nisi eam apud alios ostentes? Quid enim profit mihi, dicis, artem poeti cam tanto labore, & tanto studio didicisse, & versus domi tam diligenter composuisse: nisi hoc scientiæ fermentū, quod cordi meo innatum est: & hæc doctrina præmatura, iam dudum animo meo cõcepta, tandem è pectore in lucem, velut caprificus è muro, erūpat: & auditoribus meis magnā vtilitatem ac fructum: mihi verò laudem & sempiternam gloriam reportet? At quæso te leuiculæ gloriæ captator, aspice pallorem tuum: aspice senium & rugas tuas. Nam vt nulla res alia à stulta ambitione te reuocet: nihiluè corporis ac virium ista imbecillitas: inquam stultissimis lucubrationibus tuis incidisti: nihiluè ætas tua grandior, quæ longè alios mores, ac vitam postulat: te cariosum ac decrepitū senem commouet; vt nō potiorem aut honestatis, aut saltem valetu-

valetudinis tuæ, quam inanis & leuiculæ gloriæ, præsertim ex re turpi comparandę rationem habeas? ò tempora. ò mores. Vsq̄ue ad eò nescientia tua nulla est, nisi pluribus de ea constet, alijquē homines te illa ornatum & præditum esse, tu opte iudicio cognitum exploratumquē habeant? At pulcrum est, inquis, aliorum oculis signari & digito monstrari: pulcrum est, de aliquo dici: hic est inclytus ille poeta, qui nuper carmen tam elegans pronunciauit. An enim pro nihilo ducendum sit (in quis) versus tuos in tanto esse numero ac precio: vt à pedagogis, & ludorum magistris, in frequentissima schola, iuuentuti dictari & prælegi soleant? Ego quidem, vt verum tibi de me fatear, istam leuiculam gloriam pro nihilo penitus duco. Nam quæ hæc carminū laus est? aut quod illud de poetarum scriptis tam præclarum iudicium: quod ebrij ac vinolenti in conuiuio, de rebus non intellectis proferunt? Nostri enim Quirites nullibi de poematis hodiè disputant, & iudicant, quam ferè inter pocula: nec prius de optimorum poetarum figmentis inquirunt, quam saturi iam & cibis distenti atque suffarcinati fuerint: tanquam nullo magis tempore, aut ad iudicij rectitudinem pateat animus, aut ad poeticas cogitationes plus incalcescat. Tum enim si quis nobilium, hyacinthinis lenis amictorum, in conuiuio prodeat: & rancidum atque insuaue quiddam, per nares balbutiens, de Phyllidis ac Demophontis, aut Hypsipyles & Iasonis amoribus, ac tristi fœminarum interitu fabuletur: aut aliam rem miserabilem, è poetarum libris, voce in cantum dissoluta, & plasmate, effœminata pronunciet & verba ipsa, quo maior in auditorum animis commiseratio excitetur: quasi singulticis, in palato supprimat: tum, inquam, protinus reliqui conuiuē illi assurgunt: & vnanimi consensu palmam, ac summum in arte poetica honorem ei deferunt: tamquē blandis vocibus, imperito ac stolido versificatori assentantur: vt etiam cinerem illius poetastrī fortunatū esse prædicent: & mortui ossa nullo tumuli pondere aut cippi onere grauari exoptent. Nam si quem ebrij ac remulenti conuiuæ laudent: quomodo non cinis illius felix sit? quomodo non leuior illi tumulus futu-

*2 Obiectio.**Solutio.**Romanorū
de poetis iudicia,
vino madida, nō
sobria.*

rus, quàm alijs : quomodo non ex ossibus eius, ipsaque sterili & muta, sed beata tamen, fauilla, flores ac violę enascantur : At quàm verum hoc sit iudicium, quòd vino perturbati, corruptique homines, de poetastris huiusmodi ferunt : quis obsecro non videt : aut quis glorię huius, quam tu ridicule ac stulte fenex, tantoperè venaris, leuitatem ac vanitatem non intelligit : Obijcies mihi fortè, nimium te irrideri, nimisque vncis naribus suspendi : propterea quòd nemo sit, qui nõ studio laudis trahatur : & quòd optimus quisq; gloria ducatur. Quis enim populi fauorẽ emereri non cupiat : quis vulgi applausum nõ admittat : quis carmina cedro & purpura ornari digna, ab omni interitu vindicari, atque ad sempiternam posteritatis memoriam peruenire non cupiat, atque desideret : Equidem concedo tibi, quisquis hæc mihi ex aduerso obieceris : non omnem laudem & gloriã reiiciendam, aut contemnendam esse. Nam & ego cum scribo, si quid à me aptè eleganterque factum in lucem prodierit (tametsi aptum & elegans quippiam, hoc tempore scribi rarum, & phæniciis instar sit) veruntamen, si quid aptius, & paullo concinnius à me, quàm ab alijs, conscriptum fuerit : laudari ob id non metuum : cum docta & vtilia scripta, suis laudibus nequaquam defraudanda esse iudicem. Neque enim adeo corneo ac duro, tamque auerso à Musis sum animo : vt nulla laudis dulcedine afficiar, neque vlla gloria nomen meum, præsertim ob virtutes, illustrari patiar. Vt enim turpia facinora pœnam, & inepta atque insulsa scripta in famiam ac dedecus merentur : ita rectè facta laude & præmijs ornari, & bona inuenta, sua gloria, quasi mercede compensari debent. Verùm assentationes istas tam bellas, quibus tu alijs, & alij tibi abblandiuntur : ego neque veras laudes, neque vltimum recti & honestatis finem esse affirmo. Neque enim virtuti ipsi & rectè factis (nedum vitijs) propterea dandam esse operam censeo, vt his rebus inanem gloriam aucupemur : & auram popularem, atque imperitę multitudinis applausum queramus. Nam si suum illud Euge, & bellè, & pulchrè istud, ceteraque omnia, quę tibi assentatores illi ad voluptatem loquuntur, probè excusseris, ac peni-

3. Obiectio.

Solutio per concessionem & Remotionem.

Remotio.

penitus in ea introspexeris : quid quæso vanitatis ac fraudum in se non habebunt : At verò si oculos tuos ad hæc nostra conuertas : nihil inuenies, quod aurę populari inferuiat : nihil, quod vanam gloriam assentando & adulando confectetur. Neque enim Attij Labeonis, & aliorum Quiritium exemplo, Iliada & res Troianas in fulso carmine persequor : neque Neroni, cæterisque Troiugenis fictis laudibus adulari & supparasitari hinc studeo. Equidem nihil in hoc toto opere infani Labeonis est simile : nulla hinc infana, & multo elleboro digna Ilias : nulla lasciuia Elegidia : qualia proceres nostri in conuiujs temulenti & ebrij dictare solent : nihil denique ineptissimarum nugarum : cuiusmodi à ditioribus illis poetastris, nõ in vulgaribus quibusdã abacis, sed citreis mensis, & pauoninis tabulis hodie cõponuntur, Quid enim mihi cū nugis atque ineptijs eorũ : quos Romani nobiles ac diuites sibi adulatorum & parasitorum loco conducunt, & magnificis ac sumptuosis cænis excipiunt : tum multis etiam donis & largitionibus corrumpunt, ac præcones laudum suarum sibi emunt : Nam isti muneribus occæcati, versus nobilium stolidissimos, immodicis commendationibus ad astra solent extollere. Hinc sunt illæ lauticiæ, hinc illa delicatissima sumina, quę vos patritij vestris assentatoribus apponere didicistis : hinc attritæ vestes, & lacernę quibus ex vestra liberalitate amici incedunt phormiones isti, quibus aliàs fame & frigore pereundum erat. At veritatem, inquis, amo : eiusque cognoscendæ & perquirendæ gratia, talium hominum familiaritate & consuetudine vtor : qui nihil in me cælent. Nam ita à me rogari solent, vt quid ipsi de me, meisque scriptis verè sentiant : & qualem poetam me esse iudicent, apertè mihi indicent. Sed obsecro te, qui possunt illi veritatem dicere, quorum de te iudicium muneribus ac largitionibus corruptum & deprauatum est : Quod si tu veritate tantoperè delectaris, verumque de te auidere adeo expetis : vis ne vt ego tibi veritatem dicam : & aperte, quid de tuis scriptis sentiam, & sine metu liberè proferam : Equidem de tuis versibus recaluaster, ita ego mecum statuo : vt eos non alio, quàm putidissimarum, & planè illi-

A contrario, nempe suis poematis satyricis.

4. Obiectio

Solutio : qua multis rationibus probat laudes adulatorum non esse veras : sed tantum fictas et assentatorias.

beralium nugarum loco, ab omnibus habendos esse censeã. Quid enim sani è tuo abdomine, in lucem proferas? cum tuus iste obesus venter & pinguis aqualiculus, tibi sesqui pede, ultra reliquam corporis tui molem, promineat? Quid quæso tenue aut mundum de se gignat, omnium sordium receptaculum crassissima ista sentina tua? Felicem profecto fellicem istum bicipitem & vtrinque oculatum Ianum: quem nulli ardeliones, à tergo subsannare, aut manufactis, ciconiarum rostris irridere possunt: quemadmodum nostri proceres à suis adulatoribus ponè exhibantur & clanculum mordentur. O verè beatum Ianum, Ianique similes, viros prudentes: qui ab omni postica subsannatione liberi, nullis scurrarum asininis auriculis: quas illi manibus imitantur: neque exertis linguis, quas sanniones illi, canum æstuantium modo, longissimè protendunt, eludiatque irrideri solent. Quare vobis, patritij, & nobiles Romani, cauendum est sedulo: ne laudatoribus illis temerè fidè habeatis: ne aures libenter eis accommodetis: qui vos coram in os laudare, clanculum verò mordere & sugillare consueverunt. Cum enim cæco occipite vobis viuendum sit: neque vlllos in ea parte oculos natura collocauerit: modis omnibus in id incumbendum: vt nos vestra virtute & sapientia. Ianum imitantes, posticis subsannationibus & Phormionum sibilis occurratis. Nam vt maximè vos, à tergo subsannari non sentiat: at voces ipsas assentatorum: quibus illi aures ventras deliniunt, animo vobiscum perpendite: vt vel hinc cognoscatis, quambelle de vobis sentiant, quos ita vobiscum loqui non pudet. Etenim si quis vestrum, adulatorem huiusmodi interroget: quæ vulgi de se opinio: quis populi sermo: quis enim alius? dicet: quàm tua carmina terfa esse, & nitida, & apta, & concinna & suauia: omniumquæ censorum, & Aristarchorum iudicio superiora ac limatiora: tum ita molli numero fluere: vt minus asperitatis in ijs occurrat: quàm in lapidum commissura: quos industrij artifices tam solerter & examusim coniungunt ac leuigant: vt nullibi vel latum vnguem transmittant. Dicunt enim plerique omnes de te (ait tuus adulator) noster poeta versus suos non alter e-

Adulatores in os laudant sultos Nobiles: à tergo subsannat: Ergo laudes istæ non sunt veræ.

Voces adulatorum omnium in laudando modum excedunt. Ergo non sunt veræ.

metitur, ac fabri lignarij metiri solent trabiũ rectitudinem: quam vt ad perpendiculum consequantur: ipsi vno oculo clauso (ne vago amborum discursu, rectitudinis norma conturbetur) regulam suam dirigunt: & rubricam in superlineam ducunt. Denique noster poeta, dicunt, ea ingenij facultate excellit: vt ad quamuis materia, versibus describendam non factus, sed natus esse videatur: adeoque cum ipsis Musis aliquod commercium habere credatur. Siue enim humile & Satyricum opus, contra hominum mores ac vitia, & principum luxum instituat: siue res grandes & Tragicas sibi describendas sumat: neutrius vires ingenij eũ deficiunt. At quæso vos Romani patricij: quis vestrum est qui hæc dicentem, & sic in os laudantem, adulari non credat? quis tam stupidus est, vt hæc Phormionum esse ludibria non intelligat? quis tam vecors, vt orationis fucò obtectum, non animaduertat? Veruntamen nihilominus ea quorundam est amentia atque perniciosa: vt his adulatorum vocibus deliniti, nihil non scribendo tentare audeant: omniumquæ rerum & optimarum artium ac linguarum perfectam cognitionem sibi inesse planè persuasum habeant. Ecce enim modò aliquos, tam perfrictæ frontis versificatoras esse deprehendimus: vt veteres Heroum casus, fictosquæ luctus imitari: & Græcorum nugas scribendo illustrare aggressi sint. Nonnullos item, qui nostrorum imperatorum laudes, & res bellicas, transmarino quodã & aduentitio sermonis genere: quod latinæ orationi permiscere, & cum ea confundere ipsos non pudet: memoriæ posterorum se commendaturos promiserint. Sed quæ hæc audacia? quæ dementia? quod tantas istas res describendas, & literis mandandas sibi sumunt: cum ne minima quidem & vilissima argumenta, latinis versibus tractare possint. Est enim tanta illorum incititia: vt ne lucum quidem describere, nec rus laudare: nec corbes aut focum, aut porcos, aut Palilia, quæ sceno accenso, ibi à rusticis celebrantur: aut alia ruris commoda percensere norint: ne dum, vt sublimiora quædam, de vita rustica proferant: vt, quod Romulus & Remus, imperij conditores, ex rure & pastoribus, orti sint: quod Quintius Cincinnatus ab agro ad-

Aliud vitium poetarum nobilium: quod maiora veribus aggrediuntur, et Græcè affectant scribere.

metitur,

Dictaturam accersitus sit: cum trans Tyberim quatuor iugerum agellum coleret: & manu stiuam tenens, ac sulcum aratro ducens, à legatis S. P. Q. R. vnanimi consensu Dictator dictus, in urbem reuocaretur: quòd Racilia, vxor Cincinnati, rei nouitate perterrita, cum nudus araret maritus, eum Dictatorem iam dictum, toga ante boues induerit: quòd Quintius absterfo puluere, & sudore obuiam legatis pro cesserit: quòd lictores, aratro humeris imposito, in urbem subsecuti, illud in domum Quintij deportauerint. Egregios sanè poetas: qui, cum nihil tale in minimis ac leuiculis præstare valeant, maximas tamen & difficilimas res sibi explicandas sumere non erubescunt. Alij sunt è nostris

Allud vitium poeta- rum in delectu verborum. Verba antiquata & obsoleta.

Quiritibus, qui vetera tantum probant, & antiquos poetas in pretio solos habent: sicut priores illi duntaxat recentibus gaudēt scriptoribus. Nā hodiè multi obsoletis, ac durioribus delectantur poetis: quales iam olim fuerūt L. Attius, cuius exrat Brisēis, liber valdè turgidus: & M. Pacuuius, antiquissimi Tragici: quorū oratio tumida, ve grandis, aspera, dura ac salebrofa est: vt cum Pacuuij Antiopa, cor luctificabile sibi, ærumnis fultū esse conqueritur. Atque hoc malū, cum hodiè frequens admodum & vsitatum sit: (nam stolidi senes iuuētuti & liberis suis, antiquatas istas & obsoletas voces diligentissimè inculcant: easquē à teneris annis perdisci, & ad vsum sermonis, ac styli adhiberi volunt) quis adhuc quærat aut admiretur: vnde vetus ista, & obsoleta dicendi ratio denuò iam Romæ inoleuerit? Vnde istud sermonis dedecus in vrbe exortum, vt iam voluptarios, trosculos, & delicatulos nostros Equites, in ipso Theatro & subfellijs, talium fabularum actoribus applaudere nō pudeat?

Secūda reprehensio Oratorum et Rhetorum.

Quid? quòd nonnulli laudem illius grandiloquentiæ veteris, & iam obsoletæ, etiam in foro affectant, & vbi de capitis agitur periculo? Nam hodiè plerique Rhetorum in causis perorandis, siue suas illi partes agant, siue pro reo dicant: obiecta crimina non apertè & sine ambagibus refellunt: sed fuco quodā orationis, quæ affectat, sine villo sententiariū pondere, sola ingenij ostentatione tegunt. Etenim Pedium, si quis furti reum agat, ei quæ obijciat, fur es Pedij: non ille ad

furtum

furtum refutandum: neque ad causam defendendum venit: sed posthabitis ad rem obtinendam necessarijs argumentis, solummodò in voce splendorè, & in motu suauitatè obseruabit. Neque enim hoc student nostri rabulæ, vt sapientibus sententijs, & grauibus verbis ornata, & perpolita sit oratio: sed vt ieiunis tantum, & affectatis figuris, tanquā laruis appareat vestita. Quid enim? inquit, Pedius, quid? furne sit Pedius: qui Patronus populi? & auarusnè, qui liberalis? & prædōne, qui Prætor? raptor ne, qui largitor? Sed heus Pedij: ecquid te pudet, te non modò inueniri hominem senem & capularem: cui furtum, aut aliud capitis crimen obijci possit: sed etiam hoc ipsum crimen, adeò nō defendi à te, & excusari posse, vt relictis causæ argumentis, ad verborū ornatum, & inanem orationis pompam, vocumquæ, nescio quas, phaleras & calamistros te conuertas? Ecquid te pudet, rabula impudentissime: quòd laudem insuper, & vulgi applausum, forensi tua loquacitate turpissimè venaris? Quis enim ferat contrapositis, & consimilibus, alijsquæ figuris perorantem, & hominum animos verborum sono oblectantem: vbi feueritate, vbi purgatione, vbi deprecatione opus est? Nam ista sermonis pigmenta fidem derogant affectibus: & vbi cunque ars ostentatur, veritas abesse videtur. Ecquis, obscuro, temporum horum iniquitatem non deploret: quibus Romulidæ nostri fucato isto & specioso dicendi genere ita capiuntur: vt Pedium, & similes eius rabulas laudare, eosquæ pro bellis ac lepidis oratoribus & habere, & prædicare nō erubescant? Nā si quid affectatum, si quid tumidum ab illis prolatum fuerit continuo acclamatur: hoc bellū est: hoc bellè & sapienter dixit Pedius. Quid an bellum est, relictæ causa, impetu ac volubilitate verborū rem tegere, & figuris tantum insistere, ac laudè populi sectari? Eho Romani equites, an vos rabulis istis assentamini? an, canum more, istis impostoribus adula mini? Ego certè talium hominum oratione: quæ, præter inanem pompam & ostentationem, nihil in se habet, magis non commouear: quàm si quem naufragum suos casus, suumquæ infortunium in picta tabula circumferentem, & stipem corrogantē, cantillare audia. Quem

Auditorū reprehensio: qui tales oratores approbant.

enim naufragus iste cantu suo commoueat? aut quis stiperem illi proferat: quem cantare, & vocibus, tanquam hilarē lætumque exultare audiat? Querimonijs & lacrymis opus est ei, qui me velit flectere, & ad misericordiam perducere. Nam ut verè tum doleat, & ex animo ploret, necesse est: non autē longa, & diu præmeditata oratione, multoque minus cantilena hinc opus est. Quin imò ne ille quidē me cōmouebit, qui nocte cogitatam querimoniā recitare voluerit. Quod si, & vos Romani meum exemplum secuti fueritis: & istam oratorij sermonis lasciuiam, ac vocum mollitiem, qua Rhetores in causis peragendis hodie vtuntur, suspectā deinceps habueritis, intelligetis profectò eos non veritatis & iusticię amore, sed laudis suę studio ad dicendum prodire: nec exre ipsa natis, sed domi, noctu diuque elaboratis, orationibus fucū vobis facere, & turpiter vos ludificare. Sed dicas mihi, hanc grandiloquentiā & hæc verborū pigmenta, ut maximè causis forensib. non cōpetant, poetarū tamen recentiū scripta minimè dedecere. Nā qui alās crudi videntur numeri, & imaturī, si ornentur verbis antiquis & figuratis, orationē facient suavissimam. Itaque nonnulli recentium Poetarum, suos versus sic claudere iam didicerunt: Berecynthius Atys,

Redit ad primam reprehensionem: quæ est poetarum.

Exemplo rem ostendit.

Obiectio.

Refutatio.

Et qui caruleum dirimebat Nerea Delphin:
Sic costam longo subduximus Apennino.

At quis obsecro hinc non videt affectata esse omnia: & nulla rei proposita ratione habita, præter mollitiem & suauitatem numerorū, nihil fieri reliquū? Quid enim Aty cū Delphino commune? quæ Delphini aut Nerei cū Apennino cognatio? quæ hinc rerum cohærentiæ? qui contextus? dicas fortè, ut nūc est hominū in suis criminibus defendēdis audacia: etiā Maronis Aneida tibi inflatā ac turgidā nimisque affectatā videri: cum sic ille incipiat, Arma, virūque cano. Certè, si vetus & aridus suberis ramus, quæ diuturnus solis calor exiccavit, si, inquā, ramus iste pinguis est, si tumidus est, si spumofus, erit etiā Virgilij Poema inflatū & præturgidū. Sed hoc, quā absurdū sit dictu, nemo nō videt. Equidem Virgilij opus ita est ab authore concoctū, & elaboratū ingenio, ut nullus in eo tumor, nulla prorsus affectatio appareat. Quid igitur, inquit

quis, tenerū, aut concinnum? aut quæ nam carmina molli sono pronuntianda sunt? Nostris quidem Poetis nihil molle, nihil suaue videtur: nisi quod et fabulosam antiquitatē, & stultā verborū ostentationē redolet: ut quæ nuper in Bacchaliū festo, de Pērthei fabula quidā recitauit carmina, in quibus nihil non affectatē scriptū fuit. Nā pro tibijs, cornua torua: pro sono, bombos Mimalloneos: pro Pentheo, vitulum superbum: pro Baccho, E vion: pro Agane aut sacerdote, Bassarin dixit: ut mea sententiā, omni rerum grauitate & perspicuitate consultò neglecta, tantum inani cuidam orationis sono, studuisse videatur. Sic enim versus illius sonant,

Torua Mimalloneis impleunt cornua bombis:

Et raptum vitulo caput ablatura superbo

Bassaris: & Lyncem Mœnas flexura corymbis,

E vion ingeminat, reparabilis assonat Echo.

At quæso te ineptissime versificator, an istiusmodi à nobis fierent scriberenturque carmina, si vlla paternarū virtutū scintilla in animis nostris micaret? si vlla maiorum nostrorū in nobis vestigia superessent? Nunc autē, proh dolor, eò peruentum est, ut nihil penè aliud in primis nobilitū labris, obuersetur, nisi Bacchus & Cybele: nihil in summa eorū salua, & vdo ore innatet, quàm delumbe et eneruatū hoc Mœnas et Atys. Quid? quòd hoc ipsum nihil in se habet præmeditatē factū, aut vlla elaboratū industria? Nā nostri versificatores, inanis glorię captandę studio, nulla mora, nullo labore, infundēdis carminibus adhibito, versus suos adhuc imperferunt rudes, tanquā fœtus abortiuos, aut (quod canibus in partu nimis festinantibus euenit) tanquā cœcos catulos in lucē, proferunt. Neque enim scripta illorū, cœcos manu pluteos, aut arrosos vngues, aut vllas denique meditationes sapiunt. Sed quorsum opus est, inquires, tam seuera reprehensione, tantaque verborum acrimonia, in aliorum (præsertim nobilium ac potentum) moribus, ac vitijs taxandis? Quid prodest alijs veritatem, quæ & mordax est, & odium parit, versu Satyrico dicere, ac teneras & delicatas nostrorum hominum aures offendere? Caue Persi, dices, ne tua mordacitate & cauillatione periculum capitis tibi accerfas:

Alio exemplo idem ostendit.

Aliud vitium poetarum caeca festinatio, et carminū præmaturatione editio.

Obiectio aduersus poetæ libertatē in taxandis tot vitijs.

Responſio. néue hominum superiorū & nobilium aliquis, maledica tua confidentia irritatus, amicitiaē tuæ renunciet: teque ædium suarum & mensæ aditu prohibeat. Nam illic canina litera assidue personat: & faciles irritatu nobiles etiam ob leuem reprehensionē ringuntur, & stomachantur. Sed audi tu, quisquis hæc obijcis: nihil ego moror, quin per me omnia Romanorū dicta & facta sint honesta, & candida, & proba. Probos enim & bonos esse eos cupio: ac tales si fuerint, merito omni reprehensione carebunt. Atque ut illi ipsimet videant, nihil me calumniandi, aut cuiquam detrahendi studio proferre: agē etiam illa, quæ paullo ante reprehendi, laudare, & vnā cū vulgo admirari volo. Euge enim omnes nobilium res præclaræ sunt: omnia illorum cæpta magnifica: & quicquid vbiq; tentauerint, id admirabile ac stupendum fuerit. Nōne hoc verbum placet? nōne hæc mea te oblectat oratio? Nā tu si tale quid ab assentatore prolatum audias, cōtinuō subijcis: rectē & bellē: hoc placet. hīc edico iam omnibus, ne quis honorem & laudem meam derurpet, atque contamine. Locus enim hīc sacer est, & duobus Genijs, seu piētis in vestibulo anguibus, notandus. Itaq; omnes pueri & senes hinc apagete: ne quis oletum hīc statuatur: neu lotio sacros parietes commaculet. Tam enim enormis est hodiē quorundam superbia atque insolentia, ut se ipsos, & vitam, moresque suos turpissimos, locis diuorum imaginibus consecratis equiparent: in quibus oletum facere, aut meiere nefas sit: poetas vero & illorum admonitiones, oletum & lotio comparare non dubitant. Proinde à vita Nobilium, tanquam à sacro loco mihi recedendum: ne si liberius obscœnos illorum mores castigem, nefas aut piaculum committere videar. At licuit tamen Lucilio & Horatio, poetis acerrimis, Satyram scribere, & vitia suorum ciuium seueriter arguere: cur ergo idem mihi non liceat. Nam Lucilius non contentus paucorū reprehensione, totam urbem lancinavit, et singulari verborum acrimonia pessimos quosque flagellauit: ac ne potensissimis quidē, & nobilissimis, in Rep. viris pepercit. Quippe is Rutilium, Lupum & Mutium, Albutium tam acerbē & mordaciter insectatus est: ut omnes irarum habenas in eos laxasse, & mo-

Defendit libertatem suā exēplis Lucilij & Horatij.

& modò non dentes in illis lacerandis fregisse videatur. Horatius verò Flaccus, etsi tanta acerbitate in hominum vitia non inuehitur: tanta tamen calliditate, tantoque lepore & sale amicorum vitia perstringit: ut rem non serio agere, sed ludere tantum, & cum amicis iocari, populumque naso suspendere, & subfannare credatur. An igitur, quod palam aliis & nominatim facere concessum fuit, idem mihi ne clam quidem mutire liceat: ut ne Midæ quidem famulum imitari ausim: qui cum asininas domini sui aurículas reticere nō posset, nec tamen prodere auderet: in scrobem immurmurauit, & eam arena post obruit? Quod si & hæc mihi copia denegata fuerit, an nusquam quicquam mutire poterō? Non faciam. Nam ut maximè nullibi locorum vitia nobilium proclamare fas sit: ea tamen huic libro inscribere non dubitabo: & quod Midæ famulus scrobi insuffurrauit, id libro huic infodiam: Vidi, vidi ipsemet, o libelle, Aurículas asini Midæ rex, & Romani Principes habent. Atque hunc ego Satyricum risum, & hanc tectam atque opertam cauillationē, quamlibet in animis Romanorum Nobilium vilescat, nec facile lectorem inueniat: longè tamen pluris nunc facio, quam totam Labeonis Iliadem, & apertas aliorum assentationes. Et mehercule sicut operis mei lectione nō omnes delectantur: ita neque ego quosuis ex plebe, aut nobilium & fannionum grege, lectores admitto: sed eos tantum, qui literarum expertes non sint, qui que veteres Comicos magna libertate hominū vita taxantes, ad eò diligenter lectitauerint: ut ex nimia styli acerbitate, & verborum amaritudine, quæ in illis est, horrorem ac metum aliquem concipiant. Quare agite Romani, quicumque prius Cratini, Eupolidis & Aristophanis mordacissima scripta legistis, etiam hæc nostra aspiciate: si fortè aliquid reconditæ eruditionis, & consummatæ doctrinæ in se habeant: vnde diligens & accuratum lectoris studium accendi: & hominum animi iusto virtutis ac honestatis desiderio inflammari possint. Nam lectores illos nihil moror, qui cum rudes & illiterati sint, nihil aliud solent, quam aut Philosophorum crepidas ridere, & viris doctis illudere: aut alijs fortuita corporis vitia ex probare, &

Midæ famulum se hoc libro imitaturū dicit. Id est Nero Imperator.

Quales lectores Satyrarum admittat.

Quos lectores respuat.

Inscio oculorum nœuos obijcere : cùm ipsi sint consceleratissimi, & animi vitij inquinatissimi : se verò ipsos in magno honore & pretio habere; quòd olim ædilitatis magistratum indignè consecuti mensuras frugerint; & hinc inde in municipijs, abrogatis veteribus & iniquis, nouas heminas cõstituerint. Horũ ego demeis scriptis iudicia floccipendo : cum illi omniũ virtutũ, & omnis honestatis contemptores sint : nec digni, quibus res bonę & vtilis ridendę proponantur. Sed nec illos magnifacio, qui nihil norũt aliud, quàm irride re Mathematicos, eorũq; figuras & numeros in tabulis, & puluisculis deductos : quiq; ex nullare alia voluptatē capiunt, quàm si meretricę aliquã diobolarę philosopho barbã vellere, eũq; vulgi ludibrio propinare videant. Quos ego impudentes scurras, & petulantissimos ardeliones, præmonitos hęc velim, vt ab operis mei lectione facerent. His enim vt morum & virtutum, atq; omnis disciplinę contẽtoribus, nihil aliud concedo, quàm vt manẽ ad Prætores eant, & illorum edicta audiant : post prandium verò se ad scorta sua conferant, & cum his se oblectent.

A. PERSII FLACCI
SATYRA SECUNDA.

Hinc, Macrine, diem numerameliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio, non tu prece poscis emaci,
Qua nisi seductis nequeas committere diuis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuius promptum est murmurq; humilesq; susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & vt audiat hospes,
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat : ò si
Ebullat patrii præclarum funus, & ò si

Sub

Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule, pupillamue vitinam, quem proximus heres
Impello, expungam : namq; est scabiosus, & acri
Bile turmet. Nerio iam tertia * conditur uxor.
Hęc sanctè vt poscas, Tyberino in * flumine mergis
Mane caput bis, terq; & noctem flumine purgas.
Hęc age, responde, minimum est, quod scire laboro;
De Ioue quid sentis? est ne vt proponere cures
Hunc cuiquam? cuiam? vis Staio? an scilicet heres
Quis potior iudex, puerisue quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iouis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio, pro Iuppiter, ò bone clamet
Iuppiter, ad sese clamet non Iuppiter ipse?
Ignouisse putas : quia, cum tonat, ocyus ilex
Sulphure discutitur sacro, quàm tuq; domusq;?
An quia non fibrisonium, Ergennaq; iubente
Triste iaces lucis, euitandumq; bidental;
Idcirco stolidam prebet tibi vellere barbã
Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas pulmone, & lactibus vnctis?
Ecce auia, aut metuens diuũ mater tera, cunis
Exemit puerum, frontemq; atq; vda labella
Infami digito, & lustralibus anti saliuis
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in edes.
Hunc optent generum rex, & regina, puella
Hunc rapiant, quicquid calcauerit hic, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota. negato
Iuppiter hæc illi, quamuis te albata rogarit.
Poscis opem neruis, corpusq; fidele senectæ:
Esto age, sed grandes patina, tuccetq; crassa
Adnuere his superos vetuere, Iouemq; morantur.

* ducitur.

* gurgitea

Rezo

Rem struere exoptas caeso boue, Mercuriumq;
 Arceſis fibra, da fortunare penates,
 Da pecus, & gregibus fetum. Quo peſſime pacto,
 Tot tibi cum in flamma iunicum ornamenta liqueſcant?
 Attamen hic extis, & opimo vincere farto
 Intendit iam creſcit ager, iam creſcit ouile,
 Iam dabitur, iam iam, donec deceptus, & expes
 Nequaquam fundo ſuſpiret nummus in imo.
 Si tibi crateras argenti, incuſaq; pingui
 Auro dona feram, ſudes, & pectore læuo
 Excutias guttas, * letari prætrepidum cor.
 Hinc illud ſubiit, auro ſacras quod ouato
 Perducis facies: nam fratres inter ahemos,
 Somnia pituita, qui purgaſſima mittunt,
 Precipui ſunto, ſitq; illis aurea barba.
 Aurum vaſa Numæ, Saturniaq; impulit æra,
 Veſtaleſq; urnas, & Thuſcum fictile mutat.
 O curuæ in terris animæ, & cœleſtiurn inanes,
 Quid iuuat hoc templis noſtros immittere mores?
 Et bona dijs ex hac ſcelerata ducere pulpa?
 Hæc ſibi corrupto caſiam diſſoluit oliuo.
 Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus,
 Hæc baccam concha raſiſſe, & ſtringere venas
 Feruentis maſſæ crudo de puluere inſit,
 Peccat & hæc, peccat, vitio tamen vititur: at vos
 Dicite pontifices, in ſacro quid facit aurum?
 Nempe hoc, quod Veneri donata à virgine puppa.
 Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
 Non poſſit magni Meſſala lippa propago,
 Compoſitum tuus, faſq; animi, ſanctosq; recessus
 Mentis & incoctum generoſo pectus honeſto.
 Hoc cedo, vt admoneam templis, & farre litabo.

* letetur
 perrepidū
 cor.

NICO.

NICODEMI FRISCHLINI IN SA-
 tyram Secundam paraphraſis.

ET SI omnes dies vitę tuę, optime Macrine, felices ac *Laudat*
 fortunati ſunt: propterea quod tu illos bene beatęq; vi- *Macrinū.*
 uendo, laudatę tranſigis: tamen hodiernus dies præ cæteris *quod die*
 auſpicatus, & meliori calculo tibi numerandus eſt: non *luo natali*
 eō tantum quod natalis tuus eſt, & primus in hanc ſuauif- *honeſta à*
 ſimam lucē te protulit: ſed etiam quod huius anni ſpacium *Dijs petat.*
 ſuperioribus illis adiunxit: et vitam tuam hucvſque tam
 feliciter prouexit, vt hodię etiam cum amicis lætari & ani-
 mum relaxare poſſis. Itaque quod felix & fauſtum ſit, tibi-
 quę benę verat: hunc diem hilari animo celebra, & Ge-
 nio tuo vino ac thure ſupplica, vt is hunc diem multis an-
 nis felicem, ac lætum tibi referat. Neque enim tu aliorū ho-
 minum ſimilis eſ, qui vota dijs facturi etiam inhoneſta &
 turpia ab illis petere audent: eaquę neſcio quo iure, à Dijs
 (non ſecus ac ſi muneribus, & oblatiſ ſacrificijs eorum gra-
 tiam ſibi redemiſſent) tanquam ſibi debita expoſcunt. Nam
 tanta quorundam eſ dementia, vt Deos precaturi, remotis *i. Reprehēſio*
 arbitris in ſecretiorem locum aliquem ſecedant: & quę ſci- *ſio Roma-*
 re homines nollent, ea Dijs, tanquam ex hominum conſpe- *ni populi:*
 ctu remotis, committere non reformident. Et hodie quidem *qui à Dijs*
 bona pars Nobilium, & Romanorum Procerum, quoties *inhoneſta*
 natalem ſuum celebrant, nō apertę & palam ſacrificant, nec *& illicita*
 audientibus alijs ſuas ad Deum preces fundunt: nec præ- *petere ſole-*
 ſentibus arbitris thura acerris ſuis adolent: ſed vota in oc- *bat.*
 culto nuncupant, conceptiſquę verbis, & ſubmiſſa voce in *Voces præ-*
 templis obmurmurant. Nam ex maxima & frequentiſſima *cantiū ſub-*
 ſacrificantium turba pauciſſimos hodie inuenias, qui aper- *miſſæ.*
 to viuāt voto, & honeſta à Dijs precentur. Ac proinde omni-
 um difficiliſſimus nūc labor eſt, ſufſurros iſtos & murmura à tē-
 plis auferre, & noſtros homines ad piās apertasquę preca-
 tiones aſſuefacere: cum more iam receptum ſit, vt palam
 Dij rogentur, cum honeſta petuntur: arcanę verō preces ſi-
 ant, cum turpia eſſagitantur. Etenim procerum aliquis Io-
 uem pia & honeſta oraturus, & mentem bonam, fidem ac fa-

E

*Exemplū
tacite pre-
cationis :
qua res in-
bonestæ pe-
tuntur.*

mam bonam rogatus, clarè sua verba profert, & vt omnes audiant. Idem illicita petiturus, secum mulsitat, & clam sua vota Dijs immurmurat. Sic enim tacitus orat : ò Iupiter, vtinam patruī mei funus hodie repentè, tanquā bulla existat, & præclaram ipse mortem oppetat : vtinam, propitio Hercule, hodie seriam auro & argento onustam è rure meo rastroffodiam : vtinam pupillum, qui in testamento me prior hæres constitutus est, & quem ego proximus insequor, pulchrè expungere, & quoquo modo nomen eius è talibus eradere, vel ipsum etiam è medio possim tollere. Nam & iam antè scabiosus, ac multa bile infectus, vt propter vitiosos in ægro & morbo corpore humores diutius superstes fore non videatur. Aut si hoc mihi abs te, ò bone Iuppiter, impetrare non licet : tum saltem eodem modo, quo Nerium illum beasti, me quoque fortunare digneris. Is enim iam tertiam vxorem ad sepulcrum effert, & magnas inde opes consequitur. At ego superis inuisus nondum vnicam sepelire potui. Et hæc quidem turpissima vota, quoties nostri homines Dijs insurrantur, semper matutino tempore capitatis ablutione in Tyberi, septies purgari solent : & aquæ lustralis aspersione, labem corporis sibi metipsis abstergere conantur : vt casti scilicet, & puri Deos adituri, & res honestas ac sanctas ab illis petituri videantur. Sed heus tu improbilissime precator : responde mihi. Nam minima ac leuissima res est, quæ interrogare & cognoscere ex te cupio. Quid sentis de Ioue : à quo ista petere te non pudet ? est ne tantus Iupiter, vt eum cuiquam alij vel Deorum, vel etiam hominum ausis præferre, & anteponeere ? quòd si cuiquam : cui tandem antepones ? annè Staiō. Oppianico, homini sceleratissimo ? Quid an dubitas, præferre Staiō Oppianico Iouem. Opt. Maximum ? cedò, vter horum tibi melior iudex videtur ? vter pupillis & viduis aptior patronus. & tutor ? Iupitèr ne an Staius Oppianicus : quo homine inter mortales nemo vnquam vixit deterior, nemo profligatior ? Tanta enim illius in cognatos fuit crudelitas, vt Cluentiam vxorem, & C. Oppianicum fratrem, cum vxore grauida, appropinquante iam partu, veneno sustulerit. Quòd si Staius iste

Ceremonia, & simulatio pietatis in homine nequam, petituro in honesta à superis. Si à sceleratis hominibus nemo facile petit rem turpè, multò minus à Dijs optimis pendenda erit.

Ius iste Ioue sceleratior tibi videtur, vt certè est, agè, dic mihi, an ausis eadem ab illo petere, quæ à Ioue petijisti, aut eadem ad illum preces fundere, quibus Iouem sanctissimum alloqui, & placare tibi voluisti ? Dispeream, nisi auditis ille precibus tuis, continuo magna voce, prohi Iupiter, exclamet. At si Staius, aut quilibet alius profligatissimis ac perditissimis moribus homo, audita tuorum vtorum, quæ ad Deos facis, nefaria turpitudine : ad Iouè indignabundus exclamat, quomodo non credas, sanctissimum Iouè ad semetipsum exclamare, & summa indignatione ob preces tuas commoueri ? Quid enim tandem est, quod te adeò securum & pertinacè reddat ? An propterea tibi omnia impunè licere existimas, nec iratū tibi Iouem credis, quia nondum fulmine te percussit ? & cum tonaret, illicè citius quàm te domumque tuam sacro igne afflauerit ? An verò Iupiter tibi barbā Idcirco velli candā, sequè deridendū & votis tuis eludendū præbet : quia tu nondū in bidentalī iacueris, & pro fulminato, cæsis victimis extructisque aris, à procuratore expiatus fueris ? Aut qua tu tandè mercede, quibusue largitionibus Deorum aures corrupisti, aut quibus rebus tibi sic obnoxios Deos reddidisti, vt petèdi tibi nihil denegare ausint ? Nū sacrificijs hæc obtinuisti, & pinguibus hostijs ? Minimè omnium, opinor. Nā diuina maiestas vilissimis & abiectissimis pecudū intestinis & pulmonibus, haudquaquam perinde, vt casta & pura mēte hominis flecti & cōmoueri solet. Quare omnium stultisimi sunt, qui, cū animis sint impurissimis et sceleratissimis, interim Deū placare victimis, et oblationibus sibi gratiā eius demereri annituntur. Verum enimverò hac ipsa demētia longè maxima, nō minor est anicularū, & mulierū nostrarum infania, quæ liberis suis haudquaquam vera bona, sed leuicula tantum, et falsa noxiāque interdū à Dijs immortalibus exoptat, adhibitis insuper stultissimis ac ridiculis ceremonijs : quibus pueros suos modo nō incantare & fascinare cōsueuerunt. Videas alibi auiam aut superstitiosā materterā, quæ cunis nepotem eximat : & primū labra ac frontē illius medio digito, ieiunis saliuus antè madefacto, lustrat atque expiet, vt hoc ritu fascinationes et incantationes prohibeat : et virulētis oculorum

Impunitas scelerū non est argumētū gratiæ diuinæ. Sacrificia et victimæ nō possunt Dei gratiā emereri.

2. Reprehensio. Reprehendit vota et preces mulierum : quas illæ faciunt pro suis pueris.

intuentium radios repercutiat. Nam fœminas omnes, quæ duplices habeant pupillas, visu nocere, longa superstitione creditum est. Videas eandem mox puerum cunis eximere, saluvis lustrare, tractare manibus, ac fallaci spe de illo concepta, nihil aliud supplice voce à superis contendere precari quæ, quam, vt puer iste diues olim, et vir opulentus fiat: qualis Licinius ille Stolo fuit: cuius prædia & horti vbiq; terrarum inclaruerunt: qualis Crassus ille fuit, homo ditissimus: cui domus marmorea, & villæ erant magnificentissimæ. Sic enim preces suas componere solent istæ mulierculæ: vtinam, inquit, hic puer in maximorum principum augustissimas familias adsciscatur. Vtinam summî Reges & Reginae eum sibi generum exoptent: vtinam puellæ & virginæ, huius pueri venustate elegantiaque incitata, certatim eum ad suam consuetudinem & supra alliciant, rapiantque: vtinam quoquò locorum pedes ille fixerit, ibi continuo rosæ enascantur. Hæc suis alumnis, deliræ nutriculæ: hæc suis nepotibus, dementes auix: hæc suis liberis, stolidæ matres precari non verentur. Sed hæc vota, cum stulta impia, & nullo modo cõcipienda sint: ego superstitionis aniculis ea nequam mandauero. Tuque adeo, ô bone Iupiter, nunquam hæc illis annuito: sed surdis auribus quantum potes, ea præterito: licet aniculæ candidis vestibibus, sacrificantiũ more, pro istis rebus opem tuam implorauerint. Neque verò illi à te audiendi, votorumque cõpotes reddendi erunt, qui cum vitam longæuam, & bonam à Dijs valetudinem orare solent, interim gula & crapula omnis generis morbos, & immaturam senectam, adeoque mortem ipsam sibi accersunt. Quæ enim hæc stultitia est? quæ amentia? commodam valetudinem, ac neruofum robustumque corpus ad consequendam senectutem, à Dijs exposcere, & nimio interim luxu corpus affligere, sequere ipsum in ægritudinem, ac voluntarios morbos præcipitare? Nam vt maximè bona valetudo Dei donum sit, & ab ipso solo petenda ac speranda: tamen alia ratione quam vita sobria ac temperata, ab eodem impetrari non potest. Iouem enim cæterosque Deos immortales, vitam longæuam & prosperam valetudinem omnibus fauentes, nihil penè aliud

Petularum preces.

Exempli anilis precatationis.

Deprecatio poeta.

3. Reprehensio illorum, qui petunt à Dijs bonam valetudinem: quam ipsi luxu perdunt & gula.

liud remoratur, atque impedit, quò minus eam tibi annuat, quam lautiora cibaria, grandes patinæ, tuceta pinguis, & ferulorum ingluuiæ, quibus te ingurgitas, tuamque sanitatem spontè opprimis. Multos enim morbos multa fercula efficiunt; & sanitatem non nisi volentibus tribuere solet Deus. Itaque ridiculi ac stulti sunt, qui vires corporis è cœlo petunt: et impetratas in terra intèpestiuis cõuiuijs, cõmessationibus, ingurgitationibus perdunt, & easdè effœtas decrepitatasque vltro reddunt. Quid verò de illis nunc statuendum, qui dum locupletari & ditari à Dijs cupiunt, rem suam in sacrificia profundunt: & ferè singulis diebus pecudum suarum numerum imminuunt: quodque à Dijs per vota impetrant, id sua ipsi superstitione & debita opera rursus prodigunt? Mihi profecto hi homines prioribus illis nihilo meliores, aut saniores esse videntur. Nam quæ hæc amentia est, pecudes à Dijs petere, & illas deinde in sacrificijs immolare: quæ stulticia, opes exoptare, & bouem, agriculturæ ac laboris socium securi percutere? Etenim nostri homines à Dijs opes petaturi, da mihi, inquit, ô Mercuri, vt domus mea fortunata & locuples sit: da pecudum greges: da copiarum cornu, & omnium rerum affluentiam. At, ô stolidi & improbi homines, quo pacto Mercurius vestras augere possit diuitias, cum vos quotidie & rem & gregem vestrum, hac sacrificiorum frequentia comminuatis, ac tot iumentorum solida exta flammis adoleatis? Quasi verò Dij immortales pietate hominum non magis delectentur, faciliusque placentur, quam pecudum sanguine & intestinis ouium? Quis obsecro hanc insignem humanarum mentium stupiditatem non detestetur? & eò quidem magis: quoniã ad eam se intolerabilis quædam pertinacia accedat? Etsi enim plerique intelligunt, vitæ immis suis Deos non oblectari, neque sacrificijs huiusmodi gregem augeri, sed subinde magis ac magis rem decrescere: tamen opimis ac pinguibus fartis sacra facere non desistunt, semperque sperant aliquando fore, vt agri, & ouilia, & cæteræ res augentur, & crescant: donec tandem omni grege sacrificijs exhausto spe, sua se longè deceptos esse intelligunt: & seram in fundo parsimoniã frustra, exercent vbi iam nihil in arca reli-

4. Reprehensio illorum, qui diuitias & pecudum prouentum petunt: interim res & pecudes in sacrificijs & Hecatombas profundunt.

Portinacia sacrificantiũ pecudes.

3. Reprehē
sio vulgi:
quod opes
& similia
petiturum
à Dijs, au-
rum in or-
nandis sta-
tuis profun-
dit.

Priscorum
parsimonia
& frugali-
tas.
Dij non ca-
piuntur au-
ro & mu-
neribus.

quum esse animaduertunt. Neque enim pecunia domi in at-
ta relicta crescit, aut villo fœnore augetur: sed subinde ipsa
etiam imminuitur. Sed quid hoc mali, obsecro? aut quæ nam
hec execranda superstitio, quos nos fanatici homines, Deo-
rum voluntatē nostra cupiditate metimur: & aurum atque
hec terrę munera perinde illis, vt nobis, placere arbitramur?
Ita enim de Dijs iudicat imperita hominū multitudo, quasi
illi muneribus ac donis nō minus afficiantur, ac ceteri mor-
tales: quibus si donaria argentea, aut crateres auro ornati
atque insculpti offeruntur, magnō ipsi perfundi solent gau-
dio: præque summa læticia exultare, & lachrymas inter-
dum profundere, aut etiam sudorem emittere. Quod cum
Deos etiam facere, & donis itidem vt alios capi existiment
homines stulti: idcirco statuas & simulacra ex manubijs &
spolijs hostium aurare solent: Deosque suos penē totos au-
reos student effingere: præsertim eos, qui per somnū vitiosis
humoribus iam discussis, purgatissima ac syncerissima visā
mortalibus immittunt. Hos enim præcipuos illi habent, cē-
terisque Dijs longē anteponūt, & aureas iisdē barbas affin-
gunt. Nam hodie expulsis & abiectis è tēplo vasis æneis, &
vris fictilibus: quibus prisca illi homines iā olim Saturno,
& Numę Pompilio regnantibus, ad cultū Deorū utebantur:
pleraque vasa aurea in eorum locum successerunt: vt iam mi-
rum videri non debeat, quōd fictilibus vasis olim aurei ho-
mines, nunc fictiles et lutei homines, aureis vasis sacrificare
solent. Quasi verō auro & muneribus, ac non potius animi
synceritate, ac vitæ integritate Dij immortales capiantur &
oblectētur. Quasi nostri homines auro suo plus possint, quā
Saturnus ære, Numa fictilibus? O stolidi, atque anili supersti-
tione fanatici homines: ô abiectæ in terras animę: ô mentes
angustæ, humiles, prauę, oppletæ tenebris ac fordibus: quę,
nescio qua cœlestium rerum obliuione omnes cogitationes
vestras, à diuinis & æternis ad hæc terrena & caduca reuoca-
tis, & pecudū ritu, quas natura in ventrem prostrauit, etatem
vestram agitis. Quę enim hæc est voluptas, aut quę insania,
mores nostros in tēpla inferre, ac non potius inde efferre: tū
Deos immortales fœneratorū similes iudicare: qui se auro
& mune-

& muneribus capi atque corrumpi sināt? Quis est tam stultus *Nihil bonū*
aut credulus: qui iudicet, nos sceleratissimos, & omnibus *à malis boni-*
vitijs inquinatos homines, aliquid boni sacratissimis, & ab *minibus*
omni labe alienis Dijs offerre, & ex hac deprauata carne res *potest redi-*
sacras cœlitibus exhibere posse? Nā quibus & quantis scele- *re ad opti-*
ribus vitiosa hæc & omnibus peccatis obnoxia caro, sese in- *mos Deos.*
dies polluat ac maculet, nemo nō videt. Hęc enim vt splen- *Humanæ*
dida nireat cuticula, vnguētis & preciosis odoribus in oleo *naturæ cor-*
conseruatis, sibi fucum accersit: hæc, vt comitis ornata vesti- *ruptela.*
bus conspiciatur, lanas Tarentinas, purpura & murice tinge-
re monstrauit: hæc in sui cultū margaritas preciosissimas, &
vniones nobilissimos cōchis auellere, & auro includere do-
cuit: hæc ipsum aurum terrę venis eruere, & igni excoquere,
atque in massas redigere iussit: hæc animos hominem varijs
illicebis à cœlestiū rerū studio, ad terrena & mortalia auo-
cat, multisque peccatis eos contaminat. Et quanquā his omni-
bus rebus maximē peccant, & grauissimē delinquant homi-
nes, aliquam tamen inde voluptatem & fructum percipi-
unt. At verō ex auro, & muneribus preciosisque vestibus &
quę statuis Deorum offeruntur, nulla omnino ad Deos im- *Auri nul-*
mortales voluptas, nulla vtilitas redit. Dicite enim mihi vos *lum in tem-*
pontifices, in templis & Deorū sacris aurum quid faciat: aut *plis esse v-*
cuiquam res proficit? Equidem mea sententia tantundem pro- *sum.*
desse aurum videtur statuis, quantū Veneri profunt cereæ,
aut lanæ pupæ, & imagines puellarēs, quas nupturę virgi-
nes in templum afferre, & Dæ consecrare solent. Vt enim
harum puparum nullus in templo vsus est: ita nullum ex
auro templis illato, vel ad Deos vel ad homines emolu-
mentum redundat. Quare cum victimarum multitudinem,
& aurum argentumque Deos à nobis expetere non videam-
us, longē alia munera illis exhibenda erunt, quā
quæ diuites nostri, & clarissimi illius viri Messalæ Cor-
uini degeneres posterī, in templis offerre possint. Quæ *Quibus re-*
nām illa? Animus iustitiæ & æquitatis amans, & sancti *bis Dijs de-*
ac puri mentis recessus: tum pectus longo virtutum at- *lectentur.*
que honestatis vsu perfectum, atque ab omnibus prauis
cupiditatibus purgarum & liberum. His enim rebus solis

Deos placari & oblectari scio : atque, ut ipse etiam hæc sanctissima munera illorum aris admouere : & tam puro casto, quæ farre dijs immortalibus litare possim, omnibus precibus eisdem oro atque obtestor.

A. PERSII FLACCI
SATYRA TERTIA.

N Empe hoc assidue. iam clarum manè fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas.
Sterimus, indomitum quod despumare falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Iandudum coquit, & patula pecus omne sub ulmo est.
Vnus ait comitum, verumne? itane? ocyus adsit
Huc aliquis: nemon? turgescit vitrea bilis,
* Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.
Iam liber, & bicolor positus membrana capillis,
Inq; manus chartæ, nodosaq; venit arundo.
Tum querimur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa uanescat sepia lymphæ,
Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.
O miser, inq; dies ultra miser, huccine rerum
Venimus? at cur non potius teneroq; columbo,
Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis? & iratus mamma lallare recusas?
An tali studeam calamo? cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur, effluis amens.
Contemnere: sonat vitium percussa maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Vdum, & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota. sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum, & sine labe salinum.

Finditur,
Arcadiæ.

Quid metuas? cultrixq; foci securæ patella,
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmata quod Thusco ramum millefime ducis,
Censor emue tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute noui.
Non pudet ad morem discincti viuere Natta?
Sed stupet hic vitio, & fibris increuit opimum
Pingue, caret culpa, nescit quid perdat, & alto
Demersus, summa rursum non bullit in unda.
Magne pater diuum scuos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Mouerit ingenium, feruenti tincta veneno,
Virtutem videant, intabescantq; relicta.
An ne magis Siculi genuerunt ara iuueni,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis,
Purpureas subter ceruices terruit? imus,
Imus præcipientes, quam si sibi dicat, & intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat vxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam paruus oliuo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere, ab insano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis,
Iure etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet, angusta collo non fallier orca,
Ne quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi in expertum est curuos deprendere mores,
Quæq; docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus insomnis, quibus indetonsa iuuentus
Inuigilat siliquis, & grandi pasta polenta.
Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstrauit limite callem.
Stertis adhuc? laxumq; caput compage soluta

Quia

F

Oscitat hesternum dissutis undiq; malis?
 Est aliquid quò tendis, & in quo dirigis arcum?
 An passim sequeris coruos, testag; lutoq;
 Securus quò pes ferat, atq; ex tempore vivis?
 Helleborum frustra, cum iam cutis agra tumebit,
 Poscentes videas: venienti occurrere morbo.
 Et quid opus Cratèro magnos promittere montes?
 Disciteq; ò miseri, & causas cognoscite rerum,
 Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
 Quis datus, aut meta quàm mollis flexus, & vnda,
 Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
 Vtile nummus habet, paritè, charisq; propinquis:
 Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
 Iussit, & humana qua parte locatus es in re
 Disce: neq; inuideas quòd multa fidelia prætet
 In locuplete penu defensis pinguibus umbris,
 Et piper, & perna Marsi monumenta clientis,
 Menaq;, quòd prima nondum defecerit orca.
 Hic aliquis de gente hircosa centurionum
 Dicat, quòd satis est, sapio mihi, non ego curo:
 Esse quòd Arcesilas, arumnosq; Solones
 Obstipo capite, & figentes lumine terram,
 Murrura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
 Atq; exporrecto trutinantur verba labello,
 Aegroti veteris meditantès somnia, gigni
 De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.
 Hoc est quòd palles: cur quis non prandeat, hoc est.
 Hos populus ridet, multumq; torosa iuuentus
 Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos:
 Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus, & agris
 Fauicibus* exuberat grauis halitus. inspice fodes,
 Qui dicit Medico iussus requiescere, postquam
 Tertia compositas vidit nox currere venas,

*exudat.

De ma.

De maiore domo modicè sitiente lagena
 Lenia loturo sibi Surrentina, rogauit.
 Heus bone, tu palles, nihil est, videas tamen istud
 Quicquid id est: surgit tacitè tibi lutea pellis.
 At tu deterius palles, ne sis mihi tutor.
 Iam pridem hunc sepeli, tu restas. perge, tacebo.
 Turgidus hic epulis, atq; albo ventre lauatur,
 Gutturè sulphureas lentè exhalante Mephites.
 Sed tremor inter vina subit, calidumq; trientem
 Excantit è manibus, dentes crepuere reiecti,
 Vincta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
 Hinc tuba, candela, tandemq; beatulus alto
 Compositus lecto, crassisq; litatus amomis,
 In portam rigidos calces extendit, at illum
 Hesterni capite inducto subiere Quirites.
 Tange miser venas, & pone in pectore dextram.
 Nil calet hic: summosq; pedes attinge, manusq;
 Non frigent, visa est si fortè pecunia, siue
 Candida vicini subrisit mollè puella,
 Cor tibi ritè salit, positum est argente catino
 Durum olus, & populi cribro decussa farina.
 Tentemus fauces, tenero latet ulcus in ore,
 Putre, quòd haud deceat plebeia radere beta.
 Alges cum excussit membris tremor albus aristas.
 Nunc face supposita feruescit sanguis, & ira,
 Scintillant oculi, dicensq;, facisq;, quòd ipse
 Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

NICODEMI FRISCHLINI IN SATYRAM TERTIAM PARAPHRASIS.

AGE verò, etiam de moribus iuuentutis dicamus: cuius audacia atq; malitia eò nunc progressa est, ut speretis

F 2

*Reprehen-
dit iuuen-
tutem scho-
lasticam:
& vitia il-
lius per-
stringit.*

*Primum
vitium iu-
uentutis
pigritia &
sommolen-
tia.*

*Mores som-
nolentorū,
quando ex
pergefacti
ad scholam
properant.*

amicorum ac præceptorum monitis, sola generis nobilitate & opibus freta, omnem virtutem negligat: crapulæ & somno studeat: suisque monitoribus, qui meliora suadent, audacter & pertinaciter obstrepat, eosque derideat. Dicat enim aliquis præceptor, vel etiam sodalis ad suos somnolentos atque inertes discipulos: quos circa meridiæ adhuc stertentes in lectis reperit. Quæ hæc, ô pueri, tanta segnitie: quæ hæc socordia, adolescentes, quod sic in multam vsque lucem stertitis? Quæ ista intemperies, quod nocte intempesta conuiujs & comessationibus indulgetis: & clara dein luce, neglectis literarum studijs, crapulam sic edormiscitis? Nempe hoc fiet assidue: nempe pigritiæ atque inertie vestrae nullus erit modus: Euigilate ignaui, malè habiti, malè conciliati: & animis vestris illum veteris excutite. Nam clara lux iam dudum ex aëre, fenestras penetrat, rimisque ædium angustissimis sese innuat, ac totam domum perlustrat. Nos tamen adhuc stertimus, & somnum ad quintam vsque diei horam producimus: perinde ac si tempus hoc diurnum, hesternæ crapulæ edormiendæ, & mero concoquendo, ac non potius laboribus & studijs continuandis destinatum sit. Hem quid agis tu somnolente? cur non surgis? Nam æstuosa canicula cum sole exorra, iam dudum messes calore suo percoquit, ac segetes maturat: tum pecudes, medio iam appetente die, umbras querunt, & sub patulis arboribus requiescunt. Hoc ubi audiunt ignaui, & sese ultra tempus dormiuisse intelligunt, vix tandem è somno expergefacti è lectulis prorepunt. Videas ibi somnolentiorum aliquem, qui, quod hesternam comessationem nondum concoxit, caput rursus deponit: sed mox voce contubernalis monitus, & denuò excitatus, primum de hora diei interrogat: & verane Magister, aut quicumque alius admonitor dixerit, oscitanter admodum inquirat: deinde re comperta, famulos suos magna voce inclamitat: & vt sibi quam celerrimè cum vestimentis accurrant, stomachosè imperitat. Quod si tum nemo seruulorum ocyus illi præstò sit, tanto ille commouetur stomacho, tantaque bile & iracundia inflammatur, ac rumpitur, vt clamore eius audito, asinum quendam Arcadicum rude re arbi-

re arbitreris. Tandem ubi magno labore è somno excitatus, lectoque expulsus est, vix tandem sera iam meridie librum & chartas, & raras membranas cum calamo in manus accipit. Hic audire est varias excusationes, varios prætextus: quos inertie tegendæ causa piger ille comminiscitur, vt sic discendi laborem & ludum literarium subterfugiat. Tum enim queritur, quod atramentum aut nimis crassum sit, & Excusatio- calamo fixum adhæreat, aut nimis tenue, & propter infu- nes, quibus sam aquam nimis fluidum, & quod inter scribendum eu- pigri & som- nescat, & perfluat, vt non raro geminæ guttæ pro vna in pa- nolenti su- am inerti- am excu- sant. semper habet humana inertia quo tædium laboris excuset, discendi que molestiam declinet. At ô miseri, & indies semper miseres: hucine ignauiæ peruenimus, vt in acquirendo virtutis habitu nihil laborare velimus: & molliem insuper hanc nostram confictis mendacijs tegere & excusare studeamus? Quod si inerti tantum ocio, & brutis voluptatibus perfruendis nati estis, cur non vos adolescentes, aut palumbibus delicatissimis, quos natura molles & venereos procreauit, aut etiam regum ac principum liberis, qui dapi- bus aluntur lautissimis similem vitam agitis: cur non illorum more inescari vos ipsos permittitis? Cur non iterum pappare vultis? cur non mammis & nutriculis vestris irati, lallare & ablandiri studetis? cur non ad omnem pristinam infantiam reditis, & perpetuam pueritiam agitis? Quid enim aliud est, virtutem negligere & Philosophiæ præcepta contemnere, quam semper puerum atque infantem esse? Dices fortasse, an tali atramento, & hoc calamo studeam? In- Obiectio telligo: Sed obsecro te, cuiam verba das, aut cui os sub- pro defen- linis? cuiam istas verborum ambages tam odiosè succinis & dendis in- Neque enim tu magistrum, qui in officio te continere studet, ertie præ- sed te ipsum vanis istis excusationibus, & vocum circuitio- textibus: nibus turpiter fallis ac decipis? Nam tua hæc res agitur: de Ignauis se tuo corio luditur. Si enim tempus ignauo perdas ocio, & ipsos pro- frugis non sis, ac velut rimosum vas huc atque illuc perflu- dunt suo- as, tunc temetipsum omnibus contemnendum ac deridendum iudicio. expones: tuoque te iudicio prodes. Vt enim fidelia rimosa,

aut malè cocta, vbi digito percussa fuerit, malè tinnit, & ipso sono emtori vitium indicat: ita puer aut adolescens, cuius animus philosophiæ præceptis, aut honestis moribus non benè excultus est: ipso sermone, & omnibus vitæ actionibus vitiosum animi habitum aperit: & conuersantibus semetipsum prodit. Et quoniam argillæ similes sunt pueri, ac lutu more, fingi resingique possunt, ideo præceptorum est nos imitari figulos: & quemadmodum illi rota, ex informi luto fidelias atque ollas effingunt, ita ipsi rudes puerorum animos, omni mora sublata philosophiæ institutis informant, atque expoliant: tum vitia interdum & prauas cupiditates lentis ferulis ac fustibus eorundem animis excindunt. Sed video ego cogitationes vestras, ignauè adolescentibus. Multi enim vestrum, quia diuites & opulenti sunt, idcirco hæc studia negligunt: neque literis bonis sibi incumbendum putant. Ac proinde illorum aliquis dicet mihi: Quid ego, aut quem metuam? An non ego maiorum meorum virtute diues sum satis? Aut quid adhuc desit mihi: cui è paterno rure annum frumentum abundè provenit, & cui purum in frugali mensa salinum splendet? Quid amplius requiram, quàm mundum & securum, omnique perturbatione liberum victum? sit sanè vita tua sic comparata, vt dicis: at, obsecro te, satisne hoc est: te mediocres & vitæ necessarias possidere diuitias? Satisne tranquillam & ociosam in hoc æuo vitam te agere? Quid è antu, quia diuitijs & opinione maiorum niteris, idcirco cristas erigis? an te propterea superbire, & studia literarum decet contemnere. An, quia ex Hetrusca nobilitate millissimum ramum ducis, & equestri trabea amictus, ex equo nitido & phalerato censorem tuum salutare potes: idcirco inflari, & inani fastu turgere te conuenit? Quin tu ista leuicula ornamenta, quæ præter inanem pompam, nihil in se habent, populo relinque. Vulgus enim præter externam speciem, velut trabeas equestres, regios & comtos equos, nihil intueri, nihil admirari solet. Mihi verò hac externa larua haudquaquam poteris imponere. Nam ego intus & in cute te noui: omnesque animi tui latebras penitissimè

*Admonitio
ad præce-
ptores*

*Secundum
iuuentutis
vitium su-
perbia ob-
diuitias es-
opes: ac ge-
neris nobi-
litem.*

*Contra fa-
stum No-
bilitatem.*

tissimè perspectas habeo. Sed obsecro, an non te pudet, maiorum tuorum gloria tantopere te efferrì, ac supercilium propter natalium splendorem, tam altè erigere: interim vere virtutis adèò nullam rationem habere, vt abiectissimos homines, ac perditissimos quosque ardeliores, qualis Natura est, quàm maiores tuos imitari malis? Equidem Natta hic, & consimiles deplorati, ac perditì homines: quia vitijs suis quasi callum obduxerunt: & scelerum isti gurgites, ab domini suo nati, ad frugem reduci non possunt, ideoque culpa quodammodo carere, & ignorantia solum peccare mihi videntur, quasi qui nesciunt quid agant, aut quid perdant. Quippe tam alto vitiorum barathro immergi sunt: sequè ipsos in tot flagitia ingurgitauerunt, vt rursus inde emergere, & ad sanam mentem redire non queant. Tu verò adolescens, qui per ætatem vitijs nondum induruisi, & adhuc corrigi atque sanari potes: (præsertim cum habeas monitores, qui te optimarum disciplinarum studijs informant, quique honestorum & turpium discrimen ob oculos tibi statuunt) an vllam mereberis veniam, si omnibus disciplinæ capitris nequiter excussis, ab humanitate ad beluinam feritatem recedas, & sceleratissimorum hominum vestigia sequaris? Nam vt maximè venia nunc te ipsum digneris: ac tibi ipsi benignè ignoscas: & securo ociosoque animo virtutem contempnas, fera nihilominus scelerum tuorum conscientia olim torqueberis, & fraude atque audacia tua, tanquam furiarum rædis ardentibus, deorū immortalium impulsu perterreberis. Tuque adèò, bone Iuppiter, in impios & consceleratos tyrannos, quos effrenata animi cupiditas in omnia libidinum genera præcipitat, certiore pœna nolis animaduertere: quàm vbi simul omnibus flagitijs vita eorū inquinata fuerit, tum mente conceptum venenum, non modo elui non possit, verum vsque eò permanet ad animum, vt summus inde furor atque amentia consequatur. Quod enim supplicium maius tyranno afferri possit, quàm si stimulis cōscientiæ ob impiè sceleratèque cōmissa, ita agatur ac perterreatur, vt virtutè à se contemptam videat, cognoscaturque, & cū summo dolore, flagitiorum suorum recordetur? An enim nos eum hominè, qui gæno Phalaridis:

*Tertiū. vi-
tū ætatis
neglectus.*

*Sera iuuen-
num peni-
tentia in se-
nescitute.*

*Male con-
scientiæ
quanta cari-
nificina.*

tauro inclusus succensis ignibus torretur, maiori cruciatu torqueri putabimus, quam impios & consceleratos homines, quos mala vexat atque excruciat conscientia? Quid? An Damoclem illum, in maiori metu apud Dionysium fuisse credamus: cum in exquisitissimo cenæ apparatu fulgentē gladium è lacunari, seta equina appensum purpuratis suis ceruicibus impendere aspiceret: quam in quo metu sint miseri & infelices illi, quos assidua domesticæque furie dies noctesque excarnificant, neque vlllo loco tutos sinunt cōquiescere? An non miserimus est, qui recordatione fraudum & facinorum suorum, simulac virum bonum conspexerit, vecors repente sine vultu, sine colore, sine voce consistit? An non ille perditissimus est, qui animi morbum, ne vxori quidem arctissimæ concredere, ne dum alijs fidere, aut aliunde remedium & solatium audet expetere? An non infelicissimus est omnium, qui seipso iudice damnatus, pœnam semper ob oculos versari iudicat, & auribus suis hanc vocē perpetuò insonare putat: perijisti, perijisti: nec vlla spes salutis reliqua est, præter vnam omnium miseriarum voraginem, in quam tibi præcipiti eundum est? Quòd si, ô adolescentes, nihil vos à vitæ turpitudine ad honestatis cultum auocabit, auocare certè debet, vel ætatis vestræ, vel temporum horum cōmodissima oportunitas: quando ad studium virtutis, & literarum culturam diligentibus nihil deesse potest. Nam & ego iam olim puer, desertis virtutum ac liberalium studiorum castris, voluptates sectari, & ludis indulgere cœpi: sed vitio tamen magis ætatis, quam deprauato animi habitu. Sæpè enim (quod memini) lectionis audiendę pertæsus, vt discendi laborem subterfugerem, lippitudinem simulabam, & oleo sanos oculos inungebam, ne declamationē de morte Catonis Vticensis, aut aliam rem grauem memoriæ mandare, eamque coram parentibus, & amicis recitare cogerer. Etsi enim non ignorabam me hoc modo, & laudē mihi ipsi, & parentibus atque cognatis gaudium & lætitiā comparaturum: tamen inertiam ac desidiā honesto studio & gloria potiorem habebam. Neque verò id à me factum iniuria. Nam propter iudicij inopiam, meliora tum non perspexeram, a-

A suo exemplo petit rationē, qua probat iuuenes negligere ætatem suā, & sequi praua studia.

ram, adeoque summum mihi puero bonum videbatur, talorum & tesserarum ludo teneri, iactum arte corrigere, & lucrū inde facere. Tum præcipuè mihi in votis erat, scire quid in tesseriis valeret senio, & quantum lucri afferret: quid contra damni pararet in talis canicula, & quantum lucro adimeret. Scire item in votis erat, qua arte taxilli in turriculam mitterentur: ne, si angustiori collo aberrassem, iacturam facerem. Denique præcipuum erat hoc mihi studium: vt trocho aptè luderem, ne quis alius puerorum in tota esset ciuitate, qui turbinem melius torquere, & habena posset circumagere. Atque hoc quidem ea ætate commisi, quæ & imbecillis est, & suapte natura procliuis à labore ad inertiam. Quo nomine adhuc veniam aliquam consequi posse videor, vt qui affectu magis, quam deprauato & vitioso animi habitu deliquerim. At tu, cum per ætatem vsu iam confirmatam, honestum à turpi, & bonos mores à malis discernere quamfacilimè possis: & virtutis insuper viam ab optimis præceptoribus in schola iam pridem edoctus sis, quomodo inertiam tuam excusabis? qua fronte istam desidiā tuam defendes? Nam quicquid Stoicorum illa porticus, in qua Themistoclis & Perfarum pugna Athenis depicta cernitur: quicquid ipse Chrysiippus, sapientissimus philosophus, iuuentutem suam docuit, id omnne tibi exploratum & cognitum est. Quin etiam omnia iam dudum percepisti præcepta institutæque philosophiæ: quibus detonsi iuuenes atque insomnes noctu diuque inuigilant, suo se defraudantes genio, & victu modico, ac tenuissima polenta & siliquis contenti. Tum verò ipsa Pythagoræ litera, quæ gemino ramo duas mortalibus vias, vnam virtutis, alteram voluptatis commonstrat: ad virtutis semitam, tanquam altera illa feliciorem, iam dudum te reuocat. Nunquid adhuc stertis, & somno inertięque indulges? Nunquid voluptatibus adhuc frenum laxas? Nunquid Philosophiæ & virtuti nullam vnquam dabis operam? Nunquid ita semper oscitaberis & hesternam crapulam, laxato commestationibus capite, distractisquæ malis tuis, testatam facies omnibus? Ehd, dic mihi, an tu nunquam ad frugem peruenies? An certum vitæ studiorumque genus, ad quod omnes tuas actiones

Opponit suo exemplo, tanquam excusabili malitiam iuuentutis inexcusabilem: cum meliora intelligat, & tamen sequantur deteriora.

*Quartum
vitiū iuuen-
tutis, perti-
nacia in su-
is delictis:
et quod nul-
lum sibi vi-
tæ genus
certum de-
ligūt: quod
summæ le-
uitatis est.*

*Quo semel
est imbuta
recens, ser-
uabit odo-
rem testa-
di.*

*Debortat-
ur à pro-
crastinatio-
ne ad ma-
turā virtu-
tis et philo-
sophiæ ser-
uam.*

referas; tibi nunquam constitues? Quid? an nondum viam aliquam viuendi certam ingressus es? certoque ætatis transigende cursu implicaris? an nullus omnino tibi finis est propositus, quo vitam tuam, & omnia consilia velut ad metam & scopum dirigas? an sine omni ratione, sine omni consilio, modò huc, modò illuc, paullo momento impelleris? an in diem viuus, & nihil animo & cogitatione de crastino com-plecteris? At caue, inquam, ne idem tibi sic fluctuanti eueniat, quod pueris & aucupibus, volucres incautius persequentibus, euenire consuevit. Vt enim aucupes, cum sine ratione oculis sursum sublatis aues lapidibus aut luto insectantur, neque ea, quæ ante pedes sunt, prospiciunt, frequenter in foueas incidunt, aut certè pedè offendunt: ita qui certum vitæ cursum, quem potissimum sequantur, ab ineunte pueritia non constituunt, neque futura prouident, eaq; præcauent, ij in maximas misérias, & summas calamitates plerunq; deueniunt. Quas vt singulari tu deuotes studio, tibi maturo opus erit consilio atq; remedio. Nam principijs obstandum antequam mala longiori mora inualescāt. Vt enim morbi, cum semel in homine inueterauerint, postea nunquam, aut ægrè curantur, & frustra helleborum, aliaque remedia tentantur, vbi iam conclamatum est: ita vitia adolescentiæ, vbi semel animo radices egerint, & cum ætate increuerint, difficulter postea recidi, animoque euelli possunt. Quare vitijs & animi morbis temporari occurrendum est, dum adhuc pullulascunt: & mala hæc philosophiæ adiumento, & doctrinæ auxilio propulsanda, dum adhuc sanari & corrigi possunt. Quid enim proderit tibi aureos montes Cratæo præstantissimo Medico polliceri, vt fanitati te restituat, vbi iam morbus inueteratus, & planè incurabilis fuerit factus? Quid proderit tibi philosophos accersere, teque illis excolendum dare: cum ætas tua iam segnior & languidior, & ad literas discendas planè inepta fuerit? O miseri & stolidi adolescentes: hæc literarum studia, virtutumque exercitia, haudquaquam in senectutem reiicienda, aut diu proroganda sunt: sed ad-
huc.

huc tenera ætate, & annis iuuenilibus tentanda. Nam hoc ætatis tempus solum est idoneum perferendis laboribus: solum idoneum agitandis per studia ingenijs: solum idoneum exercendis, per operationes corporibus. Reliquum verò, & segnius & languidius est, & propius tendit ad finem. Discite igitur hac tenera ætate rerum causas ex naturali philosophia inquirere. discite vos metipfos cognoscere. discite, quos & quales nos in hunc mundum natura procreauerit: quem viuendi ordinem, quam perpetuitatem cuique largita sit: quam breuibus, angustisque limitibus hanc vitam corpusque nostrum incluserit: quam citato ac veloci cursu iuuenilis ætas prætereat. discite, quæ fragilitatis huius, quæ humanæ inconstantis causa sit: discite, qua mediocritate pecuniæ & opes non solum quærendæ, sed etiam erogandæ sint. discite, quæ bona homini aut fugienda aut experenda veniant. discite, quis verus diuitiarum vsus sit, & quantum in collocando beneficio cuique elargiri deceat. discite, quid parentibus, quid amicis, quid propinquis, quid ipsi patriæ, cuius cognatione nulla potest esse propior, tribuere & præstare debeatis. discite sorte vestra, in quam Deus nos collocauit, contenti esse: & ea, qua natæ estis conditione viuere, nec maiora viribus conari, neque res non necessarias moliri. discite postremò non inuide-æ alijs, quos meliori fortuna splendere cernitis, præsertim patronis & iureconsultis. Nam horum in ædibus aurea argenteaque vasa à reis donata conspiciuntur plurima. horum penu condito pipere, optimisque pernis, & lautissimis quibusque cibarijs (hæc enim famelici clientes illis afferunt) semper instructum est. horum denique viuaria mœnis & orcis, cæterisque delicatis piscibus, qui ex Umbria & Mæsia, ad diuites istos patronos redeunt, nunquam destituuntur. Cum enim philosophia isthæc fortunæ ludibria contemnere, & nihil præter virtutem admirari nos doceat, merito omni studio, omni opera & labore illi incumbendum est, vt nos, despectis omnibus fortunæ telis sapientes & rerum periti, patriæ

*Contra no-
biles.*

*Obiectio,
quod studio
si philoso-
phie sint
ærumnosi
& miseri,
contempti-
que homi-
nes.*

*Responsio
ad hanc ob-
iectionem:
qua Nobi-
les nostri
& suos &
alios homi-
nes à litera-
rum studijs
deterrent.*

& propinquis viles, ac forte nostra contenti, hanc fragilem & caducam vitam benè beateque transigamus. Neque moremur, quid hoc loco vociferentur putidi nostri centuriones & nobiles: quos hispida & proluxa barba, & alarum foetor formidabiles efficiunt. Hos enim si quis ad studium Philosophiæ exhortetur, statim illi dicturi sunt: quid mihi cum miseris & ærumnosis Philosophis? An ab alijs sapientiam edocear, cum egomet mihi ipsi satis superque sapiam: & sponte mea bonum à malo, pulchrum à turpi queam dignoscere? Absit, ut ego philosophorum similis esse cupiam: qui obstipito & inclinato incedunt capite: qui oculis in terram fixis, homines insalutatos prætereunt: qui canum rabidorum more, cogitando & meditando, secum murmurant, & dentibus, nescio quid, taciti infrendunt: qui inflatis buccis, & porrectis labijs singula verba trutinant ac ponderant: & tamen præter inanes nugas, & friuola phreneticorum hominum somnia, nihil sani proferunt, nihil commode differunt. Quid enim aliud philosophorum libri docent, inquit isti bonarum rerum despectores, quam ex nihilo nihil fieri, & nihil in nihilum interire? Quasi verò ista scire profit, aut ignorare obsit. discantibus? Quid? quod philosophi studio literarum nimium vacantes, & vitam suam parcè ac duriter agentes, omnibus voluptatibus semetipsos defraudant, & tandem in morbos etiam sese coniiciunt? Nam hoc est cur ita palleant: hoc est, cur impransi & incœnati studijs inuigilent. Denique si nihil aliud à philosophiæ cultu adolescentem absterreat, certè contentus ille philosophorū eos abstertere poterit. Hos enim, inquit, indoctum vulgus extremo habet ludibrio: hos robusti & lacertosi iuvenes distortis naribus irrident: hos etiam pueri immodicis calumnijs exhibant: hos plerique omnes homines plus æquo subsannant. Concedo sanè hæc omnia, & philosophicam vitam dico non modò duram & grauem, sed etiam pessimorum hominum sibilis atque ludibrijs esse expositā. Sed heus tu, foetide atque hircose centurio: an propterea negligenda sunt literarum studia, quòd vitam requirunt sobriam & laboriosam? an philosophia propterea abijcenda, quia

da, quia indocti homines, & pessimi quique eam contemnant, atque rident? Quod si æger medico morbum suum indicauerit, eumque in consilium adiuverit, neque consulenti tamen morem gesserit, ac mortem proinde oppetat, cui culpa imputabitur? Nam inuenias febricitantem aliquem qui medicum de morbo suo consulat, eumque his verbis compellet: Quæso te Medice, inspicere, quid ista trepidatio pectoris sibi velit: quid grauis iste oris anhelitus, qui ægrè exiit dat è faucibus: quid, inquam, mali portendat. Sodes inspicere, & consilium mihi tuum impertire: ac uictus rationem præscribe. Medicus hac ægri voluntate cognita, & causa morbi perspecta, quia tertianā metuit, iubet eum quiescere, & vino ac balneis abstinere ad quartū diem. Quid sit? Vbi ille post tertium diem meliusculè habere se intelligit, & noctem vnam atque alteram tranquilliolem egit, mox oblitus Medici, priusquam dies quartus appetat, vinum Surrentinum, tanquam lenius & mitius, lagenæ capaci è domo aliquis diuitis afferri, sibi que exhiberi postulat, & balneum intrare properat. Reuersus ad eum die constituto, Medicus hominem obiurgat, & vini ac balnei vsum denuò dissuadet: quoniam adhuc æger & pallidus sit, necdum febris omninò remiserit, sed quartana iam imminere videatur. Verum ille se pallere negat, & iam penitus conualuisse contendit. Nam si Medicus illi pallorem obijciat, eumque admonet, ut nolit hoc, quicquid sit mali, floccipendere: ne fortè in hydropem aut alios grauioribus morbos incidat: quandoquidem cutis illi intumescat, & fluorem nunc aliquem contrahat, tum sanè æger iste non solum Medico benè consulenti obsequi recusat, sed illum insuper iurgijs atque ludibrijs afficit, ac minis etiam insectatur. Ait enim Medico: tu me multò deterius palles, ac proinde tuam potius quam meam valetudinem cura: nisi tu idem experiri voles, quod alius quispiam tutor meus nuper expertus est. Nam is, cum itidè vini & balnei ac cæterarum voluptatum vsum mihi inuideret, à me sepultus est. Et tu Medice, si eandem in me potestatem, quiduis mihi interdicens tibi arrogaueris, etiam à me sepeliseris. Quare tu cum ista hac oratione, qua odiosus

*Exemplo
febricitan-
tis & me-
dici osten-
dit: cui no-
ceant No-
biles, sibi
ne, an phia-
sophis &
viris doctis
quando eos
contemunt.*

mihî es, hinc faceffe. Obsecro te adolescens, quid tu hîc a-
 cturum esse censes hunc Medicum? Nonne puras eum his
 iurgijs & minis deterritum, ægroto sibi met ipsi relicto, abi-
 turum: eiqûe, vt ita pergat, dicturum esse? Sed audi nunc
 quem finem, & qualem vitæ exitum æger ille tandem sortia-
 tur. Nam spæcto in hunc modum Medico, & minis à se re-
 lecto, voluptates corporis sectatur: genio indulget: ventrem
 opplet: it lauat, omniaqûe agit, quæ corpori suo ab-
 blandiuntur. Sed tandem grauis & teter anhelitus, quem
 ore expirat, mortem non procul abesse significat. Vix enim
 poculo arrepto, dum in ipso vino exhauriendo adhuc oc-
 cupatus est, tremor manibus incidit, & calicem cum vino ex-
 cutit. Tum dentium insequitur stridor, & vomitus, quo
 crudi adhuc & indigesti cibi ex ore reijciuntur. Paulò
 post bellus iste & beatulus Nobilis, fato miserimè fun-
 ctus lecto componitur, preciosisque unguentis perfundi-
 tur, & pedibus foras porrectis ad ianuam deponitur, do-
 nec tandem post legitimos dies, præeuntibus siticinibus
 cum tubis & facibus rigidum illi funus ducitur: seruiqûe
 paucos ante dies libertate & pileo donati, herum suum hu-
 meris impositum, porta ad sepulcrum efferunt. Age nunc
 Iepide centurio, dic obsecro: cui nam iste nobilis ado-
 lescens potissimum nocuerit, sibi ne ipsi, an verò Me-
 dico: cuius salubria præcepta ita contemptim habuit, vt
 mortem illi insuper comminatus fuerit? Vter illorum
 prior diem obiit? Medicus quidem adhuc vivit, & o-
 mni culpa: sed ægro isti iam funus ducitur. Quòd si iu-
 uenes ad eundem modum contempta philosophia, & omni
 honestate neglecta in vitia incidunt, sibi que ipsis infa-
 miam, dedecus & animi corporisque exitium accersunt,
 cui tandem nocent? sibi ne, an philosophis, quos explo-
 serunt, & cachinnis suis exhibilarunt? Philosophi qui-
 dem nihilo habent deterius, & in statu suo permanent,
 sed iuuenes interim pereunt. Verùm obijciat mihi petu-
 lans aliquis adolescens: se adhuc sano esse corpore, ne-
 que vllò iam morbo tentari, cum arteriarum pulsus, ma-
 nu attractus nullum calorem, nullam febrem indicet:
 neque

*Applicatio
 præsentis
 argumēti
 ad exem-
 plum.*

*Obiectio
 quod non
 febricitet
 omnes ado-
 lescentes.*

neque vlla sit pectoris palpitatio, aut trepidatio: neque
 extremi pedes manusque frigeant: ac proinde nullo Me-
 dicorum auxilio se indigere. Sed facile erit, quod responde-
 am. Etsi enim tu nullo corporis morbo affligeris, aliæ
 tamen febres sunt, quæ non modò animum tuum pertur-
 bant, ac vitiant: sed corpus etiam ipsum astu, ac libidi-
 ne inflammant, vlcibus erodunt, frigore concutiunt,
 feruore incitant. Quænam illæ? Nempe avaritia, libido,
 mollities, timor, iracundia. Nam si fortè pecuniæ acqui-
 rendæ spes tibi obtigerit, aut formosa aliqua puella tibi
 blandæ & suauiter arriserit: tum pectus tuum libidine,
 quasi febrî accensum trepidat & venæ subito amore inflam-
 mata subsultant. Aut si quando tenue olus, cum pane
 cibario, & aliæ viliores escæ tibi apponantur, ibi tu excu-
 satione valetudinis tuæ vteris. Nam fauces tibi exulcera-
 tas esse, & graui morbo vexari dicis: ideòque vulgari beta
 haudquaquam radendas, neque insipido, aut illiberali ci-
 bo tentandas esse affirmas. Sin verò timore aliquo ob ad-
 uersam fortunam afficeris: iam non modo manus & pedes,
 omniaque membra tibi frigescunt, sed pili etiam capitis
 terrore concutiuntur, & metu, tanquam febrili horrore,
 eriguntur. Denique si ob acceptam iniuriam alicui irasceris,
 non minori igni ac feruore accenderis: quàm is, qui conti-
 nua febrî estuat: aut qui subiectis furiarum tēdis ardentibus
 in rabiem agitur. Nam iracundia sanguinem inflammat,
 spiritus turbat, oculos inficit, vocem & verba mutat:
 adeoque totius corporis habitum de statu suo præcipitat.
 Quoniã irati homines ea interdum dicunt & faciunt, quæ
 etiam insanus & furiosus Orestes improbet. Quare cum a-
 uaritia & libido animū tuum cupiditate inflamment: lu-
 xus & deliciae fauces tuas exulcerent: timor & metus
 frigore & horrore membra tibi concutiant: denique ira-
 cundia feruore & æstus corpus iuxta & animum tuum cor-
 rumpat, non minus istis malis è philosophia, quàm alijs mor-
 bis è Medicina, auxilia remediisque petenda & adhiben-
 da erunt. Quod cum ita sit: ego centuriones & nobiles
 nostros, qui omnes bonas artes & disciplinas despiciunt,

*Responsio;
 quòd ex ani-
 mi prauis
 affectibus
 omnes fe-
 bricitent
 tam corpo-
 re, quàm a-
 nimo.*

*Auaritia
 et libidinis
 febricula.
 Gula &
 luxus febrî
 cula.*

*Timoris fe-
 bricula &
 paroxys-
 mus.*

*Ira febrî
 cula.*

Conclusio.

nequaquam audiendos esse censeo : sed illis neglectis philosophos colendos : & excusso veterno literas discendas : tum omnib. prauis libidinibus, & animi cupiditatibus reiectis, virtutem exercendam, sine qua benè beatequè viuere non possimus.

A. PERSII FLACCI
SATYRA QVARTA.

Rem populi tractas? barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.
Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli,
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda, tacendaq; calles.
Ergò ubi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calida fecisse silentia tumba
Maiestate manus: quid deinde loquere? Quirites
Hoc puto non iustum est, illud malè, rectius istud.
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, ubi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis? Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, & assiduo curata cuticula sole.
Expecta, haud aliud respondeat hæc anus: I nunc
Dinomaches ego sum: suffla. sum candidus: esto,
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cum bene discincto cantauerit ocyma verna.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo,

Quæstio-

Quæsieris: nostin' Vectidi prædia? cuius?
Diues arat Curibus, quantum non miluus oberret.
Hunc ais? hunc, Dys iratis, genioq; sinistro,
Qui quandoq; iugum pertusa ad compita figit:
Seriote veteris metuens deradere limum
Ingemit, hoc bene sit: tunicatum cum sale mordens
Cæpe, & farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam facem morientis sorbet aceti.
At si unctus cesses, & figas in cute solem,
Est prope te ignotus cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores, penemq; , arcanaq; lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vuluas.
Tu cum maxillis balanatum gausape petas
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
Quing, palestrita licet hæc plantaria vellant,
Elixasq; nates labefacient forcipe adunca:
Non tamen ista filix villo mansuescit aratro.
Cadimus, inq; , vicem præbemus crura sagittis,
Viuitur hoc pacto, sic nouimus: ilia subter
Cecum vulnus habes, sed lato baltheus auro
Protegit: ut manus, da verba, & decipe nervos
Si potes. egregium cum me vicinia dicat,
Non credam? viso si palles improbe nummo,
Si facis in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Ne quicquam populo bibulas donaueris aures.
* Respice quod non es, tollat sua munera cerdo:
Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

* aliàs
Respue.

NICODEMI FRISCHLINI IN
Satyram Quartam Paraphrasis.

SI Socrates, Atheniensis philosophus, qui malorū inuidia cicutam bibere, & mortem oppetere iam olim coa-

H

Reprehendit infantiam Neronis Imp. sub persona Alcibiadis.

Gestus pueriles.

Oratio & vox puerilis. ironia.

Crudelitas Neronis.

Largitiões & crimen ambitus.

ctus est, hodiè Romæ viueret: & hosce rerum publicarum gubernatores cerneret: haud dubiè iisdem verbis illos obiurgaret, quibus Alcibiadem Periclis pupillum, apud Platonem idem reprehendisse legitur. Cum enim nostri principes neque vi orationis, qua populos regant: neque sapientia, qua leges stabiliant: neque autoritate, qua bonos tueantur: neque vlla virtute imperatoria sint præditi: optimo iure ad vnumquenq; eorū dicere posset Socrates: O Alcibiades, tu ne Rempublicam capeſſis? Tu ne ad rerū gubernacula aſſides? Dic, quā fronte? quā autoritate fretus? An Scilicet vltra iuuenilem ætatem ſapis, & propter multarū rerum vſum, quem ante pubertatem tibi comparasti, dicenda tacendāq; egregiè noſti? Nam quoties orta ſeditione, concitatam ira multitudinem ſedare, & turbam componere, verbisq; reprimere. aggredieris: primo omnium vultus autoritate, & manus maiestate ſilentium indicis: deinde commotos hominum animos grauiſſima oratione mitigas, & ad ſanitatē reuocas. At quomodo loqueris? Quiritēs, inquis, hoc mihi non iuſtum videtur, hoc malū, hoc multò rectius. Egregia verò oratio, & digna te, tãto principe. Ea enim tibi inest prudētia (ſi Dijs placeat) ea rerum peritiã, vt iuſtum ab iniuſto verum à falſo, bonum à malo non aliter poſſis diſcernere, quàm ſi gemina lance ancipitīs libræ illa appendas, & in ſtatera tua examines. Verum enim uerò tu inſuper, ea ſeueritate præditus es ſcilicet, vt vitioſis & reis hominibus, triſtem illam damnationis literam, & mortiferū ſignum theta præſigere, & pro arbitrio tuo quemlibet reum abſoluere, aut condemnare poſſis. Sed heus tu, Alcibiade (nam omiſſis ludis, ſeriò tecū agam) quæ te libido impulit, vt populo adulari, & largitionibus corrupta plebe, ad honores & magiſtratus aſcendere tentaueris? Quæ intemperies te agitauit, vt triumphali veſte, & externa ſpecie homines in fraudem & errorē induceres? Etenim pauci tua luculenta vitia prænouerant: pauci inſignem nequitia frontis inuolutam tegumentis præuiderant: pauci tarditatem ingenij, ſtuporem debilitatemq; linguæ explorauerant. Nunquam antè audita erat vox in foro: nunquam periculum factum conſilij. Obrepiſti ad honores Reipublicæ er-

roræ.

rore hominum, commendatione fumofarum imaginum, nō virtute. Itaque meracis hellebori portionibus, quibus cerebrum tibi expurgetur, quàm imperij adminiſtrationi aptior multò videris. Si quis enim de ſummo bono te interroget, & quem vitæ finem tibi propoſueris, ex te quærat: tum idem reſpondere ſoles, quod ex Epicuri hara producti voluptarij. Quid enim, inquis, aliud ſit ſummuſ bonus, quàm laureæ extructa menſa, & conchylijs atq; piſcibus adornata? Quid aliud quàm precioſis vnguentis & multis delitijs curata cuticula? Quid aliud quàm vita omnibus moleſtijs libera, & tota voluptaria? Atqui haud aliud tibi delira & ſtolidã anus reſpondeat, ſi tu eam de ſummo & vltimo bonorum ſine interroges. Sed quàm turpe hoc eſt, quàm ſœdum, quàm Rei publicæ gubernatore indignum: ſi nō plus ſapiat quàm vetula, aut anus decrepita? In nūc Alcibiade & Cliniæ atq; Dinomaches filiū te eſſe factita, et generis tui nobilitate formęq; præſtantia, & alijs fortunę ludibrijs ſuperbi. Eſto enim quod & claritate maiorū, generisq; ſplēdore, & vultus elegantia omnes alios antecedas: quid tamē iſta proderunt, ſi quęlibet pannola ancicula, & mulier paupercula, quæ ſeruis olera & herbas in foro cū cantilena vendit, cōſilio & prudentia te nō ſit inferior? Itane verò comparatū eſſe, vt hodie pleriq; homines ſuperciliū erigant: neque quiſquā in ſeipſum deſcendat, neque vitia ſua agnoſcat, ſed vnusquisq; alienos mores in oculis habeat, ſuis verò in tergū reiectis ſolū id mātice ſpectet, in quo aliena peccata repoſuit? Nā hodie inuenias aliquē, qui interrogatus de Ventidio Baſſo, an prædiã illius nouerit, nō de prædijs, ſed ſtatim de auaritia illius reſpondebit. Quem enim, inquit, tu Ventidium dicis? aut cuius prædiã nominas? An illius, qui in Sabinis tantum agrorum poſſidet, quantum vix vno die miluius oberrare poſſit? Num de eo Ventidio quæris, qui ita ſordidus, ita illiberalis eſt, vt in ipſo Compitaliorum feſto, quo alij ruſtici ſuſpenſis aratriſ cibo lautiori veſcuntur, nihil opiparum, nihil lautum, nihil elegans in victum adhibet? Nam menſa tum illi ſolis cæpis ſubrancidis, & modico ſale, & pulte farrata extruitur. Vbi dein veterem aliquam ſeriolam releuerit Ventid-

Vita voluptaria & beluina.

Superbia ob generis antiquitatem.

Reprehensio illorum, qui alios culpant, ſua vitia ignorant.

Homines interrogati de prædijs Ventidij, reſpondent de illius auaritia. Ventidij Baſſi auaſ vitia & ſordes.

dus : & vappam inde depromserit, tum in mensa dijs lari-
bus libaturus, etiam vota facit : Quod dii lares, inquit, mi-
hi quæ familiæ quæ bene vertant; hodie ipsi compitalia ce-
lebro. Simul his dictis, cæpas cum sale, & pulvem deuorat:
ac postea facem emortui acetii, omnibus pueris & domesticis
auaritiæ & sordes illius ridentibus, pleno ore exorbet. De
hoc sanè Ventidio si me interrogas, satis mihi notus est. At
ego te, ardelio, quisquis es, non de Ventidij sordibus & aua-
ritia interrogaueram, sed de Ventidij prædijs: vtrum tibi ea
nota essent, an secus. Sed age: quia tu tanta libertate Venti-
dij sordes culpasti, feras nunc vicissim patienter, si, quod tu
in alijs tam acerbè reprehendis & carpis, Ventidius & alij
in te regerant. Nam si ea quæ uis pergis dicere: ea quæ non
uis, audies. Etenim si tu mollis & delicatus, ac foëminarum
more vnguentis delibutus fueris, tæq; ipsum ocio & balneis
dederis, non minus vitiorum tuorum castigatores habitu-
rus es, quàm alij quorum tu mores tanta seueritate, & tam a-
cri censura reprehendis & corrigis. Est enim quispiam pro-
pe te, sed adhuc tibi ignotus, qui mollitiæ & libidine tua con-
specta, subinde te admonet, & cubito te tangit, atque in-
mores tuos acerrimè inuehitur, ac despuit. Quid enim, in-
quit, cinæde an te pudenda tua depilare, te quæ ipsum effœ-
minare decet an immutato naturæ ordine cinædum te age-
re, & meretricum more te populo prostituere decet an im-
pudicissimi corporis quæstum facere te decet an femora
tondere & barbam vnguentis balanitis delibutam, & ma-
dentes cincinnorum simbrias, ac fluentes cerussatâsque buc-
cas gerere te decet? quid an hæc ipsa te frustra tentare, &
inanem operam ludere decet? Nam vt maximè temetipsum
leuem atque glabrum efficere coneris: nihilominus tamen
tuus ille curculio, inter pilos & filices sic rigescit, vt quin-
que robustissimi athletæ plantaria ista, & horridas setas, nul-
lis forcipibus euellere, nullis aratris excindere, nullis ligoni-
bus possint effodere. Quid ad hæc obiecta crimina tã atrocita-
tam quæ nefaria respondes, qui Ventidium tam falsè norare,
atque eludere didicisti? An non intelligis, cum hæc Venti-
dus, alij quæ homines de te passim diuulgant, dignas ab illis
vices

*Recrimina-
tio illius,
qui Ventidi-
um fuerat
criminas-
tus.*

*Nefaria li-
bido impor-
tuni casti-
gatoris alio-
rum.*

*Fæda hæc
sunt in ho-
minem se-
dum.*

vices tibi rependi? Nam si tu & ipsum, & alios ita fugilla-
re, & Ventidij auaritiæ insectari nosti, meritò illi te recri-
minantur, ac detestandam libidinem hanc tibi obijciunt.
Atque ita fit, vt dum singuli in aliorum vitam ac mores in-
quirimus, vicissim alij in nostros inquirent: & nostri mores
alijs, alieni nobis displiceant. Nam idem nobis vsu venit,
quod militibus in prælijs: qui multa in hostem tela immit-
tunt, multa ab eodem recipiunt: & mutuis tandem vulne-
ribus concidunt. Eodem namque pacto nos etiam domi-
viuimus, & viuere didicimus, vt semper alij alios contem-
nant, eludant, rideant: neque quisquam sit, qui vitia sua a-
gnoscat, multo quæ minus ab alio reprehendi, & moneri se
patiatur. Quin imò nonnulli vitia sua tam callidè dissimu-
lare, & tegere possunt, vt interim etiam viri boni à vulgo
haberi ac dici velint. Sed quemadmodum ridiculus fuerit,
qui vulnus subter ilia acceptum tegere, & aureo baltheo
imposito occultara velit: ita omnium stultissimus, qui sce-
ra & flagitia sua generis splendore, aut opibus & auro op-
palliare, & quodam veluti furco, atque teætorio inducere co-
natur. Nam vt miles iste vulneratus, alijs quidem homini-
bus imponit, & verba dat, vires autem & neruos suos non
decipit: ita vitiosus & sceleratus homo, eos quibus ignotus
est, oculis, supercilijs, fronte, opibus, honore & nobilitate
fallere, decipere atque in errorem inducere potest: se verò
ipsum, reclamante conscientia decipere non potest. At in-
quies: cum vicini omnes, & totus Romanus populus virum
egregium & præstantem virtutibus me dicant: an fidem il-
lis non habeam? Respondeo: siquidem tu talis es, qualem
illi te prædicant: age fidem habeto: sin verò avarus es, &
oblata pecuniæ cupiditate raperis: si lasciuus es, & omnia
facis quæcunq; tibi libido suaserit: si foëneratores, & obæ-
ratos acerbissimis exactionibus premis, grauisissimæque v-
suris flagellas: frustra certè virum te probum & egregium ex
populi sermone credas: frustra adulatorum mendacijs cre-
dulas aures accommodes; cum tu longè alius sis, quàm te illi
prædicant. Quamobrem aliorum assentationes negliges, &
qui non es, is neque haberi, neque dici velis: & ista verbo-

*Studij re-
prehendendi
mutuum à
simili illu-
stratur.*

*Vitia sua
nonnulli
frustra te-
gunt.*

Obiectio.

Solutio.

*Qualies
quisq; sit,
hoc melius
ex sua con-
scientia,
quàm ser-
monibus
aliorum de-
prehendat.*

rum lenocinia, ac vana adulatorum blandimenta suis relin-
que autoribus: neque alibi te ipsum, qui sis, quam in temet-
ipso inquire Nam si in domo tua, tecum ipso habitaueris,
tenuem tuam supellectilem facilius cognosces, quam foris:
& si mores tuos ipse inspexeris, teque ipsum & conscientiam
tuam de vita tua examinaueris, virtutum & honestatis
inopiam facile in te ipso deprehendes.

A. PERSII FLACCI
SATYRA QUINTA.

V Atibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum,
Fabula seu mæsto ponatur hianda Tragedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum:
Quorū sum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunt,
Si quibus aut Prognos, aut si quibus olla Thyestæ
Feruebit, sæpe infuso cœnanda Glyconi.
Tu neq; anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum graue cornicaris inepte,
Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, iunctura callidus acris
Ore teris modico, pallentes radere mores
Doctus, & ingenio culpam defigere ludo.
Hinc trabe qua dicas, mensamq; relinque Mycenis
Cum capite, & pedibus, plebeiæq; prandia noris.
Non equidem hoc studie, bullatis ut mihi nugis

Pagina

Pagina turgescat, dare pondus idonea sumo.
Secreti loquimur, tibi nunc hortante camæna
Excutienda damus præcordia, quantaq; nostra
Pars tua sit, Cornute, anima, tibi dulcis amice
Ostendisse iuuat: pulsa dignoscere cautus
Quid solidum crepet, & picta tectoria lingua.
Hic ego centenas ausim deposcere voces,
Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi.
Voce traham pura, totumq; hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pauido custos mihi purpura cecidit,
Bullaq; succinctis laribus donata pependit,
Cum blandi comites, totaq; impune Suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo,
Cumq; iter ambiguum est, & vita nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi suppositi, teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu, tunc fallere solers
Apposita intortos ostendit rogula mores,
Et premitur ratione animus, vinciq; laborat,
Artificemq; tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Vnum opus, & requiem pariter disponimus ambo,
Atq; verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hos dubites amborum federe certo
Consentire dies, & ab uno syderè duci,
Nostra vel equali suspendit tempora libra:
Parca, tenax veri, seu nata fidelibus hora
Diuidit in geminos, concordia fata duorum,
Saturnumq; grauem nostro icue frangimus unâ,
Nescio quod certè est, quod me tibi temperat astrum.
MILLE hominum species, & rerum discolor usus.

Velle suum cuiq; est, nec voto vivitur uno.
 Mercibus hic Italus mutat sub sole recenti
 Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
 Hic satur irriguo mauult turgescere somno:
 Hic campo indulget: hunc alia decoquit: ille
 In venerem est putris. sed cum lapidosa chiragra
 Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
 Tum crassos transisse dies, lucemq; palustrem,
 Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
 At te nocturnis iuuat impallescere chartis,
 Cultor enim iuuenum purgatas inseris aures
 Fruge Cleanthea: petite hinc iuuenesq; senesq;
 Finem animo certum, miserisq; viatica canis.
 Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid (quasi) magnum?
 Nempe diem donas: sed cum lux altera venit,
 Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
 Egerit hos annos, & semper paulum erit ultra.
 Nam quamuis prope te, quamuis temone sub uno
 Vertentem sese frustra sectabere canthum,
 Cum rota posterior curras, & in axe secundo.
 Libertate opus est, non hac ut quisq; Velina
 Publius emeruit, scabiosum tessera far
 Possidet: heu steriles veri, quibus una Quiritem
 Vertigo facit hic Dama est, non tresis agaso?
 Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax,
 Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
 Marcus Dama? papè Marco spondente recusas
 Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
 Marcus dixit: ita est: assigna Marce tabellas.
 Hac mera libertas? hanc nobis pilea donant?
 An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
 Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sum
 Liberior Bruto? Mendosè colligis, inquit

Stoicus

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.
 Hæc reliqua accipio, licet, ut volo, vivere, tolle.
 Vindicta postquam meus à pratore recessi,
 Cur mihi non liceat insit quodcumque voluntas,
 Excepto si quid Masuri rubrica vetauit?
 Disce, sed ira cadat naso, rugosaq; sanna,
 Cum veteres auias tibi de pulmone reuello.
 Non pratoris erat stultis dare tenuia rerum
 Officia, atq; usum rapida permittere vita.
 Sambucam citius caloni aptaueris alto.
 Stat contrà ratio, & secretam gannit in aurem,
 Ne liceat facere id, quod quis vitiauit agendo.
 Publica lex hominum, naturaq; continet hoc fas,
 Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.
 Diluis helleborum, certo compscere puncto
 Nescius examen, vetat hoc natura medendi.
 Nauim si poscat sibi peronatus arator
 Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
 Frontem de rebus, tibi recto vivere talo
 Ars dedit, & veri speciem dignoscere calles,
 Ne qua subarato mendosum tinniat auro,
 Quaq; sequenda forent, & qua vitanda vicissim,
 Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.
 Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis,
 Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes,
 Inq; luto fixum poscis transcendere nummum,
 Nec gluto sorbere saluam Mercurialem.
 Hæc mea sunt, teneo, cum verè dixeris, esto
 Liberq;, ac sapiens Pratoribus, ac Ioue dextro.
 Sin tu, cum fueris nostræ paulò antè farinae,
 Pelliculam veterem retines, & fronte politus
 Astutam vapido seruas sub pectore vulpem,
 Quæ dederam supra, repeto, funemq; reduco:

I

Nil tibi concessit ratio, digitum exere, peccas,
 Et quid tam paruum est? sed nullo thure litabis,
 Hareat in stultis brevis ut semuncia recti.
 Hac miscere nefas, nec cum sis cætera fossor,
 Treis tantum ad numeros satyri moueare Bathylli.
 Liber ego: unde datum hoc sumis tot subdite rebus?
 An dominum ignoras, nisi quem uindicta relaxat?
 I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,
 Si increpui, cessas nugator, seruitium acre
 Te nihil impellit? nec quicquam extrinsecus intrat
 Quod nervos agitet? sea si intus, & in iecore agro
 Nascuntur domini, qui tu impunitior exis,
 Atq; hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?
 Mane piger stertis, surge, inquit auaritia, eia
 Surge: negas: instat, surge inquit: non queo: surge,
 Et quid agam? rogitas? en, saperdam aduehe ponto,
 Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa.
 Tolle recens primus piper è sitiente camelo,
 Verte aliquid, iura, sed Iuppiter audiet cheu,
 Vare regustatum digito terebrare salinum
 Contentus perages, si viuere cum Ioue tendis.
 Iam pueris pellem succinctus, & ænophorum aptas
 Ocyus ad natiem, nihil obstat, quin trabe vasta
 Aegæum rapias, nisi solers luxuria antiè
 Seductum moueat, quò deinde insane ruis? quò?
 Quid tibi uis? calido sub pectore mascula bilis
 Intumuit, quam non extinxerit urna cicuta.
 Tùm mare transilias? tibi torta cannabe fulto
 Cæna sit in transtro? Veientanumq; rubellum
 Exhalet rapida lesum pice sessilis obba?
 Quid petis, ut nummi, quos hic quincunce modesto
 Nutrieras, per agant auidos sudore deinceps?
 Indulge genio, carpatamus dulcia, nostrum est

Quod

Quod uiuis, cinis, & manes, & fabula fies.
 Viue memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor, inde est.
 En quid agis? duplici in diuersum scinderis hamo.
 Hunc cicine, an hunc sequeris? sibeas alternus oportet,
 Ancipiti obsequio dominos alternus oberres.
 Nec tu cum obliteris semel, instantiq; negaris
 Parère imperio, rumpi iam uincula dicas.
 Nam luctata canis nodum arripit, at tamen illi
 Cum fugit, à collo trahitur pars longa catena.
 Daue citò hoc credas tubeo, finire dolores
 Præteritos meditor, crudum Chærestatus unguem
 Abrodens ait hac: an siccis dedecus obstem
 Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
 Limen ad obscænum frangam, dum Chrysidis udas
 Ebrius ante fores extincta cum face canto?
 Euge puer sapias Dijs depellentibus, agnam
 Percute, sed censer' plorabit Daue relicta?
 Nugaris? solea puer obiurgabere rubra,
 Ne trepidare uelis, atq; arctos rodere casses.
 Nunc ferus, & uiolens, at si uocet, haud mora, dicas,
 Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accersor, & ultrò
 Supplicet, accedam: si totus, & integer illinc
 Exieris, nunc nunc, hic hic, quem querimus, hic est.
 Non in festuca, licetor quam iactat ineptus.
 Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
 Cretata ambitio? uigila, & cicer ingere largè
 Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
 Aprici meminisse senes: quid pulchrius? at cum
 Herodis uenère dies, unctaq; fenestra
 Disposita pinguem nebulam uomuere lucernæ
 Portantes violas, rubrumq; amplexa catinum
 Cauda natat thymni, tumet alba fidelia uino,
 Labra moues tacitus, recutitq; sabbata palles.

I 2

*Tunc nigri lemures, ouoq; pericula rupto.
Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos
Incussere deos inflantes corpora, si non
Prædicitur ter manè caput gustaueris alli.
Dixeris hæc inter varicosos Centuriones
Continuò crassum ridet Vulpenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.*

NICODEMI FRISCHLINI IN

Satyram Quintam Paraphrasis.

*Laudatur
Cornutum
sui in phi-
losophia
Stoica præ-
ceptorem,
immitio dif-
ficultatem
laudandi
ostendit:
& centum
sibi ora po-
stulat.*

Obiectio.

Quod poetis in more est positum, ut quoties rem aliquam grandem ac tristem tumido & tragico orationis genere persequi, aut Parthicam cladem, aliosue miseros, & calamitosos bellorū exitus heroico carmine describere volunt, plerunque centum voces, centumque linguas, & centum ora sibi exoptent: idem nunc planè mihi etiam vsu venire intelligo. Etsi enim nec tragicum argumentum, nec tristem bellorum fortunam, sed tantum humiles satyras contexo: tamen quia ad te, Cornute, potissimum hæc nostra instituta est oratio: idcirco non minus quàm tragici aut heroici rerum scriptores, centum mihi linguas, & centum voces inesse percipio: ut hoc, quicquid est argumenti, digna oratione, ac iusta verborum magnificentia persequi & absolute possim. Equidem in hac insolita hisce temporibus ratione scribendi, materia talis se offert mihi, in qua principium orationis, aut vnde primum ordiar inuenire sit difficile, citiusque mihi verba, quam res defutura videatur. Quæ enim tatra potest existere vbertas ingenij? quæ tanta dicendi copia? quod tam diuinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit ea, quæ apud animum meum cogito, non dicam complecti orando, sed percensere enumerando? At quorsum hoc? inquires: aut quo tandem consilio tam inflatum, tamque turgidum dicendi genus exoptas, ut centum ora ac totidem linguas tibi inesse velis? Nam isto orationis lenocinio, & his verborum nebulis, vocumque

ampullis, grandiloqui nostri, & tibi inuisi vates propemodum uti solent: quoties aut Prognos, aut Thyestæ cœnam descripturi sunt, & fabulam aliquam tractaturi, quæ Glyconis, aliorumque insulforum histrionum gestu olim representari possit. Tum enim omnes ex Helicone Musas accersunt: omnesque deos & deas obtestantur & inuocant, ut in opere suscepto sibi opitulari, & benignè adesse velint. Tu verò, inquires, Persi, neque turgidas & grandiloquas poetarum orationes sequeris, neque ventosos folles: quibus auræ accepta, & in ignem emissa, ferrum excoquitur, buccas inflando imitaris: neque occulta & pressa voce, ut solent philosophi meditantés, nescio quid tecum obmurmuras: neque cornicum more ineptè garris, aut sine mente sonum edis: neque etiam distentas buccas, graui verborum strepitu tanquam sclopo dirumpis. Quorsum igitur hac tragica orationis pompa, & hoc vocum nitore indiges? Quin tu (dicas mihi) omiſſa Thyestæ cœna prandium plebeium appara: & neglecto scribendi genere turgido & ampuloso, materias humiles ac tenues philosophico & urbano orationis filo persequere. Quin tu hominum vitam ac mores acri censura, & sale Satyrico perfringe: quin tu aliorum vitia ingenuis, & liberalibus iocis eludenda castigandaque tibi propone. Rectè equidem, mi Cornute, & probe me mones. Neque enim hoc iam studeo, ut nugis & inani verborum strepitu mea turgeat oratio: aut ludicris futilibusque rebus mihi auctoritatem & pondus conciliet, fumo, quàm fama dignior grandiloquentia. Nam ego scripta mea hæcenus propterea domi secreta continui, neque ea in publicum exire passus sum: quòd scirem ea ad popularem plausum, & vulgi fauorem aucupandum inepta esse. Nā accersitis istis verborum pigmentis, & inutili fucò mea destituta esse non ignoro. Verum longè aliud quiddam hac Satyra mihi est propositum: cuius ornandi gratia aliquantò sublimiorem dicendi, scribendique rationem ac vim, vberioremque copiam non immeritò exoptaturus mihi videor. Tibi enim summam animi mei erga te beneuolentiam, & gratitudinem verbis nunc declarare constitui: ut quanto amore te prosequar, quibus studijs te com-

*Responso
ad obiectio-
nem.*

plectar, hac Satyra ostendam. Nam quæ animorum nostrorum, & quàm arcta sit coniunctio, vt omnibus planum fiat, nihil recusato, quin tu animum meum diligenter explores: periculumque de me facias: & quemadmodum ij, qui ollas emunt, digitis eas pulsare, & solidè ne, an rimosè sint, è tinnitu iudicare solent: ita tu diligenti adhibito in me examine, penitus indagés: an syncerè & candidè, an verò subdolè & fucatè tecum agam: ac præter simulata quædam orationis integumenta, & linguæ tectoria, nihil hic afferam. Atque vtinam hoc loco, quemadmodum in initio precatus sum, centum voces, centumque linguæ mihi inessent: vt amoris erga te mei copiam, & beneuolentiæ huius, qua te complector, abundantiam, ac magnitudinem possem demonstrare. Nam ita te animo meo infixi: ita cordis inclusi te penetralibus, vt nulla oratio penitissimas illas animi latebras, in quibus ego te reposui, aperire aut referare possit: nulla dicendi vis atque copia tanta sit, quæ arcanum mentis nostræ erga te fauorem explicare, atque enarrare, nedum verbis augere, atque oratione ornare valeat. Quapropter si pro tuis immortalibus in me meritis, tibi parum cumulatè gratias egero: quæso obtestorque ne meæ naturæ potius, quàm magnitudinè tuorum beneficiorum id tribuendum putes. Etenim quoad longissimè potest mens mea respicere spacium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari vltimam: inde vsque repetens, te video, mihi principem, & ad suscipiendam atque ingrediendam rationem horum studiorum extitisse. Nam vt primùm pueritiæ custodè, pretextum abiecti, & auream bullam dijs laribus consecraui: & vt primùm magistri vitæ & præceptores, non nihil laxato disciplinæ capistro, adultiori ætati meæ indulserunt: & ipsemet ego, virili toga sumta amores sectari, & in omnia diuerticula, omnesque ganeas totius suburræ, oculos corpori conijcere: & vt primùm in deligendo & constituendo vitæ genere, rationes iniui: dubius adhuc, propter imbecillitatè consilij, vtrum Pythagoricè literè ramum sectari, aut vtram viam, voluptatisne an virtutis ingredi melius esset: ibi tu demum tua disciplina me excolendum suscepisti: & præceptis institutisque philosophiæ, iam inde ab adolescentiâ, & teneris annis ad humanitatè me inform-

*Amorè suū
erga Cornu-
tū esse ve-
rum, non
fictū præ-
occupatio-
ne docet.*

*Primū &
maximum
Cornuti in
Persium
beneficiū:
laudabilis
in vita ad
virtutem
institutio.*

informasti: tibi quæ ita me consociasti, vt quoad possem liceret quæ, à tuo latere nusquam discederè: tuaque prudentia fierem doctior, & honestis actionibus peragendis aptior ac promptior. Ac profectò mea me haudquaquam fefellit tum de te concepta opinio. Nam vt primùm in familiaritatè tuâ receptus sum: & studijs doctrinarum liberalium, optimarumque artium disciplinis adhibitus: dici non potest, quàm breui tempore, adolescentiæ studijs abiectis ad frugem redierim: & quàm citò his regulis virtutum, quas tu vitæ meæ solenter accommodabas, præteritæ ætatis morès emendauerim. Te enim magistro, prauas animi cupiditates refrenare, & appetitum longius euagantem in gyrum rationis perducere celeriter addidici. Quemadmodum enim periti artifices vultum in ceram, aut in formè argillam manibus suis inducere, & imaginem aliquam solent imprimere: ita tu animum meum rudem atque impositum doctrinæ adiumento expoliuisti, & ad honestatem vitæ, ac morum perduxisti, optimarumque rerum cognitione solertissimè imbuiisti. Nam & consuetudine quotidiana ita coniuncti fuimus: atque ita dies noctesque vnà viximus, vt non modò cōmune tecum mihi esset hospitium, sed idem etiam victus, & omnium consiliorum studiorumque societas. Sæpe enim totos dies differendo consumpsimus: sæpe primas noctis partes inter ipsas epulas disputando decerpimus: sæpe in mensa id ipsum tempus, quod alij conuiujs, aleæ & commestationibus tribuunt, nos ad studia nostra recolenda & res serias tractandas reuocauimus. Denique tanta inter nos morum bonorum similitudo hæcenus semper fuit: vt etiam nunc eadem vtrique aut placeant, aut displicant: & ambo operas nostras aut pariter exerceamus, aut ab illis pariter requiescamus. Ex quo mihi dubium non est, neque etiam alij cuiquam esse debet: quin arctissima hæc animorum coniunctio, & studiorum iste consensus, à fatali quadam cæli influentia dependeat: & vnum aliquod sidus, idemque horoscopus arctissimè nos deuinciat. Siue enim diuina prouidentia, quæ neminem fallit, nostrorum animorum spacia libra æquali suspendit: siue concordem vtriusque vitam geminorum virtute

*Illustrat rē
à simili.*

Altera Cornuti laus à familiaritate quotidiana cum Persio.

Tertia laus à similitudine morum: penè fatali.

A comparatione aliorum illorum stratrem.

Sera malorum hominum penitentia.

Quarta laus Cornuti ab honestatis studiis.

Quinta laus à docti munere: quod honesta etiam alios doceat.

dispensat, & digerit: siue nos ambo communi Iouis benignitate, Saturni inclementiam vincimus: aliquod certe astrum est, quod ortu suo vtriusque animum hac tanta concordia, & hac mutua benevolentia coniungit, atque inter se copulat. Alij quidem homines alijs rebus delectantur: & vnumquenque sua quædam voluptas trahit: neque iisdem studijs omnes capiuntur, neque vno voto inter homines uiuitur: sed eadem penè est sententiarum in animis, quæ specierum, & figurarum in corporibus varietas. Sunt enim nonnulli negotiosi, qui lucri gratia ad remotissimas gentes itinerata, terra & mari suscipiunt, factaque commutatione mercium, piper & alia preciosa aromata in Italiam important. Sunt alij quos ubi laborum & negotiorum periculum est, genio ipsi gulæ quæ indulgere, & somno torpere malunt, quam aliquid utile, nedum honestum agere. Aliqui etiam ludicras res, & campestris exercitationes sectari solent. Non pauci reperiuntur, qui rebus turpibus student, & sordido aleæ ludo operam dant: aut etiã in Venerem, atque in inconcessas voluptates proiecti, nefarijs & effrenatis libidinibus se polluant. Sed hos facti sui plerunque serò admodum poenitere, & accepto damno sapere demum videmus. Nam ubi per luxum in morbos inciderint: & Chiragra podagrâq; laborare ceperint, & iam dolor articularum, perquam acerbus eneruati corporis ramos confregerit: tum demum serò illos piget pudetque, quod vitæ præteritæ dies tam stultè perdidderint, & ætatem antè actam, ita lutulentam, obscuram atque ingloriam, absq; virtutibus & literis consumserint. Tu verò omnibus vulgi et imperitæ plebeculæ curis, ac studijs prorsum abiectis, philosophiæ operam dare soles, & liberalibus disciplinis dies noctesq; immorari, ac penè immori consueuisti. Neque verò istas res tecum ipso exeres solo, sed quæ diligenti, ac sedulo studio domi tecum percepisti, ea deinde iuuentuti tuæ singulari quadam dexteritate tradis atque inculcas, & præceptis philosophiæ Stoicæ adolescentum animos à vitijs perpuratos ac defecatos, mirificè instruis, & excolis. Qua in re prudentes agricolas imitaris: qui ex fertilibus agris primum syluestria & spinas euellunt, ac bonas

post

post modò fruges inserunt. Nam eodem pacto tu quoque eradica-
radicatis ex animis adolescentum vitijs, & prauis cupiditatibus, virtutes & bonas artes inserere, atque ingenerare soles. Est enim philosophia ars quædam viuendi: quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicat: & qua præceptrice, in tranquillitate viuere potest, omni cupiditatum ardore restincto. Itaque omnes senes ac iuuenes in philosophiæ studium totis mentibus atque animis insistere decet, ut hinc sibi certum vitæ finem deligant, & senectuti suæ viaticum comparent. Aptissima enim sunt arma senectutis artes, & exercitationes virtutum: quæ in omni ætate cultæ, cum diu multumque vixeris, mirificos afferunt fructus: non solum quia nunquam deserunt, ac ne extremo quidem tempore ætatis: verum etiam, quia conscientia bonæ actæ vitæ, multorumque bene factorum recordatio iucundissima est. Sed quæ hæc est segnitias & quæ socordia, quod plerique hominum iuueniles annos alijs atque alijs rebus deperdere, & voluptariam in adolescentia vitâ agere malunt, quam philosophiæ & bonis artibus incumbere: quæ amentia hæc est, optimarum artium studia in extremam vsque senectutem rejicere: Video equidem, & tanquam ab alta specula, quorundam inertium hominum sermones prospicio. Si enim adolescentes nostri, qui aliàs prohi sunt à labore ad socordiam, hanc meam admonitionem ad studium philosophiæ & literarum audiant, non quidem ut alijs homines insulsi, prorsus eam abijciant, neque contemnant: sed operis tantum aggressorem solita negligentia different, ac procrastinabunt, & diem ex die ducent: ac moniti subinde, cras se initium facturos promittent. Tum si crastinus ille dies transierit, nec ipsi meliores ac doctiores redditi fuerint: iterum admoniti, cras inquirent, cras hoc fiet. quid enim dicunt: quasi hoc magnum sit, & quiddam memorabile: si mihi adhuc vnum diem concesseris, per quem genio indulgeam, & voluptates sequar: animique cupiditates expleam: Vbi autem & ille dies præterierit, & hesternum cras iam consumtum fuerit, ecce nec probior es, nec eruditior factus: & tamen adhuc aliud cras, & subinde aliud cras tibi concedi postulas, donec tandem o-

K

*Definitio & laus phi-
losophiæ.*

*Reprehensio adole-
scetum: qui
studia phi-
losophiæ ne-
gligunt, &
procrastina-
nant.*

*Contra pro-
crastinato-
res.*

mnis tuæ ætatis, & omnium annorum iacturam feceris, nec præteritū tempus vnquā postea reuocare, nec acceptum damnū vlla ratione refarcire possis. Nam dies ille crastinus, quē tu incuria & negligentia tua perdidisti, semper te præcedit: neq; vnquā potest, etiāsi diligenti atq; assiduo studio eum cōpensare experas, à te referri, præuertiq; poterit. Vt enim posteriores quadrigarum rotæ, vno quidem eodēmq; temone pro uehantur, & circa suū axem eadem celeritate, pariq; volubilitate cum prioribus currunt, eos tamen nunquā assequuntur: ita cras illud, quod præcessit, amissūmq; est, nunquā à te recuperari, aut subsequenti tempore anteuerti poterit. Quare properandum est: & prius laboris atq; operæ initium faciendū, quā ætas & omnes occasiones dilabantur. Sed hic quædā cautio adhibenda est, ne illotis, quod aiunt, manibus philosophiā attrectemus: aut rem viribus maiore suscipiamus, ac iure rideamur. Cum enim philosophiæ studiū liberale sit, quod seruilia ingenia non admittit: primò omnium illis, qui philosophiæ incūbere volunt, libertate opus est. quæ qualis sit, & in quibus rebus cōsistat, iam deinceps videbim⁹: ne forte quispiā se ipsum decipiat, & seruus cum sit, se pro libero & ingenio vendit. Ac initio libertatis nomine hic nō eam intelligimus, quam serui manumissi à dominis suis atq; prætoribus cōsequuntur: quando accepto Marci aut Publij, alio uē prænomine, ciuitate donantur: cuiūmq; more frumenta per tesseras, & tribuum, in quas adoptantur, peculiaria signa accipiunt. Quæ enim ista libertas sit, ostolidi & creduli homines, quā vna vertigine circumacti, serui vilissimi atq; improbiissimi cōsequuntur: Nam Dama, aut alius quicumq; seruus, etiam si nullius precij sit homo, & planè insulsus, idēmq; inimicis, & leuiculis rebus, vanus & mendax: tamē si dominus eum manumiserit, fiet in ipso temporis articulo liber: & Marcus Dama. Quidē an, tu hoc M. Dama spondēte pro altero, & suam fidem iubente alteri non credas? quidē an M. Dama iudicium exercente, tu trepides: & iniquam ab illo sententiam expectes? quidē an M. Dama dicente, rem ita se habere, tu dicas: assigna tabulas Marce? Papæ: quænam ista sit libertas M. Damae huius: cui ob summam leuitatem nemo fidem.

Illustrat à simili vanā procrastinationem.

Qui homines idonei sunt ad perdiscendam philosophiam: nempe liberi non serui prauis cupiditatibus & vitijs. Quod falsa sit libertas: quæ à vulgo tantum agnoscitur.

Idē adhibeat: cuius stipulatione aut sponsione interveniente nemo alteri vel obolū credat: quo ius dicente, omnes homines à iudicij corruptela & iniquitate sibi metuant: cui deniq; testimoniū perhibenti, aut aliquid affirmanti, ob summam vanitatē adeo nihil credatur, vt quicquid ille dixerit, id tabulis sua manu assignare iubeatur, ne postea dictum aliquod negare, aut retractare possit. Hæc mera scilicet, & nuda libertas est: cui præter inane nomen, nihil prorsus rerū subest. Nā istam libertatē etiam pessimi ac sceleratissimi quic; nebulones, raso capite, & pileo ab heris suis accepto, impetrare & obtinere faciliē possunt. Dicat aliquis: an non libertas, etiā philosophis testibus, potestas quædā est viuendi vt velis: aut quisquā nē alius liber est, quā cui vitā ducere licet, vt libet? At ego viuo, vt volo. An nō igitur ipso Iunio Bruto liberior sum, qui tū ipse liber fuit, tū publicæ libertatis vindex & custos acerrimus? Erras liberte, & mea quidē sententia non rectē argumentaris. Nam Stoicus aliquis acutus, & subtilis disputator, eam quā tu inferis rationē negabit: & quia iudicio valet, acetūmq; habet in pectore, idcirco mendosē & perperam collegisse dicet. Vt enim primā argumenti partem, quæ traditam à Stoicis libertatis definitionē continet, libens accipiet Dialecticus, eamq; pro vera agnosceret: ita alterā partē, qua tu pro arbitrio & voluntate te affirmas viuere, tibi nō concedet: Sed vt falsam planè rejiciet, & respuet. At instas forē amplius, & voluntatis tuæ liberū arbitriū aliter probare niteris. Cur enim (inquis) mihi facere nō liceat, quodcunq; voluntas iusserit, cū ego prætoris vindicta liber & mei iuris sim? cur non possim omnia, quæ mihi libent, liberrimē nunc exequi, ijs duntaxat exceptis, quæ Masurij, Sabini, & aliorū iure consultorū leges atq; rubricæ venterunt? Iterum hic erras liberte, & quæ vera libertas sit, nondum intelligis. Quapropter animum aduerte, & quæ nam illa sit libertas, de qua philosophi disputant, sedulo à me discite. Quod vt facilius et cōmodius possis, age æquo adesdū animo, & iracundiā tuam, istāmq; vulgarem sapientiæ contemptū paulisper depone. Aliās enim anilia ista deliramenta, & cōcepta tibi, de libertate præpostera opinio ex animo tuo euelli,

Obiectio.

Libertas

quid.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Dicitur,

quæ sit vera

libertas,

captat attentionem.

Quod vera sit libertas, quam philosophi agnoscunt: nempe sapientia & scientia.
 & extirpari, firmioresq; & veriores sententiæ inferri non poterunt. Principio autem, cum soli sapientes, & à vitijs alieni homines sint liberi, nequaquam in potestate prætoris erit, vt libertatem, rerumque sublimitum, quæ ad solum sapientem pertinent, administrationem stultis quibusdam & nequam hominibus concedat: aut pessimis quibusque liberè viuendi potestatem, & copiam faciat. Citius enim Caloni & imperito homini sambucam, aut alias bellorum machinas prætor accommodauerit, quam vitijs & cupiditatibus obnoxio homini, sapientiam & rerum subtilium contemplationem indat, ipsumque in veram libertatem vindicet. Nam & ipsa humana ratio repugnat, quæ modo non edita voce prohibet, nequis maiora viribus audeat: neue aliena à vita & moribus suis tentet. Id enim si fiat, nihil non peruersè ab imperitis agetur: & stulti homines, quia discrimen honestorum & turpium ignorant, nec vera bona ab apparentibus diiudicare sciunt, vbi que impingent, & in omnibus rebus grauius offendent. Sed & publica communisque naturæ lex hoc in se continet, iubetque, vt nemo artem exerceat, nisi qui didicit: nec sapientiam sibi arroget, nisi qui sapiens & verè liber est. *A simili.*

& extirpari, firmioresq; & veriores sententiæ inferri non poterunt. Principio autem, cum soli sapientes, & à vitijs alieni homines sint liberi, nequaquam in potestate prætoris erit, vt libertatem, rerumque sublimitum, quæ ad solum sapientem pertinent, administrationem stultis quibusdam & nequam hominibus concedat: aut pessimis quibusque liberè viuendi potestatem, & copiam faciat. Citius enim Caloni & imperito homini sambucam, aut alias bellorum machinas prætor accommodauerit, quam vitijs & cupiditatibus obnoxio homini, sapientiam & rerum subtilium contemplationem indat, ipsumque in veram libertatem vindicet. Nam & ipsa humana ratio repugnat, quæ modo non edita voce prohibet, nequis maiora viribus audeat: neue aliena à vita & moribus suis tentet. Id enim si fiat, nihil non peruersè ab imperitis agetur: & stulti homines, quia discrimen honestorum & turpium ignorant, nec vera bona ab apparentibus diiudicare sciunt, vbi que impingent, & in omnibus rebus grauius offendent. Sed & publica communisque naturæ lex hoc in se continet, iubetque, vt nemo artem exerceat, nisi qui didicit: nec sapientiam sibi arroget, nisi qui sapiens & verè liber est. *A simili.*

adminiculo artium, & adiumento doctrinarum iam ingre- *Quis sit verè liber: & que note illius.*
 sus es: si vera bona à falsis & speciosis ita aptè discernere nunc didicisti, vt iam nullo tibi fucò quisquam possit imponere: neque ob auratum æs pro solido auro se tibi venditare, neque vitia specie & umbra virtutis te decipere: si tu item in vna quaque re quid sequendum, quidue fugiendum sit non ignoras: & illud creta, hoc carbone notaſti: si tu forte tua contentus es, neque vltra vires tuas maiora, aut non necessaria appetis: si benignus es erga amicos: si facilis in omnes: si modum tenes pecuniæ & opes acquirendi, & granarium tuum aut occludendi aut aperiendi, atque egenis tua liberalitate benefaciendi: si ab auaritia & sordida pecuniarum appetitione adeò remotus es, vt fixos à pueris in luto, nummos securus tranſeas, & Mercurialem istam salinam, opes ac diuitias auide non sorbeas: si denique omnes reliquas liberi hominis virtutes tibi inesse verè affirmare potes: a-ge. *Qui sint stulti & serui.*
 Dama, liber ac sapiens esto, nò modò prætoribus, qui corpus duntaxat à seruitio liberant, sed ipso etiam Ioue, qui animum à malitia vindicat, veram libertatem tibi annuentibus. Sin verò ad seruile tuum & pristinum ingenium rediſ, maioresque stultorum antiquos obtines: (nam eius farinæ paulò antè fuisti) si veterem pelliculam adhuc seruas: si libidines, fraudes, imposturas, ac cætera vitia non pudore & serui-temperantia, sed fronte et supercilio contegis, ita vt in vultu quædam ostentatio sit, intus autem veritas occultetur: iam ego pro libero homine te non agnoscam, sed quæ prius con-cesseram, ea hîc repetam: & laxatas antè habenas, nunc denudò retraham, ne tu liber declaratus, more indomiti & efrenis equi nimium ferocias atque superbias. Cum enim nihil secundum rationem agas, & cupiditatibus frena laxes: etiam in minimis ac leuissimis rebus peccare soles. Nam quid tam paruum est, quàm digitum exerere? Atqui hoc ipsum, si sine ratione & modo fiat, vitiosum erit, & te peccati reum aget. Quare nullis sacrificijs, nullis victimis à Deo impetrabis, vt vel semuncia rectæ rationis in stultis hæreat. Quis enim Deorum tam iniustus sit, qui sapientiam cum stulticia confundat, aut libertatem seruili & scelerato-

*A pari per
collationē.*

homini inesse velit: Nefas hoc certè maximū, sapientiam cū
stultitia, libertatē cum seruitute permiscere. Nā sicut fossiles
& rustici homines ad tibiæ sonos motu corporis exprimen-
dos inepti sunt: & ne ad tres quidē Satyros Bathylli numeros
saltare norunt: ita nec stulti homines secundum rationē vi-
uere, ac ne vnam quidem laudabilem actionem præstare pos-
sunt. Quomodo igitur te liberum esse iactas, qui tot fla-
gitijs atq; sceleribus es subditus? Liber sum, inquis. Dic quo
pacto: cum tu tot potentissimis dominis obsequaris & pa-
reas: quid enim? an nullos alios habere te credis dominos,
nisi eum, à cuius seruitute prætoris vindicta liberatus es? an
nullū herum agnoscis, præter illum imperiosum, qui te strig-
iles ad balneum Crispini deferre iubet, et cessantem aut nu-
gas agentem verbis increpare an neminē tibi imperare censet
præter eū, cuius molesta te premit seruitus, & qui te ad quas-
uis operas vilissimas abijcit: an nullius iuri ac potestati
subiectum te putas, nisi heri tui, qui non modò verbis te ob-
iurgat, sed etiam flagris extrinsecus admotis, neruos tuos agi-
tat: At ego longè alios, ac multò probiores dominos tibi esse
dico: qui non solū corpus, verum etiam animum tuum im-
periosè exercent, & te vndiq; affligunt. Nam quo pacto libe-
rior sis abiectissimo mancipio, quod herili metu, & scutica
ad strigiles impellitur? An enim in animo tuo non existunt
foedissimi & superbissimi domini: quorū tu imperio non
min⁹, quàm vilissimus seruus hero suo obedire cogitur? Qui
nam hi, inquires: permulti sanè, & lōgè quidē imperiosissimi.
Nam manè, cum adhuc dormis & somno in dulges, properè
adeſt avaritia, potens & superba domina, quæ te quiescere nō
sinit, sed pro suo imperio surgere iubet: surge, inquit, eia sur-
ge. Quòd si neges, & caput rursū deponas, instat illa, & sur-
ge, inquit. Dicas, non queo: illa surge, dicit: Interroges quid
agendū: Ehò, inquiet, an rogitas? nauigandū est, & mari huc
importandę merces: aduehendæ saperdæ, castoreum, stuppę,
heben⁹, thus, vīna Coa: aduehendū piper recens, & tollendū
è camelis, adhuc sitientibus: permutandum aliquid merci
monij: peierandū deniq;. Sed Iupiter, inquis, audiet periur-
riū. Quid tum? respondet avaritia: aut quæ nā hæc noua in te
incepsit

*Qui peccas
tis sunt ob-
noxij, haud
quaquam
sunt liberi:
sēl serui:
quod in-
ductione
probatur.*

*Auaros esse
seruos aua-
ritia, tan-
quam heræ
superbissi-
mæ.
Colloquiū
auaritia,
ceu domi-
næ, cum
auaro, tan-
quam seruo
suo.*

incepsit religio: Baro & stultissime homo, si tu ex Iouis sen-
tentia vivere cupies: & Deorū mandata obseruare voles nun-
quā profectò ditesces, Sed omninò pauperrimā ætatē transi-
ges, & in tanta rerum omnium viues inopia, vt ne salis quidē,
quod satis est, habiturus sis. Obsecro te, M. Dama, an adhuc
dubitas de seruitute tua: cum tāto imperio tibi insultet pecu-
niæ cupiditas: & rāta libidine tibi fēda dominetur avaritia?
Quid, quæso, horū est liberi? quid nō serui abiectissimi? Sed *Intemperā*
& illa cupiditas gula, epularum, conuiuiorum, cupediarum, *tes esse ser-*
quàm tetra est domina: quàm imperiosa? quàm vehemens? *uos luxu-*
Nam vbi te nauigationi iam accinxeris: et seruos omnes cū *ria, domi-*
vestibus & vasis vinarijs ad peregrinationē instruxeris, nec *næ imperio*
aliud quicquā te iam remoratur: nisi vt seruis in nauē imposi- *ssimæ.*
tis, omni mora sublata *Ægeū* transmittas: tibi repentè adeſt
luxuria, superbissima hera: quæ à suscepto itinere te reuocare
conabitur: seductūmq; à seruis domū redire, & voluptates se-
ctari iubebit: & verbis insuper satis grauiter increpabit. Co-
gnito enim profectiois tuę cōsilio, tanta bile inflābitur
luxuria, quantā vna cicute non restinxerit. Quid enim hoc
reiciquet: aut quò ruis insane? quò hinc abis? quid tibi vis? *Oratio ius-*
tu ne mare trāseas? ehò, an tu sordidā, et famelicā cēnam tibi *xurie ad-*
inter rudentes & transtra apponi patiaris? an genū tuum de- *seruū suū.*
fraudare te deceat? an Vappā rubellī Veientani inspidam,
ac pice corruptam bibere: atq; è vilissima obba te sorbillare
equū sit? quid enim ista periculosa, & molesta nauigatione
queris? aut quid tibi vis? an vt laboribus tuis, & fluctibus
maritimis, quincunces tui deuncibus augeantur: & tu domi-
honestè partā pecuniam turpi fēnore conduplices? quid? an
non satius est Romę sine labore & periculo paruum lucrū
consequi: quàm in mari, cum vitæ fortunarumquę discrimi-
ne, magnum quæstum venari? Quin tu si sapiſ, genio indul-
ge: & dum licet voluptates sequere. Quod enim viuis, &
vita hac frueris, id tu luxuriæ acceptum referre debes. Nam
sine hac propediē in cineres abibis, & vmbra ac fabula fies.
Itaq; humanę fragilitatis, & mortis impēdentis memor esto:
& quam exiguum vitæ curriculum natura nobis circumscri-
pserit, diligenter perpedito: vt dū viuis, benè viuas. Ea enim

est rerum humanarum inconstantia : ea fugacium anno-
rum breuitas atque velocitas, vt hoc ipsum tempus, quo ego
luxuria tecum loquor, iam abierit : neq; id posthac vnquā
reuocari possit. En M. Dama, quid tu hinc ages ? Nam ex vno
latere auaritia te aggreditur, ex altera luxuria : ambę satis im-
periosę dominę. Illa te domo ad labores, & maris pericu-
lum subeundum expellit : hæc domi detinet, & à labore ad
vitam voluptariam te reuocat. Vtrius harum dominio pa-
rebis ? auaritię ne, an verò luxurię ? Nam aut alterutri harũ
cupiditatum obtemperandum : aut, (quod fieri non potest)
ambabus simul obediendũ : aut permutatis vicib; modò hu-
ic, modò illi obsequendũ et inseruiendũ. Nunquã igitur liber
eris. Nam si vnius domini seruitium modò effugeris, statim
alterius imperium subibis : nec tu, cum semel tantum cupi-
ditatibus obstiteris, & aut luxurię, aut auaritię frenum semel
atque iterum excussissetis : propterea te omnia vincula rupisse,
& liberum nunc esse, verè affirmabis. Vt enim canis loro, aut
catena abrupta non prorsus liber est, neque captiuitatis pe-
riculum statim effugit : sed vinculi sui partem, adhuc in col-
lo secum trahit : eòq; facillè ab insequentibus comprehendì
potest : ita tu licet auaritię iugum abijcias : tamen quia in
luxum incidis : idè ad vitę mediocritatem, & eam, quam
querimus, animi libertatem nondum peruenisti : sed semper
aliquid vitiosę cupiditatis tecum trahis : quo in pristinam
auaritię atque luxurię seruitutem facillimè reduci possis.

*A simili
lustrat.*

*Seruile a-
nimum ho-
minis intè-
perantis de-
monstrat
exemplo
Comico.
Colloquiũ
Chærestra-
ti adolescen-
tis cum ser-
uo Dauo.*

Exemplo sit, ne longius abeam, Chærestratus ille : qui eodẽ
ferè modo, quo Phædría Terentianus, cum Parmenone de
amore abijciendo, & meretricum imperio vitando in veteri
quadã comœdia, cũ Dauo seruo colloquitur. Nam vngues
arrodens, Dauo, inquit : hoc mihi credas velim : ego dolo-
res illos, & vitia, quę amorem sectari solent, tandem finire
cogito. An enim familię meę, & sobrijs ac frugì cognatis,
mea profusione notam infamię inuram, ac dedecus generi
meo afferam ? an patrimonium cum magna nominis, & fa-
mę meę iactura, in domo meretricia dilapidem ? an sic ebrí-
us ante fores Chrysidis, extincta face in tenebris cantillem ?
aut fidibus ludam ? Cui Dauus : Euge here, nunc te lau-

laudo : nunc tu, si sapias, Castori & Polluci, cæterisque Dijs
auerruncis sacrificia : vt amoris infamiam à te depellere, &
malum istud auerruncare velint. Quid adhęc Chærestratus ?
Homo amens, & qui amoris stimulos nondum penitus ani-
mo eiecit : Dauo, inquit, censese Chrysidem, vbi à me deser-
ta fuerit, ploraturam esse ? cui seruus : nugaris Chærestrate :
& quantum ego intelligo, rem nõ seriò agis. Nam vbi amo-
ris aculeos pati non poteris, vtrò ad eam venies, indicans te
amare, & ferre non posse. Hoc vbi illa senserit, & te victum
animaduernerit, illicò te ludet, et rubra solea nates tuas pulsa-
bit : aut etiam sandaliò caput tibi committigabit. Proin nõ
li tu sic festinanti & præcipiti iudicio id incipere, quod per-
ficere non possis : nec rem, quę in se neque consilium, neque
modum habet, consilio gerere instituas. Idem enim tibi eue-
niet, quod canibus, qui vinculis alligati lora rumpere, &
pedicas arrodere solent : à quibus etsi liberantur interdum,
tamen vtrò postea collum inserunt. Nã quod illi nunc pro-
pter exclusionẽ iratus es, id paulò post mutabis : & vbi Chry-
sis te reuocauerit, statim dubij eris animi, & tecũ cogitabis :
quid igitur faciam ? non eam, ne nunc quidem cum accersor
vtrò, & ipsa mihi supplicat ? O Chærestrate, & vos Chære-
strati similes perditĩ amatores, seruile genus, dicite mihi, an
ille liber sit, cui mulier dominatur : cui meretrix leges præ-
scribit ? cui imperat ? cui vetat quicquid lubet ? An liber sit,
qui imperanti meretriculę nihil negare potest, nihil recusare
audet ? poscit, dandum est : vocat, veniendum : eiecit, abeun-
dum : minatur, extimescendum. Quamobrẽ liber haudqua-
quam erit, qui semel tantum amori resistit, sicut stultus ille
adolescens, Chærestratus : sed qui in totum voluptatibus, &
meretricum illecebris valedicit, & omnes effrenatas libidi-
nes animo eiecit, omnesquę cupiditatum vias sibi metipso ob-
struit & intercludit. Hic est, hic inquam est, quem nos
querimus : hic est, quem sapientem & liberum dicimus :
non autem libertus iste, quem prætoris iussu, lictor festuca
iniecta manumiserit, & Romanum ciuem effecerit. Quis e-
nim hunc liberum dicet, qui amanti munera mittit : qui in-
tempesta nocte ad eam tacito pede venit : qui illam preca-

*Ambitio-
fos, esse ser-
uos ambi-
tionis.*

tur, illi supplicat, & verberari se ab ea patitur? Quæ seruitus est, si hæc non est? Quid verò illa honorū contentio, & candidata ambitio? quàm misera est, quàm dura seruitus? Nam hæc Domina infimis de plebe hominibus adulari, & improbiſſimis quibusq; seruire etiam illos cogit, qui sibi videntur amplissimæ. At quamuis liber sit, & sui iuris, qui gloriæ cupiditate incensus dū Reipub. honoribus inhiat, populi suffragia largitionib. redimere, & vario leguminū genere plebis fauorē mercari cogitur? An liber sit, cui ambitio somnū & omnē animi tranquillitatē eripit, & quæ laudis studiū vigilare iubet: quæ honoris certamē, & gloriæ calcar eò impellit, vt dissentientē populū sibi muneribus conciliet. Quid enim pulchrius sit, inquit Domina ambitio, quàm amplissimos in Rep. honores consequi? quid præclarius, quàm prætorem & consulē esse, & ad gubernacula Reip. assidere? Esto sanè pulcrū hoc, esto præclarum, esto magnificū. Quàm verò rursus abiecti est animi, quàm seruire hoc est, populi fauorē largitionibus emere, ludos exhibere: & quidē obscœnissimum Floralīū, in quibus nudę meretrices ostendi solēt: vt hæc via longissimam nostrī memoriā in animis hominū relinquamus? Sint sanè hæc alijs festiua, pulcra, magnifica, præclara? At nobis, qui oculos eruditos habemus, hæc adeò non venusta, aut libero homine digna videntur: vt eum, qui istis rebus studet, nō modò seruū, sed nequissimū seruum, (licet amplissima natus sit familia) & habendum & dicendū esse censeamus. Quid de superstitione dicā, nouo domino, qui mentes eorundem hominū vano timore occupat, & miserè perterritat? Quàm enim est illa timida seruitus, quàm fracti abiectiq; animi stulta obedientia: quæ te ciuem Romanum, & quidem in Magistratu positum, neglecto Ioue Capitolino, et Marte Quirino, ac Vesta: Iudeorū Sabbatha & Ceremonias Mosaicas, & Isidis Ægyptiæ cultū ac religionem exoticā & transmarinam venerari impellit? Nam vbi Herodis, & cæterorum Iudeorū feriæ aduenerint: & pridie Sabbathi, lucernę violis coronatę, in ipsorū fenestris, oleo perunctis, dispositę fuerint, ac lucem cū pinguis fumo iam emiserint: omniāq; ad cibum & potionē sequentis diei, quo ab omni opere cessandum

*Superstitio
fos non esse
liberos, sed
falsę reli-
gionis ser-
uos miserrimos.*

ſandum est Iudeis, preparata steterint: in culinis quidem, nihil epularum, præter viles thynnorum caudas: vinū verò infidelis & vasis fictilibus: ibi tum aliqui nostrorum ciuium, haud aliter, ac si nati essent Iudei, et seruiles Syri, nescio quas secum preces labris commotis demurmurant: & circumcisæ ac recutitæ gentis delirum sabbathum, magno Iudaici Dei metu, ac veneratione colunt obseruantq;. An non hæc detestanda est seruitus; quòd Romani ciues ac Magistratus, ei religioni, à qua splendor huius imperij, & grauitas Romani nominis, maiorūq; nostrorū instituta semper abhorruerūt, superstitiosè admodum & turpiter inseruiunt? Obsecro te, quomodo tu liber sis, qui ne hanc quidē libertatem retinearis, vt Deos & penates tuos liberè colere possis: sed peregrina numina, transmarinis & aduenticijs quibusdā ritibus obseruare cogaris? quomodo liber sis, qui te in seruitutē tradis Iudeis & Syris, nationibus seruitio natis? sua cuiq; ciuitati et genti religio est: cur nō etiā nostra nobis? ò stolidi liberti, qui vos ciues Romanos, & populum liberum esse iactitatis, & interim abiectissimorum Iudeorū, & perditissimorū mancipiorum sacris vosmetipsos adstringitis: vósq; seruilīū ceremoniarum participes redditis. Sed quæ nām vos estis mancipia: quorū tanta est superstitio, & tam misera seruitus, qua vestris sacerdotibus obstricti estis, vt nisi ex illorum præscripto ad amussim viuatis, omnium Deorum Dearūq; odia vos incururos esse existimetis. Si enim sacerdos aliquis caput allij matutino tempore te degustare iusserit, tūq; mandatum illius casu quodam neglexeris, mox animum tuū tanta occupat superstitio, vt nusquā quietus esse possis, semperque aut lemures aut manes & defunctorū vmbas ob oculos tibi versari & incursionibus te affligere credas: quin etiā ea quosdam inuadit timiditas, vt si quid cōtra sacerdotū præscripta cōmiserint, statim suis ceruicibus illa omnia pericula impendere iudicent, quæ olim ex oui cinerib. impositi, rupto putamine stolidi et nugacissimi sacerdotes prædixerāt. Sed et morbos extimescūt: quos Galli, insani et furiosi sacerdotes Cybele, et lusca Isidis sacerdos, cū sistro ipsis cōminati fuerant. An non hæc misera est seruitus? an non tristissimus ille domina-

*Qui sacere-
dotum edi-
cta, minas
et presagia
metuant,
eos esse ser-
uos seruo-
rū: & nee
quaquam
liberos.*

tus, qui animum tuum tanto terrore percellit, teque in has angustias redigit? An tu, qui tot improbiſſimis dominis, avaritiæ, luxuriæ, amoris, ambitioni & ſuperſtitioni, alijsque cupiditatibus, & animi perturbationibus pares, liber ſis? Ego certè ſeruum te dico turpiſſimum, licet omnes prætores te libertate & iure civitatis donauerint. At ſi quis animo excelſo, alto, & virtutibus exaggerato, cupiditatibus imperat, avaritiam coercet, libidines reprimi, honores ſpernit, & ceteras animi labeſ repellit: eum ego non modò liberū, ſed etiam regem atque imperatorem eſſe dicam. Neque enim vulgè & centurionum noſtrorum ludibria me commouent: qui cum aliter ſentiant, & rerum libertatem non intelligant, Philoſophos ridere, & autoritatem illorum eleuare ſolent. Nam ſi hæc, que hæctenus de vera libertate dicta diſputataque ſunt, inter varicoſos iſtos centuriones à me proponantur, continuo Vulpenius, aut alius quiſpiã hircosus centurio in medium profiliet: & immoderato riſu omnibus philoſophis expoſiſ, centum Stoicos, centum curtatis aſibus vix dignos eſſe affirmabit.

Contra-
nobiles.

A. PERSII FLACCI

SATYRA SEXTA.

Ad mouit iam bruma foco te Baſſe Sabino?
Iamne lyra, & tetrico viuunt tibi pectine chordæ?
Mirè opifex numeris ueterum primordia uocum,
Atq; marem ſtrepitum fidis intendiſſet Latine,
Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes. mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatiq; meum mare, qua latus ingens
Dant ſcopuli, & multa littus ſe ualle receptat.
Lamæ portum eſt opera cognoscere ciues,
Cor iubet hoc Enni, poſtquam deſertuit eſſe
Meonides quintus pauone ex Pythagoræo.

Hic.

Hic ego ſecurus uulgi, & quid præparet Auſter
Infelix pecori, ſecurus, & angulus ille
Vicini, noſtro quia pinguior, eſi adeò omnes
Diteſcant orti peioribus, uſque recuſem
Curuus ob id minui ſenio, aut cænare ſine uncto,
Et ſignum in uapida naſo tetigiſſe lagæna.
Diſcrepet his alius? geminos horoſcope uaro
Producis genio? ſolis natalibus eſt qui
Tingat olus ſiccum muria waſer in calice eropta,
Ipſe ſacrum irrorans patina piper, hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem ſolers turdorum noſſe ſaliuam.
Meſſe tenuis propria uiue, & granaria, fas eſt,
Emole: quid metuis? occa, & ſeges altera in herba eſt.
Aſt uocat officium irabe rupta, Brutia ſaxa
Prændit amicus inops, remq; omnem, ſurdaq; uota
Condidit Ionio, iacet ipſe in littore, & una
Ingentes de puppe Dei, iamq; obuia mergis
Coſta ratis lacera. nunc & de ceſpite uiuo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. ſed cænam funeris heres
Negliget iratus, quòd rem curtaueris, urna
Oſſa in odor a dabit, ſeu ſpirent cinnama ſurdum,
Seu ceraſo peccent caſſia nescire paratus.
Tunè bona incolumis minuas? ſed Beſtius urget
Doctores Graios: ita fit, poſtquam ſapere urbi
Cum pipere, & palmis uenit noſtrum hoc maris expers,
Fœniſecæ craſſo uitiarunt unguine pultes.
Hæc cinere ulterioſ metuas? at tu meus heres
Quiſquis eris, paulum à turba ſeductior audi:
O bone num ignoras? miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Cermana pubis, & aris.

L 3

*Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma
 Iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis,
 Effedag, ingentesq, locat Casonia Rhenos.
 Djs igitur, genioq, ducis centum paria, ob res
 Egregie gestas: induco: quis uetat? aude.
 Va, nisi conuiues: oleum, artocreasq, popello
 Largior, an prohibes? dic clarè: non audeo, inquis.
 Exossatus ager iuxta est age, si mihi nulla
 Iam reliqua ex amit is, patriuelis nulla, proneptis
 Nulla manet patrii, sterilis matertera uixit,
 Deq, auia nihilum superest, accedo Bouillas
 Cluuumq, ad Virbi, praesto mihi Mannius haeres
 Progenies terra. quare ex me, quis mihi quartus
 Sit pater, haud promptè dicam, tamen adde etiam unum,
 Unum etiam, terra est iam filius, & mihi ritu
 Mannius hic generis propè maior auunculus exit.
 Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
 Sum tibi Mercurius, uenio Deus huc ego, ut ille
 Pingitur, an renuis? uin' tu gaudere relictis?
 Deest aliquid summae: minui mihi, sed tibi totum est,
 Quicquid id est, ubi sit fuge querere, quod mihi quondam
 Legarat Stadius, neu dicta repone paterna,
 Fœnoris accedat merces, hinc exime sumptus.
 Quid reliquum est? reliquum? nunc nunc impensius unge,
 Unge puer caules: mihi festa luce coquatur
 Vrtica, & fissa fumosum sinciput aure,
 Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis
 Cùm morosa uago singultiet inguine uena,
 Patria immetiat uulua? mihi trama figura
 Sit reliqua? ast illi tremat omento popa venter?
 Unde animam lucro, mercare, atq, excute solers
 Omne latus mundi, ne sit praestantior alter
 Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.*

*Rem duplica, feci. iam triplex, iam mihi quarto,
 Iam decies redit in rugam. depinge ubi sistam
 Inuentus Chryssippe tu finitor acerui.*

NICODEMI FRISCHLINI IN SATYRAM Sextam Paraphrasis.

Quoniam longo interuallo locorum & temporum dif-
 iuncti sumus, Cæsi Basse: nihil profectò gratius mihi
 nunc euenire possit, quàm ut certior fiam, ubi nunc hybernes,
 aut qua spe, quâue conditione uiuas. Et si enim vnâ minus
 esse possumus, quàm volumus: animorū tamen coniunctio-
 ne, isdémq; studijs ita fruimur, ut nunquā nō vnâ esse videamur.
 Quæ sanè causa fuit, ut hoc etiā nouum genus literarū
 ad te darem: nō quod haberē magnoperè quod scriberē, sed
 ut absens tecū loquerer, & sententijs tecū conferrem: quo ipso
 nihil mihi est iucundius, nihil amabilius. Sed ubi tandē lo-
 corū te hyemare nunc credam? Vtrum in Sabinis? Nam hy-
 bernorū causa etiam antehac in illum locum te solebas con-
 ferre. Quid igitur in Sabinis te agere dicam? an lyri cū carmē
 ea, qua Romę solebas, grauitate, & styli puritate conficere? E-
 quidē in hoc argumēti genere, quàm admirandus sis artifex,
 quàm industrius & elegans scriptor, id opera ac lucubrati-
 nes tuę euidenter ostendūt. Tu enim antiquissimā illā ver-
 suū, & hymnorum scribendorū rationē, tot annis penè colla-
 psam, lyricis tuis carminibus nunc in usum reuocas atq; in-
 terpolas. tu fortissimorū principum & regum res præclare
 gestas, & certamina equestria latinis versibus exornas, tu
 iuuenum amores, & lepidos iocos facetissimis odis, absque
 omni verborū lasciuia, pulcherrimè depingis. tu senum stu-
 dia et egregia facta, honesto scribendi genere, tanquā in tabu-
 la delineata, cum omnib. hominibus, tum præsertim iunio-
 ribus conspicienda proponis. Quo in studio & nunc te feli-
 cissimè pergere spero: & ne vnquā id intermittas, ubicūq;
 vixeris, magnoperè te oro. Ad me verò quod attinet, scias me ita
 de nunc Roma abesse; et Lunę, in maritima Ligurię ora celebri

*Sicut initio
 Satyræ præ-
 cedētis lau-
 dauit Cor-
 nutum præ-
 ceptorē: ita
 hic Cæsiū
 Bassum as-
 micum, à
 poetica ar-
 te in versu
 Lyrico, &
 alijs bonis
 studijs.*

*Significat
 Basso ubi
 degat: &*

portum Lunensem collaudat. et amœnissimo oppido, hyemare. Quo quidē in loco an alius ad viuendum accommodatior sit, haud affirmauerim. Nā aēr hīc temperatissimus, atque saluberrimus est: portus amplissimus, scopulisquē altissimis inclusus, quo omnium rerū merces importantur. Habet enim alios multos in se portus, velut in gremio, quibus tutum à ventis & frigore sinū, quasi vallem efficit. Nam tale omnino conuenit esse receptaculum hominum: qui tantī maris, tanto tempore dominium obtinuerunt. Sed & Ennīj scriptoris cordatissimi huc accedit testimonium: quod huic loco non minimam laudem atque commendationē conciliat. Hic enim autor anima Homeri (si ipsi de seipso creditur) ex pauone Pythagorico, per somnū accepta, poeticam aggressus, Annales conscripsit: in quibus operæ precium esse affirmat, vt ciues Romani portū Lunensem cognoscant. Sic enim illos ibi adhortatur:

Lunai portum (est operæ) cognoscite ciues.

Commendat Basso sua studia: & docet se à vulgi moribus distindere. Quod si fortē interrogēs, quid in his locis amœnissimis agā: scias ita me hīc viuere, vt ab omni ambitione populari, omni pecuniarum cupiditate, omni inuidia, reliquisquē animi perturbationibus alienam, & securam vitam liberē transigam. Neque enim vulgi applausus, auramquē popularem, quæ res Romæ in precio sunt, magnificatio: neque temporū iniuriam, & pecudum luem, vt avari solent, magnoperē extimesco: neque vicinis inuideo, si agros illorum meis longē fertiliores & pinguiores esse animaduertam. Etsi enim multi ignobiles, & pessimæ notæ homines ditescere ac fortunari solent: ego tamen fortunis eorū haudquaquam ita inuideo: vt propterea genium meum defraudare: & parcē ac sordidē viuere, pecuniasquē velim comparcere. Quæ enim hæc tam stulta inuidencia: quæ aliorū odio tristē mihi vitā, & præmatutam senectam afferat? Quis tam vecors & sordidus, vt pecuniæ acquirendæ causa, cibos absq; oleo & omni pinguedine cœnare, & vapidas læcœnas seruis obsignare velit? Ego certē ab hac sordida vitā, & hoc improbo pecuniarū studio, vt semper abhorruī, ita te quoque, Cæsi Bassæ, ab eodē longē alienissimum esse censeo: rametsi non ignoro, permultos esse, qui non tantum animo & voluntate, sed etiā studijs à nobis dis-

Distimilitas, & studiorum diuersitas, vt sæpè idem horoscopus, duos hominum horribile & squalidum, qui tanto amore suas res asseruant, vt ipsis etiam natalibus diebus sordidè & perparcè visitent: & præter iniuriam, genus lignanimis vilissimum, in calice emptū, nihil condimenti, olusculo modico infundant: & hoc sibi postmodò in cibum adhibeant: tum piper eidem tam parcè irrorent, ac si rem sacram & religiosam tractent. Alij contrā, pecuniarum adeò nihil comparcunt, præfertim iuuenes, vt amplissimas possessiones sibi à maioribus relictas, turpissimè disperdant, atq; dilapident: & grandes diuitias in profundissimum libidinum & commensationū suarum gurgitem profundant. Ego verò quod hætenus feci, idem quoq; deinceps facturum sum sedulo: & rebus meis cum mediocritate vtar, & vtar ad vitæ meæ recreationem, ac voluptatem: neq; propterea popinæ ganciarumquē nidori me dedam: neq; seruis, libertisquē rhombos lautissimos, & turcos preciosissimos, aut alios exquisiti saporis cibos sine discrimine apponam: neque omnes meas fortunas abliguriam. Modus enim adhibendus est, isq; ad facultates referendus: nec ita claudenda res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit: nec ita referenda, vt omnibus pateat. Decet enim vnumquēque pro modulo suarum facultatum, & conditione prouentus, ætatem agere: & granaria laxare, ac frumentum inde proferre, & egenis distribuere. Ignosces mihi hoc loco, Cæsi Bassæ, si aliquantò stomachosus in auaros inuehar: & detestandum illum habendi amorem acerbius inferer. Est enim auaritia tam pestilens, & tetralues, vt nullius oratione satis exagitari, neque vnquam animis hominum ita euelli atque extirpari possit, vt subinde non in illis repullulascat. Quæso autem te, auare homo, quid id tandē est, quod te à liberalitate & beneficentia tantoperē abstrahit: ac remouet? cedò obsecro, quæ nam incommoda, aut damna illa: quæ tu ex largitate & beneficentia metuis? an vt ne consumpto hoc frumento, victus postea te deficiat? Quæ verò hæc;

Distimilitas hominum ingenia & studia. Quidam auari et sordidi.

Quidā prodigi & luxuriosi.

Quidā mediocres & liberales, vt Persius.

Mediocritas seruanda.

Contra auaros orationem instruit.

Auari frustra timet defectum suae rei.

Auari ubi que habent occasionem benefacien di, si volūt: quod ex em plo ostenditur.

1. Obiectio contra liberalitatem.

2. Obiectio contra liberales erogationes.

tu meticolose homo, diffidentias quæ desperatio? An non vides alteram iam messem in herba esse: & priusquam paratum frumentum consumseris, aliud tibi in agro maturescere? Quod si auarus videri non vis, agere liberalitati stude, opitulare amicis: & de re familiaris aliquid egenis imperti. Est enim amicus quidam inops, qui nati ad scopulos Brutiorum illisa & fracta, omnes diuitias, omnia vota, quæ fecit, in mari Ionio, ruper tristissimo naufragio amisit perdiditque. Is nunc miserrimus in Brutio littore, quod tempestate eiectus est, simulacris Deorum, quæ sola eripuit, omnium hominum auxilio destitutus iacet: nauis ipsius fragmenta, totæ mari circum circa agitantur, & mergis obuia, longè lateque incursantur. Atque hic naufragus amicus, tuo nunc eget auxilio: & aliquod humanitatis officium à te expectat. Quare necessitati illius succurre: & de facultatibus tuis aliquid largire inopi. Quod si nihil fructus tibi iam suppetit, agere partem aliquam agri ipsi concedito: ne forte picto in tabula naufragio oberrare, & stipem commendicare cogatur. Quid ad hæc respondes auare? Hæres meus, inquis, ubi rem familiarem à me, amicorum causa, comminui viderit: me mortuo, filicernium & funebres exequias negliget: neque ossa mea honorificè sepeliet: neque vllis odoribus cineres meos perfundet: neque cinnama & calias, cæteraq; vnguenta, bonane sint, an secus, suauiter ne spirent, an ceraso vitata sint, quicquam pensi habebit. Quid enim ait mihi hæres: tu ne vt bona tua sic comminuas, cum adhuc saluus & incolumis sis, neque ad valetudinem tuam ista profusione egeas? Bestius item, & Bestij similes, imitari quidam, ubi me liberalius viuere, & amicis bene facere sentiunt, continuo prodigum esse clamitant: & philosophos ipsos accusant: quod cum magistri virtutis esse deberent, ipsi vitiorum auctores, & libidinis ac luxus administrari inueniantur. Nam isti dum auaritiam ac fordes insectantur Bestij, mores hominum corrumpere, & prodigijs fenestram aperire videntur, vt illi res suas profundant, dissipent, disperdant. Solent enim dicere nonnulli: quod iam inde ab eo tempore, quo philosophia Ro-

MAN

man & Græcia cum alijs peregrinis mercibus aduecta est, non modò diuites ac nobiles, quorum maiores olim paucissimè vixerint, sed etiam agrestes, & plebeij homines, quorum nota olim fuerit frugalitas, nunc delicatissime victitare, & cibos pulresque suas lautissimis vnguentis, crasse admodum & largiter condire soleant. Qua ratione dicunt veterem illam priscorum Romanorum parsimoniam, iam penitus exoleuisse. Nonne bella hæc & digna imperitis est oratio? Nam quomodo illi lutulentam suam auaritiam & fordes melius excusare, ac tetrum hoc inhumanitatis flagitium commodius regere possent: quam vt reiectis philosophorum sententijs, & veterum frugalitate proposita, eos, quorum sunt hæredes, à liberalitate & beneficentia, ad detestandam auaritiam reuocent? quæ ista vetus aut potius noua est religio? quid? an ideò te auarum, parcum, sordidum, illiberalem esse deceat: vt hæres tuus, post mortem tuam, multis opibus repertis, magnifico ac splendido funere te ornet? an tu liberalitatem ideò non exerceas, neque vlli beneficus sis, ne forte ab hæredibus tuis dicere prodigus & voluptarius? an tu metu calumniæ honestus esse, & virtuti operam dare nolis? ô tenebræ, ô lutum, ô fordes, ô omnis decoris omnisque honestatis oblite, humanitatis vix memos. Quam enim hoc fractum, quam humile, quam demissum, quam sordidum, quam ciue Romano & libero homine indignum? At tu si meum exemplum secutus fueris, nihili hæredem facies, nec facti tui rationem illi probabis. Nam si hæres meus, ob beneficas largitiones me velit reprehendere, & in mea liberalitate me interpellare, ego iracundiam illius adeò non extimescam, vt remotis arbitris, etiam durissimis eum verbis sim increpaturus. Sic enim ei dicam: heus tu, vir bone, qui meus hæres esse cupis: an ignoras, quid ego nunc in animo habeam? Agere exponam tibi: Ante paucos dies literis & fama huc perlatum est, de victoria Caligulæ, & insigni clade, qua Germani ab ipso affecti sunt. Huic procuratores nunc triumphum apparant: quantus nunquam alius fuisse vlllo seculo perhibetur. Et iam aræ templorum, excus-

Responso ad duas objectiones.

Auarius nō metuat hoc redis mi nas & maledicta: vt propterea nulli benefaciat.

Probat hoc Perfus suo exemplo.

so cinere, ad sacrificia, & victimas adornantur. Castonia, v-
 xor Caligulae, arma captorum hostium huc missa postibus.
 nunc affigit: Regum Barbarorum chlamides, Bryannorum
 elleda, & caesarea gausapa ubique disponuntur: omniaq;
 Oceani & Rheni spolia in Capitolio collocantur. Ego no-
 uitate famae commodus, ob res egregie gestas, & secundissi-
 ma Divis praemia, Ioui Capitolino, et Caligulae, fortissimi Im-
 peratoris Gesto, centum paria bouum immolare, & duplicem
 Hecatombem facere constitui: ut Dij Deaque immortales,
 Imperatori, Senatui, populoque Romano hanc victoriam
 bene vertant. Num quis est, qui me hoc facere vetet? Num
 tu haeres meus? audefis. Vt tibi, si quicquam contra musci-
 taueris: neque ad omnia, quae hodie coepero, connixeris, at-
 que etiam annueris. Quis imo, ut liberam mihi agendi, cum
 rebus meis potestatem esse videas, etiam plebi oleum distri-
 buam, & artocreas dabo, ac modo non epulum ciuitati lar-
 giar. An tu prohibes? declarare. Non audeo, inquis. Recte
 sane: nisi iam exhaereditari, & liberalitatem meam, cum ma-
 gno tuo malo, experiri velis. Nam si tu pergas mihi oblo-
 qui, & nescio quas in funere contumelias minari, facile ego
 heredem inueniero, qui res familiaris, & patrimonij mei feli-
 quas grato animo accipiat: & exiguis facultatibus, testa-
 mento meo sibi legatis, optimè contentus sit: meque insu-
 per splendidissimo funere, et amplissimis exequijs ornare lu-
 bens dignetur. Agrum habeo non procul ab vrbe positum,
 soli excolti & fertilis: age si nullos liberos, nullos ex pro-
 pinquis haeredes, nullos amicos, nullos patreles, nullos
 pronepotes, nihil de sterili matertera, nihil de aua reliquum
 habuero: num propterea de herede sum anxius, qui mihi
 iusta olim persoluat? Haudquaquam. Quid enim facilius
 sit, quam heredem inuenire? Accedam Bouillas, aut cliuum
 Virbij, aut proximum vicum, & statim praesto erit Manius,
 terrae filius, aut alius quispiam ignobili genere, & obscuris
 ortus parentibus: Ei bona mea legare quid prohibet? Nam
 si de vtriusque nostrum cognatione perquiras, mirum ni pro-
 pinqui, & consanguinei reperiamur. Etenim si de abauo
 meo me interroges, qui fuerit: dicam eum quidem, sed for-
 san

*Gratum haereditatem
 redem inuenire esse
 facilem.*

Homines plebeios nobilium co-

san haud ita promptè. Sin verò amplius quæras de atauo, & gnatos esse,
 huius patre, meo tritauo, illi mihi tam incerti atque inco-
 gniti erunt, quàm Manio sunt sui parentes. Quare illi non
 minus, quàm Manius isse, terræ filij fuisse videbuntur. Atq;
 hoc sanè pacto, Manius, aut quicumque alius ignobilis, mihi
 proximus cognatus, & prope generis mei maior auunculus
 esse inuenietur: neque obstabit quicquã, quo minus omnia
 mea bona ipsi legare, & ingratos affines cognatosque ex-
 heredare possim. Quæ verò hæc tua insania est, auare hæres?
 quæ amens ista pecuniarum cupiditas, quæ te senem & na-
 tum grandiusculum impellit, ut à me iuniore hæreditatem ex-
 pectare ausis? An non ut in palæstris, aut Promethei aut
 Cereris ludo, semper è cursoribus prior, posteriori facem
 tradit: & primus quidem secundo, secundus tertio, tertius
 quarto, hic quinto & alij deinceps alijs: ita etiam in huma-
 næ vitæ curriculo priores, & fatali metæ propiores, diuitias à iunioribus.
 opesque suas posterioribus, & superstitionibus relinquere so-
 lent? Qua tu igitur fronte hæreditatem meam captare aude-
 qui in vitæ cursu iam senio defatigatus es, & annorum spacio
 me longè præcedis? sed esto, ut hæreditatem meam a deas:
 esto, ut ego quondam à morte mea, cum opibus & pecunijs
 tibi, tanquam Mercurius ex Machina appaream: & quem
 admodum ille cum sacculo & nummis pingitur, ita ego cum
 argento & loculo ad te veniam: quid tum ages? an tu ibi
 bona mea, tanquam gratuita, & Deorum munere oblata,
 gratus non accipies? an verò reues? annon me tuum esse
 Mercurium dices? an non patrimonium, qualecunque ti-
 bi relictum cum voluptate & gaudio possidebis? nunquid
 obijcies mihi, aliquid de tota summa abesse? At ego re-
 spondebo, quicquid sit patrimonij, id tibi totum esse: & si
 quid de re mea familiari olim comminutum fuerit, id non
 tibi, sed mihi defecisse. Ut enim tu in augenda re socius la-
 boris mei non fuisti, ita neque in minuenda commune me-
 cum detrimentum accepisti. Quocirca noli tu patrem agere,
 aut patrijs dictis rationem accepti atque expensi, à me po-
 scere: noli anxie & sollicitè inquirere, vbi nunc illud sit:
 quod iam olim mihi legauerit Stadius: & alij cognati di-

*Contra se-
 nes: qui hæ-
 reditatem
 expectent
 à iunioribus.*

A simili.

*Hæredita-
 tem quan-
 tulam cura-
 que grato
 animo esse
 accipiendam.*

uites. Quæ enim hæc impudentia est, hæredem à testatore suo rationem fœnoris exigere, aut auari patris more, eum tanquam prodigum filium reprehendere? Dicis enim mihi, ut ad rei summam quotidie aliquid fœnoris addam: & sumptus necessarios de lucro, non de sorte accipiam. Quasi verò rei familiaris substantiam semper augere, & nulla ex parte imminuere fas sit: quasi præter usum fructum, nihil inde eximere mihi liceat? Quis, tam vecors & amens, qui eum, à quo hæreditatem accepit, obiurgare ausit: quòd ultra paternam hæreditatem nihil fœnoris reliquum fecerit? Quid enim tibi, hæres impudentissime, reliquum nunc faciam? quid ulterius, quàm quod habes, tibi à me debetur? an hoc patrimonio non contentus es? ô sordes, ô labe, ô ingratitude detestandam. Quid ego adhuc meum defraudando genium, & tantillum pecuniæ tibi comparco? quin ego nunc multò suauius & sumptuosius, quàm antehac feci, viuere incipiam: & caules oleo inungi, ac lauticias mihi apponi iubebo. Agè puer, caules vnguento preciosissimo tinge, & cibos infer lautissimos. An enim mihi festa luce nihil delicatioris cibi, præter vriticam vilissimam, & fumo torrefactum sinciput apponatur, ut hæres meus post mortem meam luxui inferuire, & sudorem meum turpiter decoquere possit? An ego corpus meum inedia & laboribus contabefaciam, ut hic meus nepos nepotiari, gulam exple, vagis libidinibus sese dedere, & cum patricijs ac nobilibus matronis rem habere queat? an mihi macilento atque effæto seni, vix tramæ figura sit reliqua: ut ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, ventrem obesum, & poparum similem habeat? Nam si nullum ei patrimonium sufficit, quodcunque reliquum fuerit, consultissimum sanè mihi nunc erit, nihil bonorum profus ipsi relinquere. Auari enim homines nunquam satiari possunt: & tam illis deest quod habent, quàm quod non habent. Age enim negociare in omnibus locis: perlustra omnes Insulas: peregrinare longè latèq: ipsam animam pro lucro vende: ut nemo sit te ditior, nemo plures seruos in catastis alat, venalesque habeat. Age vbi rem familiarem duplici fœnore compleueris, etiam

Auari, qui hæredem meum suam parsimonia & sibi & hæredi nocent.

Hæres avaro nihil sufficit, etiam si Cræsus opes illi relinquat: at

etiam quadruplici & decupla vsura eandem ingemina: At tamen auaro heredi, & qui paucis contentus esse non potest, nunquam satis amplum patrimonium reliqueris. O felicem Chrysippum illum, qui cum nouam argumentandi rationem inuenisset, plurimas quidem propositiones, ut vocant, coaceruare nos docuit, sed finem tamen, & conclusionem adijcere noluit. O Chrysippe, utinam nunc quoque viues, & auaris istis etiam modum colligendi pecunias, & finem aliquem cupiditati statuendi monstrares, ne insatiabile hoc lucri studium in immensum excresceret: & ut homines nostri, in hoc diuitiarum certamine, ad metam aliquam peruenirent: vbi defatigati vel tandem subsistant & conquiescant.

gyato & contento etiam minimum sufficit patrimonio.

FINIS.

NOTA.

Pag. 9. ver. 11. lege xaiet.

Pag. 9. in Lugdunensi, quo vsi sumus, exemplari: hic versus omissus erat:

Corporis quis olim concanum salutare?

I
A. PERSII FLACCIS A-
TYRARVM LIB. I.
PROLOGVS.

NEC fonte labra prolui caballino:
Nec* in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repentè sic poeta prodirem.
Heliconidasq; pallidamq; Pyrenen
Illis* relinquo, quorum imagines lambunt

Ederæ sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vaturn carmen* affero nostrum.

Quis expediuit psittaco suum xaxpe?

Coruos quis olim concauum salutare,

Picasq; docuit nostra verba conari?

Magister artis, ingeniq; largitor

Venter, negatas artifex sequi voces.

QVOD si dolosi spes* refulserit nummi:

Corvos poetas, &* poetridas picas

Cantare* credas Pegaseium* melos.

Hæc præfa-
tio, quæ pri-
mæ satyræ
argumenti
vice est, no-
tat quorun-
dam stulti-
tiam & for-
des, q sine
labore poe-
tâ nasci pa-
tât, ipsi in-
terim nihil
cuiquâ don-
nantes.
*me in
*remitto,
*offerô

*refulgeat
*poetrias
*cernas
*nectar. al.
Pegaseium
melos cre-
das.

In Prologum Persij.

PHILIPPVS VALENTINVS.

Prolui) Virgil. Pleno se proluit auro. Vtitur & Horat.
Somniasse) Ad somnium Hesiodi respicit.
Pallidam) Pallidam ad studia refert: ut, *lunat impalescere chartis.*

Quorum) i. poetis illis qui tale nomen affectant.

Imagines) De ea sentit imagine, de qua Horat. in sermonibus: *Fan-
nius ultro Delatis capsis & imagine.*

Lambunt) Arctam coniunctionem indicat, & respicit ad similitu-
dinem linguæ in folijs.

Edera) Ab edendo, indicat quantitas. Ariost. usus est epitheto sequacis.

Ipse semipaganus) Et sic non poeta, sed tanquam poerarum tibicen affero carmen ad sacra: & sic videtur præcipuè primam satyram respicere. De sacris tamen Musarum illa se ferre dixit Virgil. Tacitus in dialogo de mutata eloquentia sacrariorum poetarum, maximè Horatij, meminit. Paganus autem pro omni ruditare ponitur.

Quis exped.) Si non ope divina aut miraculo, sed necessitate poetam factum ostendit. Expedire autem pro expedite loqui. Alludit autem ad historiam similibus animantium salutantium Cæsares. Vnde illud ortum proverbium, *Oleum & impensa*.

Conari) Adde & assequi post conatum. Non enim minus expedite id agunt, quam Pfitaci. De eorum studio vide Plinium.

Magister artis) Similis locus Vergilij in primo Georg. *Prima Ceres & c.*

Sequi) Non tantum ut pica conatur, sed & assequi. Simplex pro composito.

Quod si dolosi) Non tantum ad poetas causa necessitatis, quantum ad poetarum falsos commendatores respicere videtur. De quibus in prima satyra, ad quam prologum specialiter respicere supra docuimus. Ideo aptius hoc respectu epitheton dolosi, qui nos ita decipiat ut corvos pro poetis habeamus.

Refulsit) Pulchrè ad metalli respexit splendorè, ex quo nummus. Nummi quòd sit prima longa, ut hic: non à Numa deduci potest, quod aliquibus visum est: nec à νόμισμα à quo tamen nomisma prima brevis est. Horat. *Regale nomisma Philippos*: nisi contractum sit ex νόμισμα, quo casu omnino in duplicari debet. Sed à Numa ea non est forma Latina: à νόμισμα non video cur o in om mutari debuerit, cum in nomismate seruetur. Et rectè pro omni legitima pecunia ponitur: licet usus ad frequentiorè monetam transulisset: sicut è cōtra nobis, Denario, quoniam sit frequentioris monetæ nomen, pro omni sumitur pecunia. Vfus autem poetarum ab usu ad proprietatem redire.

Corvos) Vel verè malos poetas semper, vel natura malos, sed bonos necessitate.

Poetridas) Ad fabulam respexit: & pulchrè usus generum servatus: licet sub masculino arborum etiam scemininum: & sub sceminino picarum etiam masculinum contempnatur.

Credas) Verè, à doloso nummo deceptus, vel similes credere, vel cogaris credere, videns ex necessitate ita accidere: sed prima planior.

Pegaseium)

Pegaseium) Sic Virgil. *Priameius heros. & Aeneia nutrix.*

Melos) Græcum est, & brevi prima etiam apud Horatium, *Regina Calliope melos*: quod torfit multos, cum sit contra legem huius carminis, ut in alijs similibus superioribus pedibus est videre. Id autem usurpavit Persius poetica licentia à suavitate mellis pro omni dulcedine. ut Horat. *hoc iuuat & melli est*: & maximè pro poetica suavitate, cum ait, *Munare poetica mella te solum credi*. Virgilio & Horatio dulcès Musæ vocantur per sepe.

ANTONIVS VOLSCVS PIPERNAS.

MAGNA dissimulatione Neronis principis avaritiam & iniqua tēpora accusat. Nā dum se tutari nititur, quamobrè ad scribendas Satyras ex aliorū consuetudine velut repentinus poeta animū appulerit, causam in seculi malignitatē rejicere videtur. Neronis enim seculū vitijs omnib. marcescebat: nulla erant literarum aut virtutis præmia. mendicabant artes: sitiiebant Musæ: eò adeò, inquit, habendi sitis atq; avaritia excrevit, tantaq; est egestas, ut non modò ego scribere coactus sim: verū tantilla spes, si præmij aut precij exoriretur, vel ignavissimi Musarum cantum reddere viderentur. Vnde Petronius apertè in hæc secula excandescit hoc epigrammate.

Qui pelago credit, magno se scenore tollit:

Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro:

Pilis adulator picto iacet ebrius ostro:

Et qui sollicitat nuptas ad præmia peccat:

Sola pruinosis hæret sacundia pannis,

Atque inopi lingua desertas inuocat artes.

Nec fonte) Tutatur se, dicens se non abluisse in caballiuo fonte: minus autem est proluere, quam exhaurire: ut Hesiodus.

Caballino) A caballo. i. equo Pegaso nuncupato. Caballinum fontè in Helicone esse Plin. tradit, qui & Hippocrene dicitur: eumq; erupisse, cū subiectā ibi rupè ungula equus Pegafus feriret, tradet Strabo, Pegasumq; ipsum ex sanguine colli Gorgonis natum. Aratus & alij plures, Medusæ & Neptuni filiū fuisse tradūt: hūc Bellerophon cepisse traditur ad fontè Pyrenen, & cum ulterius evolare, decidit præceps.

Prolui) Madefeci, ut Hesiodus, qui dixit & scripsit se à Musis ductum hausisse aquam Caballini fontis.

Somnia) Per somniū spiritū alienū suscepisse, ut Enn. de se tradit.

Bicipiti) Qui in altum duobus verticibus exurgit. Non est verum quod in altero sit Helicon, in altero Cytheron: nam multū distant. Parnasus mons bivertex Phocidè bifariā partitur, ut Strabo author est: consecratus est numinibus. in eo est Coryciū Musarum antrum,

vnde & Musas Corycidas, Ovidius in Metam. dixit. Ennius in principio suarum Satyrarum dixit, se Homeri animam per somnium in Parnasso recepisse, unde Scipionis gesta posset aggredi.

Heliconidas) i. Musas, quibus Helicon sacer est. Helicon mons Crifseo sinui imminens, affinis Phocidi in Boeotia est, Parnasso æmulus altitudine & circuitu. In Helicone etiam ædes Musis sacra. Libethrum specu: unde Musæ Libethrides.

Pyrenen) Pyrene fons est infra verticem Acrocorinthi, appellatus à Pyrene virgine in eum conversa. Est Musis & nymphis sacer: unde pallidam alij dictam volunt, quod numinis spiritu poetæ pleni palleant; alij à pallore matris puellæ in fontem conversæ: alij quod illic expalluisset Bellerophon, cum Pegafum conscenderet: alij quod sub Veneris templo positus sit, ubi amatores pallerent. At ego pallidam dici existimo tenuem & cenosam, Nam licet Euripides dicat:

Venio ex Acrocorintho lymphis abluentibus irriguo,

Sacrum Veneri relinquens tumulum.

Tamen fons ipse, ut testatur Strabo, haud affluentes habet aquas in vertice, nec satis liquidas aut utiles: verum ad radices montis perspicuas & potui suavissimas. Nam ad radices montis fons est, qui tū ex Pyrene, tum ex alijs subterfluentibus aquis scatur.

Illis) poetis priscis.

Hedera) coronæ ex hedera. Hedera, lauro, quercu, apio, poetæ coronabantur.

Sequaces) serpentes. Nam hedera serpit & sequitur facile. Alludit ad priscorum poetarum statuas, quæ coronatæ visebantur, ut Varonis in bibliotheca Palatina, & Ennij via Appia ad unum lapidem.

Semipaganus) mediocris poeta. *πῆγν* lingua Dorica, ut tradit Verrius, aquam significat, & inde pagum declinari ait: inde & paganos, quoniam eodem fonte utantur. Et quia poetæ aquam fontis pegasei haurire dicuntur, ideo & pagani dicti sunt, seipsum semipaganum id est, mediocrem poetam vocat.

Sacra) i. inter scripta veterum quæ sacra sunt.

Quis) Similitudo est à difficiliore inducta per interrogationem, unde arguens sui temporis avaritiam, ostendit quare tam repentinus poeta emerferit.

Pittaco) avis quam ad nos India mittit, ut Plinius tradit. Humanam vocem reddit & Imperatores salutavit.

Picas) Ex picis id genus tantum humana verba exprimere traditur, quod glande vescitur, & inter has facilius, quibus digiti sunt in pedibus quini. Latior lingua est omnibus avibus, quæ humanam vocem exprimunt. Agrippina Claudij vxor prima turdum habuit, qui verba

verba exprimebat. Pica interdum victæ difficultate verbi moriuntur, ut testis est Plinius.

Magister) Respondet ad interrogationem.

Venter) esuries, difficultas, necessitas. Vergil. *duris urgens in rebus egestas.*

Sequi) ut aves sequantur.

Nummi) Phidon, ut Ephorus tradit, primus omnium æs signavit in Ægina Insula.

Corvos) i. dicaces & corvis similes.

Picas) garrulas & picis similes. Forminæ etiam poetiæ fuerunt: qualis Elephantis & Sappho traditur.

Pegaseium melos) i. dulcissimum cantum, qualem Pegafides, i. Musæ solent reddere: si refulserit tātilla spes numi, inuenies poetas qui dulcius cantabunt quàm Pegafides.

PHILIPPVS ENGELBRECHT ENGENTINVS

Scazon est præfatio Persiana, atque adeo hoc verum est, ut quotquot interpretes Archilochium censent, carminis structuram ignorasse videantur. Nam Archilochium Iambicum trimetrum (ut Servius tradit) locis imparibus recipit Iambum, Tribrachym, Spondeum, Dactylum, Anapestum. Locis autem paribus tantum Iambum vel Trybrachim, excepto ultimo. Trimetrum verò Iambicum Hipponactium, quod *σνάζοντα* vocamus, semper in sexta regione spondeum habet, vnde & scazon dicitur vel choliambus, i. claudicans carmen. Vbi tamen observandum est, ut quintus pes semper Iambus, ut Terentianus docet. Admittit autem, sicut Archilochium, locis imparibus ceteris Anapestum, Dactylum, Spondeum, Tribrachym. Locis paribus Tribrachym. Trimetrum, cum sit sex pedum, ob Iambi celeritatem nominari nemini non constat.

Hic Iambicus prologus satyricam habet indignationem. Nam eos notare videtur, qui vana ostentatione poeticam eruditionem è fontibus, Musis consecratis, contingere prædicant. Interim autem dum seipsum semipaganum vocat, ceteris gloriæ avidis titulos Musarum relinquens, ostendit industria & labore doctrinam comparari posse: exemplo ab aviò sumpto, quæ humana verba à magistris docentur: proinde non videri mirum, si diligentia in hominibus non sit inferior quàm in avibus. Vnde non rectè eò torquentur illa exempla ut ob egestatem Persium scripsisse fateri oporteat. Nam ea tempestate in nullo ferè honore erant poetæ, nec quippiam emolumentum inde sperabatur. Ita ergo accipiendum est: magno studio & cura in homine fieri posse, quod in animantibus ratione carentibus contingere videmus.

Prolui) Intinxi. Pleno se proluit auro, Bitias. i. *Aeneid.*
Parnaso) monte Musis sacro: de quo Herodotus & Ovid.

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnasus, superatq; culmine nubes.

& Lucanus:

— *Quantum se motus Eoo*

Cardine Parnasus, gemina petit aethera colle,
Mons Phebo Bromioq; sacer.

Pyrenen) Pyrene in Corintho fons est, Musis consecratus: de eo sic scribit Niger ex Pausania: fama est hanc Pyrenen ex homine præ lachrymis fontem factam. Dicit autem pallidam ab effectu, quod literarum studiosi plerumque pallere soleant. Salse autem eos notat, qui cum ob aliam rem fortè palleant, in studia causam referunt, cum nihil minus faciant.

Hedere) Hederis coronabantur poetæ. Hinc Virgil.

Pastores hedera crescentem ornata poetam: & Propertius,
Mi folia ex hedera porrige Bacche tua. & Iuvenal.
Qui facis in parua sublimia carmina cella,
Vt dignus venias hederis & imagine macra.

Ad sacra) Ad Apollinis templum, quod Romæ erat in signo in Palatio cum illustri Bibliotheca. Vide Horat. lib. 1. Epist. ad Iulium Florum, & lib. 2. epist. 1.

Psitaco) Vide Plin. lib. 10. cap. 42. Martialis in Apophoretis.

Psitacus à vobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere, Caesar aue: & Ovidius.
Occidit illa loquax humanæ vocis imago
Psitacus, extremo munus ab orbe datum: & Statius.
Humanæ solers imitator Psitace lingue.

Coruus) Vide proverb. Oleum & operam perdere, & Macrob.

Picas) Martialis in Apophoretis:

Pica loquax dominum certa te voce saluto,
Si me non videas, esse negabis auem.

Venter) Hinc illud Græcorum:

Πολλὸν ὀλιμὸς γίγνεται διδὰς *Κυαλ* *Θ.* & Euripides:
Πενία δὲ τὴν σοφίαν ἔλαχε. & Virgil.
— *Labor omnia vincit*

Improbis & duris urgens in rebus agestas: & Mimographus.
Hominem experiri multa paupertas iubet: & Claudianus
Prænocet ut segnēs animos, rerumq; remotas
Ingeniosa vias paulatim exploret egestas.

Vide proverb. *Multa docet fames. Necessitas magistra. Paupertas sapientiam sortita est.* *Dolosi*) Phocylides: *ἢ φιλο-*

ἢ φιλοζημοσύνη μήτηρ κακότης *Θ ὀπισθε.*
χρυσὸς αἰεὶ δὸλ *Θ βῆτι* *ἢ ἀργυρ* *Θ ἀνθρώποισι.*
χρυσὸς κακῶν ἀρχηγὸς, βίβροδορε, πάντα χαλέπων,
εἴτε σὲ μὴ θνητοῖσι γενέσθω ἡμαποδινόν:
σὲ γὰρ ἐκπῆτι μάχαιτε, λαηλασία τε, φόνου τε,
ἐχθρὸν δὲ τέκνα γωνύσιν, ἀδελφοὶ τε σωμααμοῖς.

Melos) Politianus cap. 44. Centuriæ suæ, putat legedum esse *nectar*, quod melos primam habeat brevem. Hermolaus tamen Barbarus hoc defendi posse putat, citans Homerum in Hymnis, ubi primam quoque syllabam produxerit,

Ἰμερόαν κοινάφρησ' ἑὸς δ' ἰσὸν μέλ *Θ* *ἄεισε.*

Vnde & Marullus festivissimus poeta Politianum deridet:

Posse negas dici melos facunde poeta,
Atque aded picas nectar ais canere.
Sed neque diuinus malè μέλ *Θ* *ἄεισεν Homerus,*
Nec, nisi qui laudat nectar, ineptè canit.

IN SATYRAM PRIMAM

O CURAS hominum! ò quantum est in rebus* inane!
Quis leget hæc? min' tu istud ais? nemo hercule. nemo!

Vel duo, vel nemo, turpe & miserabile. quare?

Me mihi Polydamas, & Troiades Labeonem

Prætulerint. nugæ. non, si quid turbida Roma

Elevet, accedas, ex amenue improbum in illa

Castiges trutina: nec te quasiueris extra.

Nam Romæ est quis non? ab, si fas dicere: sed fas,

Tunc, cum ad caniciem, & nostrum istud viuere triste

Adspexi, & nucibus facimus quæcunque relictis:

Cum sapimus patruos, tunc, tunc, ignoscite. nolo.

*Quid faciam? *sed sum petulanti splene cachinno.*

VALENTINVS.

Ocuras) Ex philosophi persona aut vulgaris cuiusdam. Vel secū colloquitur. Petrar. pur de le mille una utile fatica.

Rubus) humanis. *Inane*) ut illud, cœlestium inanis.

Hæc) quæ scil. tu Persi scripturus es. Ergo vana sunt.

Min' tu) Persius. Dialogismus Horatiana imitatione. In quo frequentissimus Persius & ita attemperatus est, ut utriq; sæpè persone

hymno mercurii primi.

In scriptores, qui tantum ad voluptatē incepta quædā, & nihil ad bonos mores facientia scriberent. **inanis!*

*si:

convenient verba. Rationem in quinta posuimus ex Aristotele.

Hercule) Collocutor: quasi dicat, dixisti nemo: quod quis accipere possit per hyperbolen aut concessionem dictum, sed verè dictum ego iuro Hercule, s. teste, quod & Hercle dicebant, iuxta illud, divos quanquam nil testibus illis profeci.

Vel duo) Mirè festivus, quod nimis parum dixisse videbatur in nemine, concedit duo, quod perinde est, ac nemo.

Turpe) Inhonorificum ac miseratione dignum. Et possunt collocutoris esse vel Persij per ironiam subdantis, Quare?

Polydamas) Per polydamanta populum Romanum intellige multorum dormitorem (quod indicat infra, turbida Roma: & Quis populi sermo) sicut per Troades mulieres Rom. eas perstringès, quod ultra sexum de poeticis scriptis iudicarent, ut infra, tum vetulæ auriculis &c. Nam mulierum Rom. importunum studium etiam alij perstringunt satyrici. Troades autem patronymicum est fœmininum, ut illud Virgilij. *Secreta Troades acta*. A quibus longa origine Romani etiam *Aeneadæ* dicti. Polydamas autem nomen athletæ, de cuius morte Valerius de mortibus non vulgaribus.

Labeonem) Nomen conveniens malo & loquaci Poetæ (à labijs deductû) & fortè infano, Horatiana imitatione, Labeone infanior.

Turbida) non-puri sensus & iudicij.

Elevet) parvipendat.

Accedas) scilicet sententiæ

Examen) Quasi-eximen dicitur quicquid exit: propriè tamen quod exit ex alvearibus, & inde omnis multitudo iuvenum, ut Horat. *Examen credas metuendum*. Sic regula stateræ vel trutinæ ex ea exiens, Est item examen concisum ab examinamen. Pulchrè ergo lusit Persius, in metaphora trutinæ examinis verbo usus aliter quàm in trutina usus caperet, licet e contrâ statera fieret ponderatæ rei examinatio.

Castiges) Emendes. Vnde nobis pro correctione & pœna.

Nec te quasi) De te tibi potius quàm alteri credito.

Nam Romæ) Pulchra aposiopesi usus est, cum magni odij timetur incurtus, omnes Rom. condemnando. Intellige autem, Romæ quis non vitiorum plenus, scilicet unde ei sit à satyra timendum, & ideò id genus descriptionis odio prosequatur, què sensum non semel exprimit Horat.

Dicere) quod s. omnes penitus Romæ Satyram formident vitij scoperti & repleti.

Tum cum) Hypocrisin perstringit, qua nihil odiosius vel domino nostro Iesu Christo. Ergo pro canitie intelligit verba senibus convenientia, quod per sequentia explicat. *Triste*

Triste) severum, tetricum, scilicet specis: effectum autem puerile.

Nucibus) nucibus tamen digna. i. puerilia. Iuxta illud Virgilij. *Spargemur marite nuce*. Ludunt enim pueri nucibus iuxta illud epigrammatarij. *Alea parva nuce*.

Patruos) i. agimus censores & castigatores minorum, ut inquit Horat. qui vel ter hoc sensu usus est patruorum voce, ut, patruæ metuentes verbera linguæ: ne sis mihi patruus: & gratum patruum, quod s. patres natura indulgentiores filijs, illos castigandos patruis traderent, sicut in fabula Terentij. Est autem patruus quasi patrius, patris frater, i in u mutata propter differentiam ab adiectivo.

Tunc, tunc) Ironicos: talia aspicientes ne carpatis, sed conniveatis.

Nolo) ignoscere.

Cachinno) Nomen dictum à cachinnando. Cachinno cachinnaris, ut epulo epularis. vnde nobis ghignoni, sicut à cachinno ghigno & à cachinnando ghignare.

Splene) Pro interioribus, in quibus risus exoritur. Petulantia autè hic risus incontinentiam significat, sicut in meretricibus videmus, quæ petulantes, petulcæ, procacesque sunt.

V O L S C V S.

O curas) Consueverant qui Satyras scribunt ante omnia declamatores & rudes poetas carpere, quod cum alia ratione non possent, muneribus audientium favorem sibi conciliabant. Id ante Persium Lucilius fecit & Horatius. Tantus igitur poetarum declamatorumque numerus in urbe creverat, ut passim recitantibus occurreretur. qui splendidissimis suffulti vestibibus, alta sede nixi, ut Petronius tradit, rerum tumore & vanissimo strepitu lascivientis populi resonabant. Persius non modò scriptores, sed & populum arguit, quod ea spectent, & ficto animo probent, unde indices non modò peiores fiât, sed nullam possint assequi utilitatem. Vnde Petronius erranti populo hoc epigrammate consulit.

Artis severe si quis amat affectus,

Mentemq; nugis applicat:

Prius more frugalitatis lege polleat

Exactè, nec curet alto regiam crucem vultu.

Clientisq; cenas impotentium capiet

Nec perditus addictus vino

Mentis calorem, nève plausor in scena

Sedeat redemptus histrionis auditu.

O curas) Principium hoc sumptum est à Lucilio, primo Satyrum: cui simile est illud apud Lucretium, *O miseris hominum mentes, ß*

peffora caca. Est enim ἐκφώνοις. i. exclamatio. Indignationem movet magna cum acerbitate, quod eò genus mortalium processerit, ut non nisi vana & inutilia curet.

Quis leget) Amicus loquitur & ait: ò Persi cum tanta incipias acerbitate, dicas mihi, quis leget hæc quæ tu scribis? ac si dicat, nemo.

Min')) Respondet Persius, mihi ne hæc ais?

Nemo) Rursus verba amici,

Hercule) per Herculem, per quem mulieres non iurabant.

Nemo) Persius contracta fronte respondet. Vel duo) .i. saltem. & rursus amicus.

Turpe) Persius hæc. i. indecorum populo Rom. erit, quod cum audiatur tot inanes fabulas, mea scripta contemnat.

Polydamas) Vnus fuit Priami filius, & per eum Neronem principem videtur innuere, qui fuit ex familia Iuliorum, quæ manavit ab Iulo Aeneæ & Creusæ Priami filix filio.

Troiaides) .i. cæteri Rom. qui à Troianis ducunt originem.

Labeonem) Antistius Labeo fuit I. C. sed de Labeone Grammatico Persius intelligit, qui Iliada Homeri in Latinum traduxit magnam acerbitate.

Nugæ) scil. sunt quas affers. nugaris ò Persi, & affert causam: nam si quis erit qui prober, erit per assentationem.

Castiges) Castigare est libram percutere, ut temperetur.

Examen) æquamentum: quod est iudicij investigatio & examinatio. Examen etiam est apum congregatio & locustarum.

Trutina) iudicio. Trutina est lingua in media libra, qua æqua examinatio cognoscitur.

Quæsuervis) nō investigabis de teipso & probitate tua tuisq; scriptis.

Extra) ab exteris, ab alijs: non enim qualis sis. ex alieno iudicio iudicabis. & est Chilonis sententia.

Nam quis) Est præcisio: deest enim assentator: quod amicus noluit exprimere.

Ab si fas) .i. utinã fas sit, & dicere liceat quæ sint vitia nostri tēporis

Sed fas) est, inquit Persius respondēs, & addit rationem cur fas sit.

Canitiem) ad vitia senum.

Vivere) Ad corruptam huius ætatis mortalium vitam.

Nucibus) Ea ætate qua plus virtutis ratio quam puerilis ætas valere deberet. Iuglandes autem intellexit, & è Perside primum translatae in nuptijs spargebantur: non quod cadendo tripudia facerent aut sonum, ut Verrius putavit: sed quoniam, ut Plinius verisimilius dixit, essent peculiariter à natura munitæ. Nam gemino operimeato eas protegit, primum pulvinato calice, mox ligneo putamine, ut hoc

hoc auspicio fretus etiam in nuptijs muniretur. Præterea impudici adolescentuli, ubi à turpi servitio recedebant, nuces spargere consueverunt, ut viderentur puerilia omnia deservisse. Est etiam puerorum ex nucibus ludus: unde sic Ovidius:

Quatuor è nucibus non amplius alea tota est,

Cum sibi suppositis additur una tribus.

Quæcunq;) Pœiora quàm in pueritia.

Patruos) .i. educamur & ediscimus apud patruos & avos: tūc enim erat ignoscendū propter puerilē etatē, qua omnia licentius fieri debent, Pueri autē maiores antequam mercede publicè docerētur, apud propinquos (ut Plut. in Probi. scribit) erudiebātur, alebanturq; sub tutela avi aut proavi: quo tēpore solutioris delicatiorisq; vitæ esse, atq; licentius vivere Porphyrio tradit: unde & nepotē dici aiunt luxuriosum & prodigum. Vnd Horat. *Discinēbus aut perdam ut nepos.*

Nolo) ut scil. inveharis in mores huius temporis. Ad hæc Persius respondet per communicationem, quid faciam? *Cachinno*) derisor.

Petulantia) ad risum lascivienti. Nam splen ad sinistram corporis partem esse, & ex ea movetur risus & lætitia. non possum, inquit, continere risum, quia habeo splenem magnum.

O CURAS) Per totā hanc satyrā poetarū sui temporis ambitio. ENGENTIN. nem notat, qui usque adeo à vulgi iudicio pendebant, ut in scribēdis mollioribus carminibus nullum modū observare viderētur, quantoq; licētius tum molles versus spargebat, tantò corruptior & scribēdi & loquendi ratio nascebatur. Habet autē hoc principiū miram indignationē, cum generaliter omnes curas & omnia hominū studia inania dicit. Interrumpit tamen quispiā adversarius ordinē, cui dum concinēdè respondēs, tandem ad hanc reprehensionis speciem descendit, ut potissimum eos carpat, qui vulgi iudicium plurimi facientes, scribendis carminibus ob solam gloriam penē intermoriuntur.

Quis) Monitor. *Min'tu*) Persius. *Nemo*) Monitor. *Nemo*) Persius.

Vel duo, vel) Monitor addituras erat tres: sed interrumpit Persius ex stomacho, significans se nō maximè operè curare etiã si nemo legat *Turpe*) Monitor,

Polydamas) Per Polydamata primariū virū accipe. Nō ineptè quidam hinc Neronem notari putāt, qui rerū Troianarū studiosissimus fuit. Nā & Troica scripsit, & vrbis partē incendio absumpsit, ut fruere- retur eo spectaculo è turri Mecenatica prospectans, letusq; flammæ, ut ait, pulchritudine illi decantavit in illo suo scenico habitu. Suetonio in Neron. cap. 38. Eutropio lib. 7. Per Troades vulgares homines intellige, qui in gratiam Neronis harum rerum studioſi videbātur. Vide proverb. Manivoro vinculo, & Pepones.

Elevet) Elevare significat in altum tollere. Sed hinc (ut

ſæpius apud ſcriptores) pro minuere & extenuare accipitur, tranſlari one ſumpta à re ponderoſa, quæ, ut in trutina par ſit, elevatur.

Quintil. lib. 12. *Quis ignorat, quin id longè ſit honeſtiſſimum ac liberaliſſibus diſciplinis, & illo quem exigimus animo digniſſimum, non vendere operam, nec eleuare tanti beneficij auctoritatem?*

Trutina) Proverb. *Eadem penſare trutina.*

Examen) Lingua eſt in trutina. Virgil. *Iupiter ipſe duas æquabo examine lances. Sufinet.*—

Facimus). i. cum puerilem vitã egredimur. Proverb. *Relinquere nuceſ.*

Extra) Proverb. *Extra ſe quærere.* i. populari opinione, non ſuis facultatibus ſe metiri.

Patruos) Proverb. *Patruos ſapere.*

Splene) Proverb. *De pulmone reuellere.* In ſplene eſt ſedes riſus, ?

Splen videre facit, cogit amare iecur.

Cachinno) Cachinno cachinnoniſ ein ſpotvogel / ſpeytaz à καχιννο hio.

Tantũ hoc ſpectat hodie qui ſcribũt, ut gloriam & famã captent, nõ ut profint, cum et feminata voce recitent.

Scribimus incluſi, numeroſ ille, hic pede liber, Grande aliquid, quod pulmo, auimæ prælargus, auhelet: Scilicet hoc populo pexusq̄, togaq̄ recenti, Et natalicia tandem cum ſardoniche albus, Sede legens celfa, liquido cum plasmate guttur Mobile colluerit, patranti fractus oculo. Heic neque more probo videas, neque voce ſerena Ingenteis trepidare Titos, cum carmina lumbum Intran, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.

VALENTINVS.

SCRIBIMVS) Numero Horatiano, ſcribimus indocti: & modestia eſt in numero plurali. Incipit autem ſatyra: & ſcriptor aptè contra ſcriptores, ſicut & Iuuenaliſ. Qua ratione non malè feciſſe arbitror, qui Horatij Epistolam ad Piſoneſ, nihil aliud quàm Satyram in Piſoneſ, in principio collocarunt, licet & per totũ opus non parcat.

Incluſi) Demonſtrat curam ingentem & abdicatiõẽ à conſuetudine aliorum, quale illud Horatij, *ingenium vacuus quod ſumpſit Athenas*

Numeroſ) Novè dictum videtur, numeroſ ſcribere, pro carminib.

& de

& de poeta intelligit, qui numeris aſtrictior eſt oratore, ſecundum Ciceronem.

Pede liber) Proſam intelligit. Clarum enim eſt ex historijs, non tantum carmina recitata fuiſſe, ed omnia opera. Proſæ enim non adimuntur pedes, maximè in clauſulis. Intellige autem numeroſ & pedes pro eodem poni. Videtur autem cauſidicoſ perſtringere, applauſus captantes.

Grande) Hoc enim peccabant illi poætæ, ut ſæpè Horatius: *Turgidus Alpinus dum vitat fumum, nubes & flumina captat: alibi: profectus grandia turget.* Et illud alterius,

Et populus tumido gaudent Antimacho.

Nam illud Horatij: *Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatus?* ad grandiloquentiam pertinere non poteſt.

Anima) multo ſcilicet ſpiritu. Anima enim ab ἀνέμω vento. Vnde Virgil. *quantum ignes animæq̄ valent.* Horat. *impellunt animæ lintheæ Thraciæ.* Rectè autem pulmonis meminit: hoc enim eſt eiſ officiũ.

Sardoniche) Videtur eſſe genus veſtis, qua tantũ natali ſuo uteretur.

Plasmate) Plasma generale vocabulum videtur, pro eo quod nos dicimus eadem vi, confectione. Sunt enim medicamenta voci conſentia, quibus & uſum Neronem apud Tranquillum legimus.

Mobile) Flexibile in diuerſas pronunciationeſ.

Patranti) quali ſolet eſſe cum opus Veneriſ patratur: quale dixit Iuuenaliſ: *Oculosq̄ in fine trementi.* Patrare enim à patre, eſt propriè opus patris facere. Inde ad omne opus transfertur.

Probo) Indecoras acclamationeſ perſtringit: quæ verba non ſolum in auditorijs, ſed etiam in iudicijs inuauerant: ut per ipſum infra. Contra morem ſcil. maiorum & ſeueritateſ.

Trepidare) Trepidare pedum eſſe arbitror, cum ex affectu nimio timoriſ vel gaudiij, terræ pedes non poſſunt contineri. Motu autem incerto & incompoſito. Ideo ad voceſ acclamationiſ pulchrè trãſtulit, quæ non erat conſtans ex nimia auditorij commotione, nec liquida, clara & ſerena, ſed perturbata. Sic plauſum quoque pedum (ut Virgil. *pars pedibus plaudunt choreaſ*) etiam ad manuſ & voceſ trãſferimus ex communi uſu. Nec ſignificat trepidatiõẽ celeritateſ, quod Horatij interpretibuſ viſum eſt, maximè ex loco Virgilij: *Precipitateſ trepidate viri &c.* niſi quatenus motum hunc in conſtantem animum habet, ut Horat. *ſepè trepidauit et aſ.* Sic recentioreſ Aſtologi in ſphæra octava ſtellis motum trepidatiõniſ aſſignant. Licet ex vi verbi à terra, vel terrendo & pedibuſ, omnem poſſit motum indicare. Hinc ad timorem tranſlatum, in quo hic motuſ in conſtans præcipueſ apparet.

Titos) Nobiles Rom. quorum solorum erant prænominina, ut Valerius lib. 10. Horat.

Quinte puta aut Publi. gaudent prænominine molles Auriculæ. —

Inter tot autem prænominina & longè plura quàm adhuc collegimus harum rerum studiosi, hoc Titorum elegit, quoniam trepidationis verbo magis consonabat.

Lumbum) Intelligit hic maximè scripta amatoria, ut supra, *patranti fractus oculo, & infra, secretaq; lumbi.*

Scalptur) Tale videtur illud Apostoli, *Magistros prurientes auribus, etc.*

VOLSCVS.

SCRIBIMVS) Aggreditur iam apertius invehit in malos poetas & declamatores, & primum in illorum luxuriam.

Inclusi) qui quæsiuimus secessum. *Ille*) poeta

Hic) declamator: qui solutus à pede est, non quòd in oratione nò sint pedes (nam principium & finis clausulæ duos pedes admittunt) sed quoniam non est ita numeris adstrictus, ut verius.

Grande) admirabile, magnum, ampullosum.

Animæ) spiritus. Nam pulmo quanto maior est, tanto nobis frequentiorem anhelitum præbet: & minorem velocitatem. Secus, ut inquit Plinius, quanto minor est, tanto velociore sumus, quoniam spirandi officinam continet, ardens trahensque animam. Ideò dicit, quòd pulmo prælargus, i. magnus vehemensque orator uno spiritu multa pronunciat, ut Demosthenes.

Anhelet) Cum anhelitu & ampullis pronunciet.

Scilicet) Invehitur in luxuriam huius poetæ, qui calamistratus & sumpta natalitia veste recitet.

Plasmate) Plasma & diaplasmata ex siccis odoribus fit unguentum, multum oleo respersis & dilutis.

Pexus) calamistratus: habens comas calamistro compositas.

Natalitia) alba quam die natali tantum fumere solebant.

Sardoniche) Lapide precioso, dicto, ut ait Plinius, quasi onyx in carada. i. velut carnibus hominis unguæ imposito & utroque translucete. Nam hic est proprius calor sardonichis.

Conspicuis) propter natalitiam vestem.

Hic neq;) Improbritatem & lasciviam spectantis populi, præsertim patriciorum notat.

Titos) Romanos. Titorum familia in urbe clarissima, cuius origo à Sabinis manavit, Tito Tatius Sabinorum rege in urbem migranti.

Trepidat

Trepidare) Venere irritari.

Lumbos) Renes quia in eis nascatur sperma. In renibus ait Varro, esse sedem Veneris, & ex eo dici quòd genitale semen inde renascatur: & ideo per intima intelligit renes.

ENGENTINVS.

SARDONYCHE) Sardonychen in magno precio fuisse apud veteres Plinius tradit lib. 37. cap. 6. primumque Romanorum ea gemma usum priorem Africanum.

Plasmate) Plasma potio est ex dulcioribus quibusdam composita, ad commendandam vocem maximè accommodata. Quod autem Persius hic damnat, hoc idem facit Quintil. lib. 1. ca. 13. sic inquit: Sit autem lectio virilis & cum suavitate quadam gravis, & non quidem prosæ similis, quia carmen est, & se poetæ canere testantur, non tamen in canticum dissoluta, nec plasmate, ut nunc à plerisque fit, efforminata. De quo genere optimè C. Cæsarem prætextatum adhuc accepimus dixisse. Si cantas, malè cantas: si legis, cantas.

Titos) Non absque Satyrico morsu Titos dicit, cum & cetera sint Romanorum prænominina. Arguit autem Romanos, qui iam deperdita gravitate Rempub. non tueantur (quandoquidem Titi à tuendo dicuntur) sed recitantium lascivia ita corrumpantur, ut nihil efforminatus fieri queat. Non autem habet modicam rationem quo instituto publica auditoria colantur, quandoquidem auditores facile ducuntur.

Tremulo) Metonymia effecti.

Tum' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas ante perditus ohe,
Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?
En pallor, seniumq; ò mores! usque ad eone
Scire tuum, nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est, digito monstrari, & dici hic est.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pronibilo pendas? ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.

Ohe, quid prodest didicisse licite, nisi ostētes eruditionem tuam quam tāto studio parasti?

Tun' vetula) Est hoc loco sensus difficilis. Videtur autem perstrin- gere poetam, qui laudibus poematis sui vellet venari (ut Horat. in- quit) *senes, quos in vivaria mittant*, id est vetulam quandam, ut eum amaret, hæredemque institueret. Tu, nè, inquit, uteris hac recitatio- ne ad colligendum escas vetulæ, ut eam scilicet capias? Vnde & nos hodie escam vocamus cibum, quo pisces capimus: & inde verba ad- escare & alleschire, vel eo modo dictum, colligere escas, quo nos di- cimus. dar pasto per ingannare, quod in idem ferè recidit.

Auriculis) .i. hominibus: pars pro toto .i. colligis alienis auribus, non ipsius vetulæ, sed aliorum, qui deinde ipsi referant. Alienas autem iudicio pœtico appellat venales & redemptas adeò adulan- tium hominum, ut vel ipse perditus qui eas redemerit, satietate lau- dum sit silentium impositurus.

Obe) Sile: *Horat. Nam satur est cum dicit Horatius, obe.*

Cute) .i. intus & in cute, quo proverbio ipse alibi utitur.

Quid didic.) Verba alterius vel Persij ironicòs: vocat autem pul- chrè fermentum scientiam, quomodo & dominis noster, *Cauete à fermento Pharisæorum, & Paulus, scientiam rectè inflare tradidit.*

Caprificus) Pulchra utitur metaphora caprifici ex iecore exeuntis: siquidem iecur origo libidinum, maximè amoris. *Horat. Si torrere iea- cur quæris idoneum.*

En pallor) Verba Persij, parvipendentis eos qui alijs quàm sibi & Musis canunt, q. d. en opere precium quapropter palleas longo stu- dio (de quo supra, pallidamque Pyrenen: & in tertia infra, *Hoc est quod palles*) & propter quod senium contrahas. Est enim senum mor- bus minus ferè sapere volentium: licet & pro re molesta omni ca- piatur: & pro prudètia & scientia heic capi possit, q̄ sunt in senibus.

O mores) Vt illud Ciceronis, *ò tempora, ò mores.*

Scire tuum) Diverso sensu à poetæ intellectu transijt in proverb.

At pulchrum) Possunt vel aduersarij, vel Persij verba esse in ironia perseverantis.

Monstrari) Ex historia sumptum: contigit enim ni fallor, Demost- heni. Vnde illud Petrarchæ, *per cosa mira s' addita* qui idem sibi con- tigisse scribit, & de Dante, ut reor, legitur. Sic Horat. *Quod monstror digito prætereuntium.*

Cirratorum) puerorum capillatorum.

Centum) finitus numerus pro infinito.

Ecce) Prosequitur indignabundus morem iudicandi & recitandi eum indecoris modis & acclamationibus in convivijs.

Romulide) q. d. quantum degeneres iuxta illud Horatij.

Non

Non ita Romulis & Catonibus præscriptum. Catullus: *Magnanimos Remi nepotes.*

Dia) divina, de quibus ideo tali tempore non disputandum, ut no- stris temporibus Germanis de rebus sacris ferè inter pocula oriun- tur disceptationes.

POLYCVS.

TVN' VETVLE) Invectus poeta in ampullosos poetas, qui ver- bis potius quàm re gaudent: mordet nunc & exclamat, quod tandiu voluerunt pallere, quo ad populum sibi conciliarent: deinde cum maxima irrisione ponit verba.

Vetule) Verulum cavernosum & ignavum & lascivum dixerunt maiores.

Escas) Fomenta lascivie. Translatio ab his qui cibum ex multis rebus conficiunt.

Cute) Cute perditus dicitur, qui nulla parte sanus est.

Fermentum) .i. mixtura hæc vitiosa & acida. Fermentum veteres faciebant ex furfuribus minutis, tritici musto albo triduo macerato subactis, ac sole siccatis, deinde pastillos infarciendo panem diluebāt, & cum similaginis semine fervè faciebant, & farinæ miscebant. Po- steà Plinij tempore farina subigebatur, & decocta ad modum pultis relinquebatur, donec acefceret. Licet & vulgo, ut etiam in præsen- tia non coqueretur. Natura est acore fermentari corpora. quæ fer- mentato pane utuntur, validiora sunt, & triticum quod erat ponde- rosius, id utilius corporibus humanis veteres existimarunt.

Caprificus) Sylvestris ficus est nunquam maturescens, sed alias ma- turare facit, ut in Sicilia. Culices enim ex caprifico nascuntur, qui ad proximas ficus evolantes ora aperiunt morfu, unde sole ventoque penetrantibus maturescunt. Caprificus addita, bubus fugiunt. Ster- ilem autem & insinceram doctrinam. Persius fermenti & caprifici notatione designat.

En pallor) Exclamatio ad indignationem commovendam.

Senium) Senium est trædium & odium senectutis, quoniam ea æ- tas trædio & odio sit, & ideo veteres senectutem malam ætatem dixe- runt: iuventutem verò bonam ætatem.

Vsq̄ adeo?) Interrogatio est,

Te scire hoc) .i. noverit te in hac corrupta scribendi consuetudine consenuisse: & carmen hoc est Lucillianum.

At pulchrum) Anthypophora & obiectio irrisi poetæ, vel potius in- ducti amici.

Tene) .i. tua scripta & poemata fuisse dictata centum puerorum,

pro nihilo pendes. Cyrratos autem pueros appellarunt veteres à cirris. i. capillis, quos gerebant in detonsos, donec Apollini dedicassent.

Ecce) Assentationem convivantium aggreditur.

Romulidae) Romani à Romulo, *Saturi*) .i. dapibus expleti.

ENGENTINVS.

CVTE) ob senium rugosus. *Quid didicisse*) scilicet iuvat.

Fermentum) Hæc translatio ostentationem arguit eorum, qui eruditi potius videri quam esse cupiunt: quo nomine sæpius in publico recitant. Per fermentum igitur scientiam ostentatoris intellige. Sicut enim illud farinæ immixtū erumpit: ita hæc in pectore ostentatoris clausa non inanet. Sic de caprifico, quæ ficus est sylvestris nunquam maturescens, auctore Plin. lib. 13. cap. 19. cuius ea est natura, ut omnia perumpat ubicunque crescit, ruptis etiam saxis & parietibus. Vnde pulchrè doctrinam quæ latere non potest, caprifico comparat.

At pulchrum) Vel monitor, vel Persius, sed ironicè. Proverb. *Digitum monstrari*.

Cirratorum) puerorum, qui cirris, i. capillis intortis gaudent.

Dictata) .i. ex libris tuis tam multa pueris in scholis exhibita.

Ecce) Indignatio est in eos qui inter media pocula de rebus gravibus disputant. Proverb. *Ventre pleno melior consultatio*.

32. *Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina lena est,*

Rancidulum quiddam balba de nare locutus,

Phyllis & Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid

Eliquat, & tenero supplantat verba palato.

Assensere viri. nunc non cinis ille poeta.

*Felix? *nunc leuior cippus* non imprimit ossa?*

Laudant conuiva. nunc non è manibus illis,

Nunc non è tumulto, fortunataq; favilla

Nascentur violæ? rides, ait, & nimis uncis

Naribus indulges. an erit, qui velle recuset

Os populi meruisse, & cedro digna locutus

Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?

VALENTINVS.

HEIC ALIQVIS) Nunc de indecora recitatione: & quendâ etiam certius

certius perstringit, quam in superioribus.

Lena) Notat habitum & Romano & Poetæ indecorum, quòd Iæna pro tunica, quod circa humeros tantū, quòd hyacinthini coloris.

Phyllidas) Miserabiles materias Phyllidis à Demophoonte, Hypsipyles ab Iafone derelictæ.

Eliquat) Vt suprâ liquido plasmate.

Supplantat) Translatio, i. inrecedit, facit emori & interrumpi verba commiserationis.

Assensere) Indigna acclamatio in his qui se viros profitentur & esse deberent. Vnde infra, *testiculi si vera paterni*.

Cinis) Pulchra exagitatio & pulchrè per diversa verba iterata.

Leuior) His imprecationibus solent uti poetæ: *Leuis contegat ossa lapis*.

Cippus) Cippi imaginem refert quæ nobis in templis colligendis stipibus prostat columella lignea. Licet in sepulchris non semper ligneas fuisse crediderim. In eo inscribatur & elogium epitaphij fortè & quantum agri esset religiosum, ut per locum illum Horatij: *Tercentum cippus in agrum*. Videretur autem dici à capiendis pedibus, quali non erecta, sed in terra protensa illa columella solent quasi cõpede reos impedire & remorari. Vnde & à similitudine nobis pro origine ponitur, pro ea scilicet parte arboris propè radices, quæ poetis sæpè pedes cepere verforum in arbores.

Favilla) Favilla pro igni ponitur: ut Horat. *tenui versata favilla*. Pulchrè autem miracula ingerit, eum ex igne (à quo nihil gignitur natura) eius quæ maximè evanescente parte, vult flores produci: & respicit fabulas poetarum, quibus multi in flores versi: nam Græcis viola pro omni flore. Vel dictum est fortè proverbialiter, ut alibi,

Quicquid calcaverit hic, rosa fiet.

Rides) Perli. *Ait*) adversarius meus.

Naribus) irrisioni, mordacitati. Vt Horat. *Suspendis omnia naso*.

Os populi) Voces, laudes, ex ore procedentes.

Cedro) Horat. *Speramus carmina fingi. Posse linenda cedro. Cedro autem dixit pro cautela contra tineas.*

Scombros) Iuxta illud: *Et scombros laxas sæpè dabunt tunicas.*

Horat. *Aut Vticam fugies, aut unctus mitteris Ilerdam.*

Thus) Horat. *Deserar in vicum vendentem thus & odores.*

Et piper &c. Hic enim exitus demum manet inutilia scripta, sæpè antiquis poetis irrisus.

VOLSCVS.

HEIC ALIQVIS) .i. tunc, post percontationem convivantium.

Hyacinthina) purpurea. Tres colores principales imitantur flores. Primus est coccus, id est,

(*la grana*) qui in rosis micat. Alius qui multas species habet. Exprimunt enim heliotropium, malvam & violam serotinam. Tertius purpureus (qui amethystus dicitur) est in violis, quæ id nomen habent, ut ab eis hyacinthinæ vestis dicatur.

Nare) Duo vitia exprimit, quod esset balbus, & loqueretur naribus.

Rancidulum) fastidiosum, corruptum. Metaphora sumpta à rancida carne. i. corrupta.

Elhiquat) lascivè effert.

Phyllidas) Phyllis Lycurgi Dryantis ex Cluſtumena Colchica: quoniam Demophoon Thesei filius promisso tempore non rediisset, sese in arbore amygdala suspendit: aruit ilico: sed in amplexu redeuntis Demophoontis revivuisse traditur. Hypsipyle Thoantis filia Regis Lemnij, cum cæteræ Lemniades trucidassent viros, pepercit patri. Ex laſone Eunum & Thoantem filios suscepit. eos educavit Lycaſte, ipsa à patria exulavit.

Tenero) unguentato,

Nunc non) Cum irrisione narrat poeta convivantium verba.

Cippus) sepulchri lapis.

Levior) Nam magnam felicitatè putabant veteres, si lapis ossa non preſiſſet.

Manibus) umbris illius poetæ. Manes veteres non modò Deos, sed beatas umbras appellabant. Nam manum bonum dixerunt, ut tradit Varro. *Favilla*) è rogo.

Rides) verba amici vel adversarij cum Perſio diſputantis.

Indulges) i. magnos ronchos ducis. *Ois*) favorè & plausum populi.

Cedro) æternitate. Cedrus arbor est in Lycia & Phœnicia, quæ floret: fructum non fert: Ligno est æternitas. i. non marceſcit, ideo ex eo fiebant simulacra in delubris Deorum. Nam Romæ videbatur Apollinis simulacrum ex cedro aduectum ex Seleucia, provincia Asiæ. Oleo cedrino peruncta materies non sentit cariem: ideo chartas eo notabant. Hinc Ovid. in tristib.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Scombros) pisciculos, quos chartis involutos ſalsamētarij vèdunt.

Thus) thura vendentes. Mali enim libelli ad pigmentarios & ſalsamentarios referebantur.

E N G E N T I N V S.

HIC ALIQUIS) Hic peculiariter in divitem quempiam invehitur, qui apud convivas molliter recitabat versus, à quibus tum supra modum laudabatur, ut mutuum muli scabere viderentur.

Cippus) lapis sepulchralis. *Manibus*) umbris.

Favilla)

Favilla) cinere. *Viola*) Proverb. *Rosas loqui.*

Ait) Monitor. *Naribus*) Proverb. *Naso suspendere.*

Vncis) Simplex pro composito. i. aduncis,

Cedro) Habet hoc speciem pro verbij, aut cum optima scripta dice re volumus, *Cedro digna esse* appellemus. Libri enim credrino oleo tincti, non facilè à tineis roduntur, nec sentiunt cariem. Huc pertinet quod scribit Plin. lib. 13, cap. 13, de libris Numæ Pompilij. Proverb. *Cedro digna.*

Scombros) Scombri ex genere piscium sunt, ex quibus optimum fiebat ſalsamentum. Intelligit autem cucullos papyraceos, in quibus vel thus vel scombri venduntur.

Quisquis es, d, modò quem ex adverso dicere feci, 44.

Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,

** Quando hæc rara avis est, si quid tamen aptius exit,*

Laudari metuum; neque enim mihi cornea fibra est:

Sed recti finemq, extremumq, esse recuso:

Euge tuum, & belle. nam belle hoc excute totum,

Quid non intus habet? non heic est Ilias Acci

Ebria veratro; non, si qua elegeidia crudi

Dictarunt proceres, non quidquid denique lectis

Scribitur in citreis: calidum scis ponere ſumen,

Scis comitem horridulum trita donare lacerna,

Et verum, inquis, amo: verum mihi dicito, de me,

(Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, calue,

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.*

In scribendo nõ hoc spectandũ, ut laudemur tantũ, sed ultrò, quia honestum est, id agendum.

* Quamquã

Ilias nihil moror Accium Labronè qui elleboro se purgat & cenis laudatores redimit.

* protenso.

V A L E N T I N V S.

QUIS QVIS) Verba Perſij. *Rara avis*) Respicit ad Proverbium. *Cornea*) dura & insensibilis vena est fibra, quæ poeticè & satyricè ponitur hic pro omni affectu. Petrarcha proprius pro venis posuit:

Non ho medolla in osso, d sangue in fibra.

Sed recti) Ex penetralibus philosophiæ intimis: non studiosè operandum laudis gratia: nec in ea sumum esse bonum potest.

Recusō) .i. nego. Recusare autem est negare facti causas afferendo. Vt Virgil. *Causando nostros in longum ducis amores.*

Extremum) .i. summum bonum & felicitatem.

Euge) pro omni assentationis vel laudis genere. Talibus enim vocibus in acclamationibus & cōprobandis poematibus uti solebant. Vt Horat. in Arte: *clamabit enim pulchrè, benè, reftè,*

Belle) .i. pulchrè. Horat. *bellum hoc*

Excute) Metaphora à malis pulchra specie, quæ sunt excutienda, ut mala se prodant.

Quid non) scil. mali, q. d. omnibus malis refertum est, cum ex assentatione potius quàm ex veritate procedat: assuefacitque laudatum ad opus virtutis sola laudum spe, utque in illis summam reponat felicitatem: quæ omnia non modò mala sunt, ut in proverbio Græco, *malòsum Ilias.*

Ilias) Quæcunque hæc Ilias & hic Accius fuerit, certum est, ut vitiosum poema carpi, & quale in quivijis illis laudari solebat.

Ebria) q. d. insana, quæ veratro .i. elleboro atro (unde nomen sumere videtur) expellitur: quo sensu sæpè Anticyram pro insania & mania in poetis usurpavit Horatius.

Elegidia) Non cōtentus miserabilis materiæ significatione. (Nam, ut Ovidius ait, *elegeia flebile carmen*) sub forma diminutiva protulit, ut augeter commiserationem & teneritudinem illam quam suprà carpsit.

Crudi) Auget superiora. Non tantum inter pocula & convivia, sed crudi, cum ex vaporibus indigestis offenditur cerebrum, tūc est minus credibile bona poemata posse pangi. Et crudi dixit, ut Horat. *crudi tumidiq; lavamur.* Non concocto cibo, figuratè dictum.

Dictarunt) Non tantum iudicia, indecoras recitationes & acclamationes in convivijis, sed compositiones etiam perstringit: licet etiam commodius; ructarunt, legi possent, si crudi respicias & recitationibus aptius, licet nec dictamen respuat. Vt Horat.

Frende comas vincti cantant & carmine dīctant.

Proceres) Expressius quàm Romulidæ, & ingentes Titi, & infra. Vos ò patricius sanguis. Irreperat enim hoc vitium ferè inter nobiles, ut poesim affectarentur.

Sumen) Occasione convivij addit aliam accusationem, quòd simulatione subijciendi scripta iudicio, quod laudat Horatius: *impensis cenarum & tritæ munere vestis* (ut idem alibi carpit) *venantur suffragia plebis.* Est autem sumen (quasi sugimè) summa suis pars, & summè in cœnis expedita, ex porcæ mamillis, quæ nunc etiam sumate vocantur Neapolitanis.

Lacerna)

Lacerna) Idem quod Horat. *tritæ munere vestis*, sed hîc satyricoteron, ut ita dicam, cum nomen lacernæ eligit: quæ vestis est integra, & in qua lacerationis nomè auditur: unde fortè de ducitur, ut præter attritionè adstet etiã laceratio, & in re minima. Erât enim lacernæ, ut reor, quales capucci florētini: unde defluxère *le becche Venetiane*, & *le bande dottorali*. Perstringit autem crimen avaritiæ pugnans cum ambitione & gula. Lautum enim satis convivium ponit, quando quidem & ipse ex eo sumpturus est: at vestem tritam donat, qua solus comes uturus est.

Qui pote) Quomodo possibile te velle audire verum de te, vel quomodo possibile, ut ego redemptus possim dicere.

Nugaris) poemata nugacia & nihili, condis.

Calve) Nomen certi poetæ quem describit,

Aqualiculus) Venter in quem sordes derivantur, sicut per aqualiculum aequalè .i. canalem: nos *aquaio ò secchiaio, ò lavello*, alibi scafa vocatur, ò *squaruolo propius*.

Extet) promineat mensura sesquipedis, inversa dictione, quasi dicas pede semisq; quod & in omnibus alijs dicitur, ut sesquiulyxes, quod declarat Budæus de Assè, non tamen ponens originem.

VOLSCVS.

QVIS QVIS) Quem nolo nominare.

Rara) .i. phoenix, quæ singularis & unica est.

Fibra) Fibræ sunt cordis eminentiæ, ponuntur pro corde, in equorum, luporum & cervorum corde sæpè ossa reperiuntur. Dicit igitur fibra cornea .i. cor durissimum, & ut ita dicam, adamantinum.

Euge) .i. dico tuam istam laudem non à virtute, sed assentatione profectam.

Excute) Excutare pertinet ad illum, qui aliquid in sinu habet. Estque translatio.

Belle hoc) .i. omnem istam popularem laudem.

Veratro) Cn. Actius vir Rom. Iliada scripsit: & ad purgationem stomachi elleborum sumere consueverat. Elleborum latine veratrum dicitur. duo sunt eius genera: nigrum quod Melampodem medicum reperisse tradunt, & album. Nigrum ubique provenit, sed optimum in Helicone monte, qui est multis alijs herbis celebratissimus: per inferna purgat: candidum autem vomitione morbos extrahit. Id enim plerique studiorum gratia ad providenda acrius quæ commentabantur, ut Plinius, author est, sæpius sumpserunt, ut Carneades responsurus Zenonis libris. Drusus quoque Trib. pl. comitali morbo in Anticyra insula sumpto elleboro, liberatus est.

Nōn hīc Verba convivarum ostentantium recitanti poetæ.

Ebria. i. multo elleboro lucubrata & composita.

Crudi) duri & difficiles veteres Rom. scriptores. Videtur alludere ad Catullum & Gallum, qui in Elegijs duriusculi fuerunt, ut meminit Fabius.

Citreis) ex citro arbore factis. i. carmina huius poetæ sunt facta in secessu, non in delicijs, & sapiunt æternitatem. Lectulos non modò ex cedro maiores nostri factitarunt, sed ut Varro tradit, ex ebore & testudine ad delicias & oblectationem. Est enim citrus arbor odorifera, quæ ex Africa & præsertim monte Athlante affertur, ad delicias mensarum & lectulorum.

Sumen calidum) i. paulò antè coctum. Cibi calidi præferuntur frige factis. Sumen optimum esse suis occisæ uno die post partum, si foetus non auferit: lac, vulva & fumen idem.

Comitem) convivam. *Horridulum*) frigidum.

Aqualiculus) Venter turgidus, qualis est hydropicorum, pinguis, & calido sumine refertus. Et videtur notari Nero hīc: qui habuit ventrem protensum.

ENGENTINVS.

CORNEA) i. non sum usque adeo durus, ut non movear laude.

Quid non intus) q. d. habet intus imposturas, risus, sycophantias.

Acci) Reijcit omnino vulgi laudes à suis versibus, cū in eo videat tam esse corruptum iudicium, ut etiam Accij Labæonis scripta eximie probet. Quod autem eius poetæ Iliada veratro ebriam dixit. satyricum habet morsum, utpote qui plus æquo operam impenderit in rem nihili. Sanè ad noxios humores depellendum elleborus prodest. Candidum autem genus intellige, quòdam terribile, postea tam promiscuum, ut plerique studiorum gratia ad providèda acrius quæ commentabantur, sæpius sumptitaverint. Plin. lib. 25. cap. 5. & paulò post: *Italia veratrum vocat*. Proverb. *Helleborum bibere*.

Rara) Proverb. *Rara avis*. *Cornea*) Proverb. *Cornea fibra*.

Lestis) mensis discubitorijs. *Citreis*) Plin. lib. 13. cap. 15.

Sumen) Sumen est ex papillis porcæ uno post partum die scitis. Vocabulum hoc primum imposuit Publius Mimorum poeta, Plin. lib. 8. cap. 51.

*pinfat.

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinfat,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,*

Nec

*Nec lingue, quantum sitiât canis Apula, tantum,
Vos, ò patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrere sannæ.)*

*Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læue seueros*

Effundat iunctura ungueis? scit tendere versum

Non secus, ac si oculorubricam dirigat uno:

Sive opus in mores, in luxum, & prandia Regum

Dicereres grandes nostro dat Musa poetæ.

VALENTINVS.

O IANE) Tacite innuit quod ipse de calvo fecit deridendo eum, idem pati omnes tales poetas, saltè à tergo: licet fortè in faciem laudentur: id quod demonstrat vocando lanam, scil. optans, ut ipsi tales essent bifrontes, visuri quæ postea, coram laudati, ludibria patiantur, quod Iano evenire non potest, cum ipse possit manicam à tergo respicere.

Ciconia) Triplex subannationis aut derisionis genus exprimit.

Primò digiti porrectionis ad nasum in rostri ciconiæ formam pinfendo: quasi naso. i. iudicio ipsum verberemus, ut suprà dixit de uncinis naribus.

Auriculas) Hoc etiam utimur. Est enim avis, idcirco Græcis *Orus* vocata, quòd plumeas auriculas, fortè etiam albi coloris, & semper mobiles habeat. Hæc miraculo & risui alijs avibus & hominibus est. Talem hac imagine monstramus, quem irridemus, quasi hic sit bubo Latinis, aut similis speciei. Hinc nos ridiculos homines, bufones vocamus, & ut nomini respondeant inventum eis affingendi auriculas panneas hinc ortum dici potest.

Lingua) Exertio linguæ, ignominia causa fit, cum loquacem aut dignum de quo omnes obloquantur demonstramus. Exerunt autè linguam maximè canes sitientes, quales Appuliæ, quam siticulosam vocat Horatius. Videndum autem quare fœminam canem potius elegerit, cum masculos, ut sicciore, sitientiores esse verisimile sit: an versui & voluptati poeticæ ex raro usu inservivit. Nam sic & Horat. sine aliqua necessitate, multam canem dixit. Certè Latinis hic & hæc canis dicitur: nobis item est canis & cania, unde cagnia, sicut avus & avia, non ava: vel ex communi in terminationem fœminam transformatum.

Felix qui nō est tam stupidus, quin sentiat adulatori subannationes cum alioqui laudant.

Sive comœdiâ, sive tragediâ velit scribere magno artifex.

Vos ò patricius) Pulchrè ab Horatio desumpsit hoc in. non ab simili causa: *Vos ò Pompilius sanguis*, in Poetica. Et intellige de proceribus illis Titus Romulidus, de quibus supra.

Vivere fas est). i. quorum scripta debent mereri immortalitatem, & fas pro iure, ut supra in principio.

Occipiti) hoc est, cum vestrū occiput sit cœcum, sine oculis, & non possitis subsannationes videre à tergo, occurrere huic infirmitati in medio vel diligentia in poematibus. Dicitur autem occiput, non quasi ob caput (nam tum potius anteriorem capitis partem significaret: cum hic clarum sit posteriorem significari) sed quasi capitis occidua & ultima pars.

Sanna) Sanna est dens, qui in derisione solet exeri, morsibus dignum indicans. Vnde sanna per derisionē & subsannationē. Postica autem quæ hic post tergum: non est quidem posticum quicquid est post aliquid: sed quod est post domum, quasi post οἶκον, ideo penultima longa: sicut & anticus & amicus: alias hæc in icus: brevè habent, ut hosticus ensis. Inde ad omne quod est post, transductum.

Quis populi) Verba poetæ & patricij illius sanguinis, interrogantis quid tandem de ipsis populus sentiat, in quo & poetæ vulgi iudicio æqualescentes, & vulgi iudicium carpit, bene de ipsis sentientis: nisi rotum sit *εἰπωμῶς* dictum. Nam Horat. in Epistola ad Augustum: *Populus aliter sentit, melius de veteribus quam de recentibus poetis iudicans.*

Quid enim) Responso Persij, referentis vulgi iudicium, de quo supra, Polydamas & Troiades.

Carmine) Hoc vulgi iudicium: delicatius esse hoc scribendi genus superiori: & nunc demum ventum esse (ut Horat.) ad supremum. hac scil. ætate, & in hoc quodam certo poeta, de quo sit quæstio, ut infra.

Vi). i. adeo molli, numero, ut per proverbium possint dici, *facti ad unguis*, quo utitur Horatius, sumpta metaphora è marmorarijs, qui unguæ tentant, num commissa ira affabrè sint marmora, ut non appareat commissura. Hoc expressit Persius mirè, dicens, *iuncturam esse fundere*. i. non retinere unguis severos. i. severè inquirentes & iudicantes.

Per leue) per levigatū, politū adeo ut unguis non offendat. aliquo. *Tendere*) Metaphora sumpta à sagittarijs, qua sæpè nostri poetæ usi sunt: vel potius à fabris.

Rubricam) Quod collimare vocant Latini, nos, *tirax di mira*. Clauditur enim unus oculus ne visus dividatur aut dispergatur, propter id quod maior vis in eo colligitur.

Sive opus) Præter communes mores sunt luxus regum & eorum præn-

prandia. Ad luxū autem maiore pertinet prandia quæ cœng. Reges intellige potètes homines, præbentes prandia, eaq; luxuriosa. Reges enim appellatos eos, qui convivium præberent, annotavit in Horat. Acron, & ex eo mira quædã. Loquitur autè hic etiam de poemate Satyrico, ne poetæ taxans sui poematis generi parcere videatur.

Dicere) Repetendum est verbum dicerè. Est autem affectatio Horatij, *Grays ingenium, Grays dedit ore rotundo Musa loqui.*

VOLSCVS.

O IANÈ) Irrisio sumpta à similitudine, Janus fuit quadriceps, & de hoc non poterat irrideri. Janus cum Camese in Italia regnavit, ut Protarchus Trallianus meminit. Traditur fuisse biceps ob regiam prudentiam, quoniam futura, præterita, & præsentia optimè prospiceret. Vnde in Vrbe duæ Deæ colebantur, Antevorta & Postvorta. C. Bassus in libris quos de Dijs composuit, Quadrifrontem Ianum dicit effingi, quoniam universa sua maiestate complecteretur & videret: ideo à Salijs Deus Deorum Janus canitur, & ideo hic poeta ab irrisione Ianum Liberum vocat.

Pisfit) Pifendo lufit. Nam pifere est manibus frequèter aliquid reverberare: pertinet ad pistores. Tu es, inquit, similis Iano, quem quoniam est quadriceps, nemo potest aliquo irrisionis genere deludere. *Mobilis*) sæpius agitata.

Albas). i. asininas. Nam asinorum auriculæ interius albescunt.

Appula) In Apulia, quæ est Italiæ pars æstiosa, olim dicta Messapia à Messapo rege.

Sitiat) In siti emittat.

Vos ò patricius) Alia irrissio. Vos ò nobiles Romani. Patricij enim illi tantum dicti sunt centum patres, quos Romulus elegit, & qui ex illis progeniti sunt. Reliqui verò à regibus additi, patres Conscripti appellati sunt.

Eas vivere). i. quorum vita posita est in virtute.

Sanna) .i. irrisioni. *Postica*) post terga factæ.

Occipiti) Posteriori capitis parti. *Ceco*) sine luminibus. Nam occiput est posterior capitis pars. Hoc est, non patiamini tam elegantem poetam post terga irrideri. Et est irrissio ad augendam superiorem irrisionem. Sanna autem est fatuitas in dictis, motibus & scenis. Vnde & sanniones dicuntur, quos Græci *μωπῆς* vocant. Et Cicero eos videtur exprimere secundo de Oratore: *Quid enim tam ridiculum, quam sannio vultu, motibus, voce deniq; & corpore ridentur ipso.* Postea ut hæc irrissio videatur verior, poetæ sciscitationem ponit & convivarum responsa.

Quis populi) .i. quid de me loquitur populus?

Quis enim) Responsio convivarum, quis sermo de te sit, nisi quod carmina tua fluunt, seu currunt versu facili & bene coniuncto.

Iunctura) compages & coniunctio lapidis. *Effundat*) .i. ducat.

Severos) leveré iudicantis fabri. Severum eum appellamus, qui iustitiam ipsam ad unguem resecat. Inde & severitas dicitur iustitia sine misericordia.

Per leves) Perlevigatum & politum marmor. Et est similitudo à sculptoribus, qui unguis tractu marmoris levigationem tentant. Populus tua carmina ita fluere dicit, quemadmodum unguis per levigatum marmor effunditur.

Scit tendere) Idem conviva ait, ita poetam tendere versum, ut faber lignarius dirigat rubricam. Scit dirigere sine asperitate versum suum & carmen.

Non secus) Similitudo est à fabris lignarijs, qui norma rubrica in perfecta lineam ad oculum rectam ducunt. Normam reperit Theodorus Samius.

Mores) ad scribendum mortalium ritum & vivendi consuetudinem. Intelligit autem Comœdiam. Est enim Comoedia private civis que fortunæ sine periculo vitæ comprehensio.

Luxum) .i. ad carpendam luxuriam: & intelligit Satyram.

Regum) .i. ad Reges exprimendos, qui in prandijs scelera perfece- runt: qualis fuit cœna Thyestæ, & prandium Terei. Vnde factæ sunt Tragoediæ. Est enim Tragoedia, ut Thaphrastus definivit, heroi- cæ fortunæ in adversis comprehensio.

Grandes) .i. gravia & sublimia, magno pondere verborum.

Dat) Concedit, hoc est: Poeta hic, sive Comœdiam, sive Satyram, sive Tragoediam meditetur: graviter omnia & magnificè scribit.

ENGENTINVS.

O IANE) Quam felix es & prudens. Proverb. *Alter Ianus*: & In occipitio oculos gerit.

Ciconia) Gestum exprimit deridentis, qui digitis dextræ manus in unitatem collectis, veluti ciconiæ rostrum effingit: & manum post tergum eius motitans subsannat. Simili modo faciunt, qui asininas aures effingunt & linguam exerunt.

Albas) asininas. Asini enim aures intus albescunt.

Tantum) scil. exeritur tibi. *Quantum*) scil. linguæ, exerit.

Sanna) Sanna, risus qui fit à tergo, Proverb. *Postica sanna*.

Leve) politum. *Severos*) arbitros.

Effundat) transmittat. *Iunctura*) lapidum.

Ungues)

Ungues) Ad unguem rem perfiri, proverbium est, sumptum à marmorarijs, qui iuncturam lapidum per unguem pertentant.

Rubricam) amulsim.

Regum) .i. si velit scribere Tragoedias.

*Ecce modò heroas sensus adferre videmus
Nugari solitos Græcè, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, vbi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa Palilia feno:
Vnde Remus, sulcoq; terens dentalia Quincti,
Cum trepida ante boues* Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum licetor tulit. euge poeta:*

* Dictaturâ

VALENTINVS.

ECCE MODO) Totus hic locus ironia plenus ex persona poetæ Persij occasione verbi, populi (*dicere res grandes*) quasi dicat, quid mirum, omnes nunc grandiloquentiam affectant, repente, qui nec parvis materijs sufficere posse videntur: hos pulchrè vocat heroas sensus. Bellè autem adiectivum substantivè, ut & substantivum adiectivè ponitur, ut alibi, *iuvenes curas*.

Nugari) Ex Horatio sumptum: *positis nugari Græcia bellis Desijt*.

Græcè) Versibus Græcis & more Græco. Perstringit autem linguæ Græcæ levitatè & gentis in moribus. Vnde verba Græcari & Pergræcari. Maior enim & linguæ Romanæ & gentis maiestas, ut vel ipso ex Virgilio & Homero colligere licet.

Lucum) Quæ materia non solum communis, sed & levis. Non autem videtur in specie de luco Martis intelligere, communi Poetis materia, de quo per Iuvenalem in principio: sed potius de omni luco, de quo per Horatium, *Cum lucus & ara Dianæ*. Ponere autem fingere valet, ut Horatius: *solers nunc hominem ponere, nunc Deum*: & alibi: *quia ponere totum, nesciet*. Et artifices ponere pro ponendi, usus est infinitivi more Græco & Horatiano.

Rus saturum) Materia etiam communis poetis, ut videre licet in Virgilio, Horatio ex professò & alijs. Saturum autem rus appellat vel plenum bonis, vel quòd facilè sui satietatem afferat, maxinè toties laudatum à poetis, quò tendit & illud Horatij:

Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros.

Vbi corbes) Hæc verba usque ad illud (*Euge Poeta*) nimis abs re profensa, arbitror bellè & facilè ex aliquo inepto poeta desumpta, qui hoc pacto rus laudasset, quòd ibi essent corbes plenæ, focus luculentus, porci pingues, ludi. Palilia enim sunt festa Palis Deæ, Urbis natiuitas, quibus fœnum incendebatur, insiliebantque de more pastores in ignem, & ideò fumosa Palilia fœno vocasse videtur.

Vnde Remus) A militia deinde commendat, quæ semper urbanæ prælata, Cum autem dicit Remum, intellige & Romulum & alios Imperatores agricolas ut Quintius, cuius historiam referens Livius togæ meminit ab uxore allatæ, Dentalia autem pro aratro.

Euge) Commendatio ironica ut supra, euge tuum: quasi dicat, annon tibi videtur hic pulchrè rus laudasse?

VOLSCVS.

ECCE MODO) Irrisio est à generali quadam comparatione.

Heroas) Graves sentètiæ maximorum virorum, hoc est, videmus multos Poetas heroico carmine scribere, imitatos poetas Græcos. *Ponere*) in animo recondere: interdum restituere est, ut: sic nos in sceptrâ reponis. interdum ordine disponere apud agricolas, ut pone ordina vitæ: & apud luvenalem, nunquamné reponam? Apud Catonem est arbores ordine disponere & plantare.

Ius satarum) ferax & cui nihil desit. Videtur autem optimum prædium intelligere, de quo Cato: Vineæ, hortus irriguus, salictum, olivum, pratium, campus frumentarius, sylua cædua, arbutum & glandifera sylua. Sed in villa insint cubicula hyemalia & æstiuæ, cœnationes, balnea, culina, furenum, pistrinum, piscinæ, borrea, præsepia, borti, pomaria, cellæ serviles & habulæ, putei, præterea pecudæ, capræ, fures, gallinæ: & quæ curiosius legere poteris apud Columellam lib. primo de villæ positione. Debent etiam esse loca sacrificiorum ubi Pastores Deæ Pali sacrificent, cuius sacra Palilia dicuntur, aut parentalia. Ea enim fiunt, incensis stipulis aut fœno, transilientibus pueris vicefimo die Aprilis.

Vbi) in quo rure.

Corbes) Cato appellat corbular: Columella fiscellas, easque decimo die ante vindemiam texi iubet & trimodias fieri. Corbes dictas ait Varro, quòd in eas spicæ aliudve corruat. Sunt enim corbes quibus vix deferuntur ad lacum, & picari debent.

Focus) Per focum intellexit culinam.

Porci) Gregeæ & armenta.

Palilia) Loca ubi pastores Pali sacrificent.

Fœno) quoniam in his sacris fœnum urbatur. *Vnde*) Ex quo agro:

Remus)

Remus) Remus Romuli frater agrum possedit, aravitque, qui Romulinus dictus est, eiusque habitatio Remona. Erat etiam Remona locus in summo Aventino, ut Verrius scribit, unde Remus de urbe condenda fuerat auspicatus. Remunia enim dictus est locus, in quo Remus sepultus est, ut Dionysius tradit.

Quinti) Ciacionate. *Dentalia*) Vomere in dentalibus. Est enim dentale aratri pars cui vomis infigitur.

Vxor) Racilia. *Trepida*) festinans. *Boves*) Quibus arabat.

Euge) Ironica exhortatio.

ENGENTINVS.

ECCE) Eos carpit, qui, ut habeantur doctiores, ubique græca sonant, cum tamen minora præstare nequeant.

Heroas) Heroicos. *Videmus*) poetas. *Ponere*) describere.

Artifices) pro, qui nesciunt. *Palilia*) festa Palis Deæ.

Vnde) scil. natus est.

Quinti) Vocativus est, ô Luci Quinti Conciannate. Vide Livium lib. 3.

Vxor) Racilia

Lictor) à ligando, quòd fasces liget, qui consilibus antiquitatis præferebantur.

Est nunc, Brisei quem venosus liber Atti:

Sunt, quos Pacuviusq, & verrucosa moretur*

Antiopa, ærumnis cor lætificabile fulta.

Hos pueris monitus patres infundere lippos

Cùm videas, quærisme, unde hæc sartago loquendi

Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo

Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis?

*Pacuvius, & in κακογυίας, & nimifi antiquitatis admiratores, vitia pro virtutibus æmulantes.

VALENTINVS.

EST NUNC) Carpit itidem iudicium populi, qui nimis antiquis poetis gauderet, non media incedens via, sicut superiores nimis recentibus tanquam mollibus: illi veteribus tanquam solidis & virilibus. Hoc enim est quod ait, venosus & verrucosa. Robustis enim viris ut rusticis ferè verrucæ nascuntur, & venæ tument ex sanguinis abundantia, & valido spiritu.

Brisei) Accium Briseum videtur vocare propter Iliadem, de qua:

suprà. Notū enim est Iliada fabulam Briseidos in principio cōtinere.

Pacuvius) Antiquus poeta, docti senis formā ferens, ut ait Horat.

Moretur) Detineat, delectet.

Antiopa) Fabula antiqua videtur Sophoclis aut Euripidis, quam Pacuvius transtulerit. Cicero de Opt. gen. orat. *Est autem versus, ni fallor, bellē ex inepto poeta translatus, qui verbis improprijs & incompressis affectarit virile & robustum genus dicendi.*

Hos pueris) Bella indignatio contra utrosque, & molli numero & nimis auctero gaudentes. Lippos autem patres cæcos appellat, qui cæcis duces se præbeant.

Infundere) Bella metaphora à vase.

Quærisne) Quasi dicat nonne satis superque ex his patet, quòd patres hos vel illos utroque corrupto iudicio filijs suis commendant, & illi conatur effingere, & talia vitiosa collaudat, illisq; applaudunt?

Sartago) Corruptum genus dicendi & pronunciandi respicit, ut de utroque verba fecit: licet sartaginis frixorix sonus molestus, magis prononciationem respiciat.

Trossulus) Eques Rom. ut Varroni & alijs.

Exultat) plaufurus. Hoc enim est trepidare, ut Horat. *saliet, tundet pede terram.*

Tibi) Poetæ malo.

Subsellia) Loca ad sedendum inferiora, in quibus auditores.

Levis) delicatus, mollis.

VOLSCVS.

EST NVNC) Briseus à Brise patre Hippodamiæ, quam amavit Achilles.

Venosus) intricatus. Respicit ad Didascalida quæ scripsit de philosophia. Est autem translatio à similitudine venarum.

Pacuvius) Poeta, natus ex Ennij filia Romæ: qui ut vitam duceret, pieturam exercuit, fabulasque quas faciebat vendidit. Deinde Tarentum diutino morbo laborans, grandi ætate concessit. Ad quæ Pacuvium Accius divertit in Asiam proficiscens, plusculisque diebus invitatus cum eo mansit: fabulamque illi ostendit, quæ Atreus appellabatur. Pacuvius grandia & sonora esse dixit, sed duriora paululum & acerbiora. Accius ita esse respondit, sed ingenijs evenire quod pomis: quæ acerba nascuntur, maturescunt: quæ statim vieta & mollia sunt, mox fiunt putria: relinquendum esse ingenio quod dies & ætas auferant.

Verrucosa) ad asperitatem fabulæ respexit. Est enim Verruca tuberculum,

berculum, quod præcipuè in manibus nascitur, easque reddit asperiores & salebrosas.

Fulta) .i. cuius Antiope cor calamitatibus erat plenum.

Sartago) .i. corrupta vivendi consuetudo. Est metaphora è vase coquinario, quod fordidissimum est & unctum.

Lingua) Puerorum.

Lippos) Longo vitio corruptos. Lippi enim dicuntur qui bibendi consuetudine oculorum vitium contraxerunt.

Infundere) Aperire paulatim & præbere. Non est, inquit, mirandum, si sunt corrupti pueri, quando hæc vitia à parentibus didicerunt.

Dedecus) .i. lasciviendi mala consuetudo, & recitandi & audiendi lasciva. *Trossulus*) Eques Rom.

Levis) Effematus cantando & recitando.

Subsellia) Sedilia aut senatorum aut theatri. Et apertissime hoc loco de Nerone innuit, qui personatus in spectaculis recitare & cantare non dubitavit.

ENGINVS.

EST NVNC) Eos carpit qui malunt legere atque imitari veteres poetas, apud quos tamen non fuit linguæ Latinæ puritas. Omnino affectatores putat, qui ex omnibus veterum libris obsoleta verba decerpunt, & scriptis suis infarciunt, ut vel hac eruditionis specie aliquid esse videantur.

Lippos) senes. *Dedecus*) corruptela loquendi.

Trossulus) Plinius lib. 33. cap. 2. indicat huius nominis rationem. sic inquit: Quinetiam ipsum equitum nomen variatum sæpè in his quoque qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde Flexumines, postea Trossuli, cum oppidum in Tuscia citra Volsinos hoc nomine sine ullo adiumento peditem cepissent. Eius vocabuli vis duravit ultra C. Gracchum.

Subsellia) Theatrum. *Levis*) Glaber.

*Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire decenter?
Fur es, ait Pedio, Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis: doctas posuisse figuras
Laudatur bellum hoc. hoc bellum? an Romule ceues?
Men' moueat quippe. & cantet si naufragus, affem*

Quidam tam gloriæ sunt avidi, ut vel in capitis sui periculo ad eloquentiam quandam convertantur.
*trepidum

*Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. verum, nec nocte paratum.
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.*

VALENTINVS.

NILNE) Manarat iam indecorus dicendi & audiendi modus etiam in forum, in causis etiam capitalibus. Ideo hoc etiam taxat. Horum meminerunt & Tacitus in Dialogo de Oratoribus, & Plin. Iunior in Epistolis. Et nominatim hac in re Pedium quendam senen perstrigunt, qui capitis accessit defensionem faceret per figuras poeticas, & acclamationes vulgi captaret.

Decenter) Suprà dixit bellè hoc. Vox. n. acclamantiũ est, Deceter.

Pedium) i. furti accusas Pedium.

Pedius) quid scil. facit in causa tam gravi capitis.

Antithetis) Antitheta sunt verba & numeri contrapostiti, qui maxime tinnulam orationem efficiunt: quale ferè dicendi genus Isocrati familiare, & postremis latinæ linguæ adhuc vigentis scriptoribus, Ambrosio maxime. Rectè ergo librandi usus verbum quasi numerum literarum, syllabarum, vocum, pedum, temporum vel casuum, vel partium orationis, & denique omnia consideret, ne quid plus sit in uno membro quàm in alio: sicut æqualis sunt ponderis quæ in libra vel trutina ponuntur.

Rasis) politis, in quibus nihil exuberans & superfluum: vel aratione carthæ frequentis.

Figuras) Ecce sutor ultra crepidam, cum vulgus etiam à doctrina laudat. De figuris autem poeticis maxime loquitur, quæ per se non possunt non pulchræ esse. Vis autem & momentum in eo, ut sint etiam doctæ.

Bellum hoc) Verba acclamationis, ut suprà, *Fuge tuum,*

Romule) Romane. Sic Virgil. *Romula tellus.*

Cenes) titillaris tanquam in coitu & moveris: ut suprà, *Ingentes trepidare Titos.*

Men' moveat) Indecentiam ostendit talia meditandi in causa capitis, non minorem quàm si quis in narratione naufragij cantaret, aut in narratione amicæ potiræ per noctem, ploraret. Est autem affectatio Horatiana: *Men' moveat cimex Pantilius.*

Trabe) Trabem & fractam rectè posuit in naufragio, per quod navis in trabem redigitur non simpliciter pro nave, et Virgil. & Horat. Et notat morem suo & nos utimur. De quo aliàs per eundem. *Ne pictus obemer. & per Horatũ in principio Poeticæ: si fractis emat ex pes*

Mercibus

Mercibus ere dato qui pingitur.

Paratam) scil. amicam. Non enim ea materia apta lacrymis & commiserationi, sed ioco. Ex quibus concludit in causa capitis ineptè captari occasiones acclamationum popularium.

Querela) i. afficere me commiseratione, affectato numero Horatiano. *si curat cor spectantis tetigisse querela.*

VOLSCVS.

NILNE) Exclamat in senatores: O patricij Rom. nil pudet vos non posse abigere vitia unde tot pericula emergunt? Et alludit ad Neronè, qui corruptus omni genere vitiorũ, nihil inausum reliquit. **Cano**) senectute vestra. Quia si vitium turpe est in adolescete, multo turpius est in sene.

Tepidum) lascivum. i. poetam tam lascivè recitantem.

Fures ait) Exemplo invehitur in senatores, qui cum accusaretur Pedius furti, illum ob carminum recitationem absolverunt. Pedius blæsus accusatus est à Cyrenensibus, ut Tacitus meminit, quod thesaurum Æsculapij violaverit, delectumque militarem precio & ambitione corruerit. Qui cum pallatus more maiorum die dicta in senatum descendere debuisset: ille ornatus ante senatores carmina figuris colorata decantavit: quibus mitigatus senatus, absolvit.

Ait) Cyrenensis accusator. **Quid?**) scil. respondet ad hæc.

Librat) ad regulam locat, & meditatur, & componit carmina.

Antithetis) Verborum exornatione.

Posuisse) disposuisse: collocasse in suis carminibus.

Cenes) Cum laudas o Romane carmina Pedij, putas te cevere. i. Venerem exercere. **Quippe**) Argumentum à simili.

Ex humero) Veteres in naufragij tabula solebant omne sui naufragij periculum exprimere, ne omnibus eadem recensere cogerentur,

INGENTINVS.

NILNE) Tanta erat morum corruptela apud Rom. tanta laudis ambitio, ut de gravibus & capitalibus criminibus accusati, non viderentur etiam relictis causæ argumentis, dicendo laudem querere. Hoc Pedij cuiusdam exemplo probat, qui cum esset accusatus furti, relictæ causa ad verborum splendorem se convertit. Est autem antitheton, cum contrariæ res inter se conferuntur, ut inquit Rutilius Lupus 2 de Figuris. Romanus Aquila de nominibus figurarum Ciceronis illud brevissimum extat loco exempli. *Domus deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. In pace ad vexandos civis acerrimus, in bello ad expugnandos hostes inertissimus.*

Antitheta cum contraria contrarijs opponuntur, numerum oratorum necessitate ipsa efficiunt, & cum sine industria. Cicero in Oratore. Vide Quintil. lib. 9.

Incurvasse). Qui vult me movere ad misericordiam. Est autē translatio ab eo, qui delectum ex misericordia sublevare nititur.

Berec. Non nulli arbitrantur Neronē ut durū in versu hic notari.

*os tam

*a Pœnino.

*pregrandi.

Tor. Hos

versus, ut ni

mis turgi-

dos ridet.

*sectum

Sed numeris decor est, & iunctura abdita crudis.

Claudere sic versum didicit, Berecynthius Atys,

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Sic costam longo subduximus* Apennino.*

Arma virum, nonne hoc spumofum, & cortice pingui?

Vt ramale vetus ve grandi subere coctum!*

Quidnam igitur tenerum, & laxa ceruice legendum?

Torna Mimalloneis impleverunt cornua bombis:

Et raptum vitulo, caput ablatura superbo.*

Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis

Euion ingeminat: reparabilis assonat Echo.

VALENTINVS.

SED NUMERIS) Sicut numerorum mollium affectatores supra profecutus est: ita nunc crudorum. (Crudus enim molli non inepetè opponitur) in quibus abditum quendam decorem & iuncturam quidam admirabantur.

Claudere) Exempla adducit crudorum versuum.

Spumofum) Metaphora est à rapido cursu fluminum.

Cortice) Metaphora sumpta à truncis pinguis materiæ arborum, qui dum coguntur, spumam emittunt & strident maximè, ita ut cū sonitu & quodam impetu pronunciandum censent.

Ramale) Per ironiam interponit ita pingue esse, ut ramale vetus: persistens in metaphora. Nam ut fortè truncus possit aliqua pinguedine abundare: certè rami magis absunt ab ea pinguedine, & magis ramale, iam scilicet abscissum, & arboris, aridissimi suberis, & grandis, & annosi, quod indicat illud veteris: sicut nos proverbialiter dicimus per ironiam, *netto come un baston da pollar, chiaro come brodo di ceci, & melius, grasso come una sardella salata, O un luccio secco al fumo.*

Quidnam

Quidnam igitur?) diverso perstringit eorum iudicium, qui putant equentes versus (quoniam in materia lubrica conscripti essent) smolliter esse pronunciantes & nihil grandiloquentiæ habere: cum tamen multum eius habeant.

Torna) Ex fabulis sunt sumendæ horum carminum interpretationes, maximè ex Horatio, qui per bacchas animalium discerptorum meminit, & Bassareum vocat Bacchum & Evion, quod bonum filiū significat, quo nomine devictis Gigantibus ipsum à Iove appellatū fabulantur. Tum & Lyncum & Mænadum & Corymborū meminit.

VOLESCVS.

SED NUMERIS) Redit ad Pedium.

Crudis) malè digestis, quæ tamen verba habeant cōcinnè disposita sine subiecta sententia: & est metaphora sumpta ab indigesto cibo, qui putrescit in stomacho.

Atys) Finis est carminis Pedij, Atys puer Phryx amatus à Cybele, quæ Berecynthia appellata est, à Berecyntho monte Phrygiæ,

Nerea) mare. *Dirimebat*) findebat. Videtur intelligere Delphinū, qui vexit Arionem Methymneum, cuius historiam habes primo libro Herodoti

Costam) difficultatem. Nam costa montis clivus dicitur.

Apennino) Monte Italiæ longo, qui protenditur à mari supero ad inferum, hoc est ab Adriatico ad Tyrrhenum.

Arma virum) Adversarius principium Æneidos sumit, idque spumofum dicit.

Ramale) ut antiquus & annosus ramus.

Subere) Arbore quæ pinguisimum habet corticem. Ita mihi videtur tumidum & inflatum principium hoc Virgilij, ut cortex suberis, quando est incoctus.

Quidnam) Magna cum indignatione respondet adversario, & sciscitatur, quid sit legendum ceruice laxa seu libera.

Torna) Adversarij responsum est, & carmina quædam ponuntur, quæ quantum ex vetustis monumentis collegi, ex Neronis Niobe translata traduntur, ubi Penthei mortem desleverat.

Impleverunt) Bacchæ. In sacris Bacchi adhibebantur tibiæ & cornua, quibus mons Cytheron totus resonabat bombis. i. sonis.

Mimalloneis) Bacchicis. Mimallones, Bassarides, Mænades, Evanthes, Bacchæ.

Bassaris) .i. Agave. *Bassaris*) sacerdotem Bacchi significat, à vulpina pelle, qua incedebant tectæ, & Thraces bassares vulpes appellat.

Vitulos) Pentheo, qui vitulus videbatur. Vide Ovid. *Metamorph.*

Superbo) Quia Bacchi nomen contempsit.

Menas) sacerdos Bacchi.

Lynxem) Lynx animal maculosum, ducit currum Bacchi.

Corymbis) habentis ex hedera, cuius fructus est corymbus.

Eubion) Bacchum. Euyos Bacchus vocatur à Iovis voce quæ emississe dicitur cum Bacchus non reperiretur in bello Giganteo.

Echo) Echo est repercussio vocis, quæ in locis concavis redditur. Fuit capta amore Narcissi: & quia eius consuetudinem puer fugerat, diu clamando in vocem verba est.

Reparabilis) quæ reparat & repræsentat vocem.

Affonat) sonitum reddit ad ingeminationem & vocem Bacchantiû.

ENGENTINVS.

SED NVMERIS) Monitor.

Addita) Occulta & proba concinnitas.

Crudis) quos tu vocas crudos.

Berecynthius) Ostendit exempla versuum tanquam mollium.

Sabere) cortice. Vide Plin. lib. 16. cap. 8. de subere.

Laxa) molliore.

Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni

Viveret in nobis? summa de lumbesalina

Hoc natat in labris, & in udo est Menas & Atys,

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungueis.

VALENTINVS.

HAEC FIERENT) scilicet ut taliter pronunciaremus.

Testiculi) .i. si virtutis paternæ (ut Virgilius ait) in nobis quicquid inesset: quod Persius Satyricè expressit per venam testiculi. Hinc enim facile patet, qualis sit stylus heroicus, & quâto differat à satyrico.

Saliva) Per interrogationem lego, quasi dicat: videturne tibi, quoniam materia bacchica sit, ideò enerviter & sine lumbis, & vi aut vigore aliquo summa saliva in labris nata pronunciandum hoc: ut Menas & Atys.

Menas et Atys) Non poema illud de quo supra dixit Berecynthius Atys: sed materiæ furorem continentes, qualis est Menas & Atys, ut Catullus cecinit: debeant esse in udo. .i. in summa illa saliva. Licet obsequium aliquid etiam significare crediderim, ut sæpè per Martialis: quasi dicat, ita ne tibi videntur hæc molliter pronuncianda, ut semper

ne vi-

ne virili ex titillatione profuente inadefias: quo sensu udm Martialis non semel usurpavit.

Nec pluteum) Perfisito in interrogatione: Videturne tibi ideò non debere pluteus cædi, aut non unguis rodi (ut inquit in tali casu Horatius, *sæpe caput scaberet, vivos & roderet unguis.*) quòd materia sit bacchica aut venerea, cum contrà sit: & ideò molli non indigeant pronuntiatione. Pulcherrimè autem usus est verbo sapit: cum sapor ex morfu in ore remaneat, iuxta illud Virgilij;

Et salis occultum referens in lacte saporem.

VOLSCVS.

HAEC FIERENT) Excandescit ad hæc adversarij verba Persius Inquit ergo: si esset aliqua consuetudo veterum, non ista probarentur: nec audirentur poetæ hæc lasciva & inutilia recitantes. Eadem est Taciti sententia, qui queritur paulatim mores patrios esse abditos, nec in urbe versari nisi quod corrumpi & corrumpere queat: iuuentutem quæ omnia exercere vitia autoribus senatu & principe, qui non modò licentiam vitij permiserit, sed vim adhibuerit, ut Rom. proceres specie orationis & carminum in scena polluerentur.

Testiculi) .i. si virilitatis & virtutis maiorum nostrorû aliqua pars remaneret & superesset.

Hoc) .i. corrupta hæc recitandi & scribendi consuetudo.

Saliva) .i. in lascivia & delicijs summi oris eminent. Aliud est ex ore, aliud ex pectore loqui. Sensus est: quicquid scribunt, non sapit animi præmeditationem, sed est effusum è summo ore, & ideo verba sunt, quæ non sententiam, sed iuncturam quandam verborum solù redolent.

Menas) .i. quicquid scribitur de Bacchis & Aty, hoc est, omnes istæ tabellæ, versantur in udo. .i. in molli & lascivo palato & unguentato: & addit causam: quoniam ille poeta dum componit, non cædit pluteum.

Pluteum) Plutei crates corio crudo in testæ, quæ militibus apponebantur inter agendum opus. Erant & tabellæ sub quibus pugnant: à qua similitudine & scribentium capsulæ dicuntur.

Ungues) Alludit ad morem poetarû, qui dum in componendo aliquid inveniunt quod sapiat æternitatem, aut caput scabunt, aut pluteum cædunt, aut unguis mordent.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero

Auriculas? Vide sis, ne maiorum tibi fortè

Limina frigescant. sonat hic de nave canina

Litera. per me equidem sint omnia protinus alba.

*Nec
*etenim
*Nil moror. euge, omnes, *omnes bene miræ eritis res.
Hoc iuuat, heic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angueis: pueri, sacer est locus, extra
Mejte. discedo.—

VALENTINVS.

SED QUID OPVS) Verba collocutoris fatentis tandem vera esse & digna vituperatione, quæ carperit Persius: sed ea non dicenda propter periculum. Imitatus est totus Horat. ad Trebatium. Sunt quibus in satyra videor nimis acer, &c. Teneras) ideò mordacitate plus tendendas.

Radere) perstringere, taxare,

Mordaci vero) quod alibi mordaci lotus aceto legitur.

Auriculas) aptum teneritudini: licet (ut supra dixi) vox simpliciter pro auribus capiatur.

Vide sis) Vide si vis: imperativus enim additur modestiæ causa.

Ne maiorum tibi) Eodem diverso sensu dictum quo Horat. in maiorum quis amicus frigore te feriat. i. morte. Sic autem circa idem admonet, ne cum pertrāsierit limina maiorum, aliquis memor iniuriæ illū interficiat: ita quòd omnia & sic limina illi frigescere faciat.

Sonat hic de nare) vel Persius verba dicentis aliquem sibi canina iracundia superiora dixisse: vel verba collocutoris admonentis Persium, non longè exitium sibi imminere, iam audiui rictum canum. Est enim hæc litera r, quam imitatur. unde iræ, reor & irritationis deductas voces.

Per me equidem) Verba Persij mirè pavorem simulantis concedentis que nihil se carpturum, & sibi omnia alba, id est, bona futura: sicut nigra mala dicuntur: ut Horat. & alij, & mira vis est in verbo.

Protinus) quod quidem deinceps, sed & statim significat: inuens non talia prius fuisse: & sic sibi talia habitum iri, licet verè talia non sint.

Nil moror) Verba sunt mirantis.

Hoc iuuat) vel collocutoris, vel prosequitur Persius.

Heic inquis) eodem modo vel collocutoris vel Persij. Pulchra autè metaphora à loco digno & solito contingi, quales innuit illos esse à quibus se dicit abstinere velle.

Pinge duos angues) Persij verba, & nominat in orem perterrefacien-
dis maximè pueris

Discedo)

Discedo) Persij omnino verba, sed maximè etiam per concessionem ironicam.

VOLSCVS.

VIDE SIS) locutio est comica: hoc est, cautus sis si vis: ita sæpè Plautus.

Ne limina) atria, domicilia.

Maiorum) principum civitatis. Fortè) hoc est ob hanc mordacitatem tuam, frigescant: sint clausa: & est metaphora sumpta à culina quæ tunc mala dicitur cum friget: quoniam nullæ in ea epulæ parantur. i. sis cautus ò Persi: ne ob hanc mordacitatem à maioribus excludaris: & addit causam.

Quoniam hic) in domicilio magnatum. Litera) (cil. R.

De nare canina) quam irritatus canis exprimit naribus.

Sonet) Iterum & iterum geminetur. nam & hæc litera sæpius repetita: & etiam sybilis inepti mimi in Theatro explodèbantur: cum Persius intellexit hoc quod amicus dixit, statim mutavit sententiã, & cum irrisione responderet.

Me equidem) Persius suadenti amico per irrisionem: respondet & ait, ò amice qui mihi persuades.

Omnia) quæcunque sunt sive bona sive mala sint.

Per me) quantum ad me atinet. Protinus) nunc, nunc.

Alba) candida. Virgilius enim quoties rem elegantem & probam voluit exprimere, candidum dixit, ut illud est de Daphni,

Candidus insuetum miratur limen Olympi.

Candidum) intellexit felicem & beatum: & sic hic.

Nil moror) .i. permittam omnia fieri tanquam proba: non invehar in aliquem.

Euge) exhortatio Persiana est, & ideò sequitur res omnis.

Etenim) certè.

Omnis res) omnia negotia, quæcunque sunt.

Miræ) admirabiles. i. omnia profectò sunt admirabilia: & plus est quam si dixisset, bona, ad exprimendam maiorem irrisionem.

Iuuat hoc) Rursus ad amicum hoc dicit.

Iuuat) delectat te, ò amice. Hoc) .i. ut omnia ita laudem.

Oletum) crepitem humanum aut stercus: oletum humanum stercus Verranius significare dixit, cum ait, sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum: hoc est dicas, ò amice noli hos mordere.

Duos angues) hoc est illos ita notabis quos morderi non vis, quem admodum illi faciunt, qui ad arcendos pueros, ne fordes in loco faciant duos angues pingunt, aut statuam: perinde ac locus esset sacer: ut est apud Iuvenalem, Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est: non

dicitur mingo, sed meo facit minxi, in præterito: barbarū est mingo
(Discedo) hoc est, tunc non dico de his: & videtur alludere ad Ne-
ronem.

E N G E N T I N V S.

SED QUID OPVS) Monitoris verba.

(Frigescant) Mortem inferant: seu ne fortè occidaris antè ædes ali-
cuius potentis, cuius limen præteris.

(Per me) Verba Persij. (Alba) proba, nulla labe aspersa.

(Angues) Sensus est: si vis ut nemo tua carmina reprehendat, appo-
ne signum aliquod, ut intelligere liceat, quòd tua sint: velut olim fas-
ciebant veteres: qui cum locum sacrum significare vellent, Genij nu-
mine appingebant serpentes ad terrendū pueros ne illuc meierent.

—sequit Lucilius urbem,

Lucilij li-
bertas.

Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

Horatij dex-
teritas.

Omne vaser vitium ridenti Flaccus amico

Tangit, & admissus circum præcordia, ludit,

Callidus excusso populum suspendere naso.

Scrob. Allu-
dit ad fabu-
lam Midæ
Regis.

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam.

Hæc tamen infodiam, vidi, vidi ipse, libelle.

Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,

Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo.

Iliade.—

V A L E N T I N V S.

SECVIT) Nunc revelatio pulcherrima ironiæ, quæ cum aptius
hæc apponitur, mirè exornat & efficaciam addit orationi. Simile au-
tem ei videtur, *frictio quoties Lucilius ardens Ense furit.* At Horat. sale-
multo urbem defricuisse dicit.

Te Lupe, te Muti) specialiter scilicet: quale illud Horat.

Primores populumq; tributim arripuit.

Et Lupi quidè ibidem meminit, Mutij autem nequaquam, sed Metelli.

Et geminum fregit in illis) miri morsus expressio: per dentem enim
sæpè vel ipsi Horatio mordax maledicentia designatur: sed aliud est
dente tangere, dentem infigere, aliud genuinum dentem quendam
scilicet.

scilicet validiorem adeò imprimere ut frangatur: licet aliàs dentis
fractione Horatius demonstrare videatur non nocitum: ut, & *fragili
quærens illidere dentem: Impinget solido:* scilicet etiam ibi sit illidere:
vel fortè ex sententia Horatij carpit Lucilium, quòd non omni lau-
de poetica fuerit dignus.

Omne vaser) vatri vocabulum etiam aliquo loco, ni fallor ipsi Ho-
rat. in bonam partem capitur. mirè autem expressa Horatij natura
vel ex eius dictis: *quanquam ridentem dicere verum &c.* & quasi dicat,
nullum adeò magnum vitium, quod non hac via aggrediatur, cum
ridiculum acri vel ipso teste plerunque magnas res secet.

Ridenti amico) quodam loco interpres Horatianus hos versus ci-
tans, intelligit per amicum Meccænatem, quasi eius vitia non semel
perstrinxerit ira ridendo.

Admissus) pulchrè, ut Horat. ferè: *spectatum admissi*, id est, cum se-
mel obtinuerit audiri, dulcedine illa risus, sicut ipse dicit, *pueris olim
dant crustula &c.*

Circum præcordia) id est, in magis internis partibus remotiora in-
grediens ibi movetur, quod bellè per verbum ludit expressum est.
Ludus enim motum notat, ut Horatio iocoso convenienter.

Callidus suspendere) Græca imitatione.

Populum) id est, omnes vel ipsum etiam populum: ut cum ait, bel-
lua multorum es capitum. & alibi persæpè.

Naso) verba ipsius Horat. ut suprà posuimus, *balatro suspendens omnia
naso.* Melius autem longè Persius ni fallor, cum adidit, excu-
so: sumpta ut videtur metaphora ab elephantis, alibi *naso cri-
spanti.*

Men' mutire) Solum scilicet, cum ille secet & frangat genuis-
num: sic rideat & derideat, & in intima vitiorum tangens pe-
netret.

Nefas) ut suprà pro iniusto.

Nec clam nec cum scrobe) mirè Energiticon. Sumptum ex historia
vel fabella Midæ, tum ex natura hominum, quæ sibi temperare
non possunt.

Auriculas asini quis non habet) Mira iucunditas, cum aliquid de-
sumptum alio ex loco paululum immutatur, ut rei suæ conveniat
magis: ut hæc libellum loco scrobis ponit.

Tam nil) Tacitè in commendationem Satyrarum & operis sui
digreditur. Nam opus Satyricum utilius Iliade omni asserit, ita
ut ne Homericum quidem excludat: de cuius tamen utilitate vi-
dendus Horatius in Epistola *scriptorem belli Troiani &c.*

LUCILIUS) Exemplum inducit, quo ostendat non esse nephas si & ipse satyras scribat. Lucilius natus est annum unum antequam Carthaginiem Scipio in potestatem Romanorum dederit: mortuus vero Neapoli sextum & quinquagesimum annum agens, & publico funere sepultus est. Scripsit satyrarum libros ultra 30. in quo summam laudem adeptus est, adeo quod multi non modò poetis satyricis, sed etiam cæteris preponerent. Fuit in eo (ut Fabius scribit) summa eruditio: magna libertas, atque inde acerbitas & abundantia: salis multum. apertissimè Romanorum civium vitia insectatus est: Caronem enim futorem appellavit: notavit Hortensium: Postumium, Cottam Lucij Craesi patrem: Hostilium, Manlium, Lupum. Q. Mutium. Q. Mutij patrem signatis nominibus, & multos alios nobilissimos cives: unde Iuvenalis.

*Ense velut stricto quotiens Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est,
Criminibus: Tacita sudant præcordia culpa.*

Lucius Crassus Orator gener fuit Lucilij.

Secuit) .i. dentibus discerpit, hoc est, suo carmine laceravit.

O Lupe) te scilicet momordit Lucilius. Mutius hic fuit pater Mutij, cuius meminit in Lælio Cicero.

Geminum) dentem suum.

In illis) hoc est, adeo momordit cives Romanos, ut in morfu sibi dentem fregerit. Et est metaphora à mordaci cane sumpta, qui prius quam feram deserat, sibi dentem lacerari permittit. Genuinus est dens, qui à genis dependet. Ennius genas palpebras putat. Pacuvius unde primum barba pullulat: alij verò eas partes quæ sunt sub oculis. ad quod illud videtur accedere quod erat in 12 tabulis: *Mulieres genas ne radunto.*

Omne vaser vitium) De Horatio hoc Fabius, Cum de Lucilio locutus est. *Tersior ac purus magis Horatius est, & ad notandos hominum mores præcipuus: & ideo Iuvenalis cum velit ostendere tot emerisse vitia, quot ipse dignè perscribere non possit: hæc ego, inquit, non credam Venusina digna lucerna: hoc est, Horatij ingenio. & diligentia, & lucubratione, qui fuit Venusinus.*

Vaser) Vaser is est, ut Maximus tradit, qui cum à sapientia non declinet, fallacia vires præbente, fidem & laudem propositi sui occulta potius ratione quam aperta via petit, & est in dictis factisque. Est enim in dictis Horatius vaser: sed Brutus in factis: cum oblato auro dixisset oraculum, *illum regnaturum qui Romæ &c.* & dicitur vaser, quasi valde aser & urbanus.

Omne

Omne vitium) Vitia totius Urbis.

Amico videnti) & ille qui mordetur ridet: & Horatius, *callidus astutus* qui nimium callet.

Suspendere) ancipitem facere, & per hoc attentum populum.

Naso excusso) commoto: hoc est cum infremit & carmen edit ex ingenio: nam enim pro ingenio accipimus & eius sagacitate: & est metaphora sumpta à canibus, qui naso aves nobis indicant, unde apud Plinium, *paucis est datum habere nasum*: hoc est iudicium & ingenium.

Admissus) receptus.

Circum præcordia) .i. circum intima vitia. præcordia sunt panniculi qui ambiunt cor.

Ludit) Ludendo mordet: Horatius, inquit, sagacissimus ad carpenda vitia non tacuit, sed magna cum calliditate investus est:

Mens est nephas) est piaculum, iniustum.

Mutire) tantillum loqui. Vnde apud Plautum, Mercurium alloquentem Sossiam, quem pugnis contuderat, *etiam mutis*, hoc est, tantillum loqueris.

Cum scrobe) cum fossa. Scrobs fossa est, quam ad plantandas arbores agricolæ faciunt: & alludit ad fabulam Midæ. Midas phrygiæ rex, Gordij filius fuit, ut Herodotus tradit: eius filius Adrastus interempto fratre ad Croesum Lydiæ regem fugit. à quo expiatus, illius filium in venatione casu trucidavit. Midas auriculas asini habuisse traditur, quas illi Apollo fecisse dicitur, quoniam dum certaret cum Marsia sono & cantu, per Marsiam iudicium tulit: eas cum vidisset ronsor, prohibitus constituto supplicio, ne id vitij detegeret: facta scrobe illic rem aperuit. Inde pullulavit harundo, ex qua facta fistula dicebatur, Midas habet auriculas asini.

Nusquam) Amicus respondet, non est tutum loqui aliqua ratione de primoribus, & urbis principibus.

Hic tamen in ediam) deliberatio est Persij, se scripturum Satyras quomodocunque eveniet. *Infodiam*) .i. involvam.

Hic) In hoc libello, tanquam in scrobe.

Ecce) auriculas nihil aliud est, habere asininas, quam non habere rectum iudicium. corruptum iudicium habent, qui his relictis quæ ad bene vivendum faciunt, ea solum audiunt, quæ inutilia sunt, & solum poetarum recitantium ineptias audiunt.

Hoc meum videre ineptum) hoc est, has meas satyras, quæ occultè multos tanguant.

Iliade) hoc est, si tu præponas mihi Iliada: sive Gnei Accij, sive etiam Homeri, ego non commutarem cum illis has meas Satyras.

Sæcvi) dilaceravit.
Genuinum) Genuinum frangere est vehementissimè mordere.
Vaser) Quasi valdè aser, quod Africa gens natura sit astuta.
Ludit) Titillans intima præcordia, quos carpit.
Suspendere) subannare. *Mutare*) submissius loqui.
Hic) in hunc meum libellum.

— audaci quicumque afflate Cratino,

Præg. sene, Aristophane comico. Nolo lectorem mathematicæ, aut honorum opinionione turgidum, sed sanni iudicij.

Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Adspice & hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferueat aure,
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, & lusco qui poscit dicere, lusce,
Se se aliquem credens, Italo quod honore supinus
Frægerit heminas Aretii Aedilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & secto in puluere metas*
Scit risisse vaser, multum gaudere paratus.
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mâne edictum, post prandia Callirhoen do.

V A L E N T I N V S.

AVDACI) Nunc inter Satyrica opus suum commendat. Tale aserens, ut qui vel Græcorum antiquæ comædiæ assueverit, & ex eius consuetudine spiritus quosdam magnos sumpserit, posse tamen & sua non indigne aspicere. Antiquæ autem comædiæ meminit: si quidem Satyra latina eius in locum successit, ut non semel per Horat. Fuerunt autem illius authores (ut inquit Horatius) Eupolis atque Cratinus Aristophanes que poeta. Audax autem conveniens & (iratus) talibus scriptoribus.

Afflate) pulchrè positum: quasi in poetis nescio quid sit sacræ auræ, quæ ex eorum consuetudine hauriatur.

Decoctius) Decoctius pro valdè decoctum, propter usum communè.

Aure vaporata) calefacta, ut Horatius, *nocturnas te formidare vapores*: simile nostro proverbio, *scaldar l'orecchie*, frequenti admonitione vocis, licet soleant aures etiam concalescere ex animi passionibus.

Mibi ferueat) id est, sit frequens. Hoc enim sensu ferere accipitur,

ut e-

ut egregiè Virg. *Iam feruere littora flammis*, sicut è contra frigere: ita usus in eadem materia videtur Petrarca: *tra caldi ingegni ferue il suo nome*: & redit ad id quod dixerat in principio, futurum ut multi eum legant, quod ille collocutor negarat. Talia autem plerumque artis fiducia iactationis genera non sunt insueta, nec indecora poetis, quibus & non rarè usus Horat. & Petrarca & Virg. & alij.

Non hic qui) Excludit aliquos à sui libri lectione: duos scilicet ceteros, & per eos omnes eorum similes excipiès: qui autem illi fuerint, parum scire refert.

Lusco) hoc est, eodem vitio laborans: ut illud: *Clo dius accusat mechos*: & ut nostro proverbio dicitur, *la padella grida dietro al lavezzo*:

Crepidus) sordiciem primo accusat.

Se se aliquem credens) Alterius vitij taxat eum quod tumidus parvo honore incederet, qualis erat ædilitas Aretij: ad cuius pertinet officium iniquas heminas frangere, quod etiam penes nos servatur: qualis erat Aufidus ille Luscius, cuius meminit Horat. in itinere Brudusino, ad quem fortè sub voce Lusci alludit hic poeta.

Italo honore) Aretium enim in Tuscia Italiæ regione: erant autem Italica provincialibus præcellentiora.

Supinus) .i. superbus, ut illud: *Et multum referens de Mæcenate supino*: & alibi, *Tibur supinum*, id est, altum.

Nec qui abaco numeros) Excludit alium à sua lectione, qui mathematicos & philosophos morales deridet, vix autem alium in lingua latina locum reperias, in quo Abacus significet id, quod nobis communiter usurpatur: hoc ad Arithmeticos pertinet.

In puluere metas) Hæc ad Geometras pertinet. Est autem species pro genere: qualibus metis usum Euclidem in obsidione memorat Syracusana.

Si Cynico) deridet philosophos, speciem Cynicorum pro omni ponens philosophia: quod ipsi derisui expositiores essent. Barbam autem pro omni philosophico habitu ponit: sic videtur Horat. dixisse, quod Stoico barbam vellerent lascivi pueri.

Petulans) procax, petulca: nomen meretricibus aptum: quarum est semper petere.

Nonaria) nomen meretricis tunc fortè famosæ: parum nostris temporibus aptum, cum nonana (ut inquit Faber Stapulensis ex Hieronymo) Ægyptijs castam significet, quod adhuc Gallis est in usu. forte autem aliquid ad nonam horam pertinet.

V O L S C V S.

AFFLATE) Stupefacte, & est metaphora sumpta ab his qui fulmine afflantur, hoc est, ô tu qui non minus stupefactus es.

Cratino) poetæ comico.

Audaci) qui primus incepit in fabulis mordere. Veteris comediæ cum plures fuerint authores, ut Fabius tradit: Aristophanes tamen & Eupolis, Cratinusque præcipui traduntur: quæ comœdia vetus sola retinet sermonis Attici gratiam facundissimæ libertatis: & ad insectanda vitia præcipuè. In veteri comœdia erat reprehensio.

Palles) erubescis. Pallor, inquit Seneca & erubescencia in iuvene, signum est pudoris & honestatis.

Cum sene) Aristophane.

Prægrandi) sublimi & ad reprehendendum alto: prægrandem senem non propter ætatem dixit, sed rettulit ad dicèdi genus, in quo Aristophanes sublimior fuit, Cratinus verò sentor.

Aspicit hæc) hoc est, legas etiam quæ scripsi, & Satyras meas.

Rubescis) Erubescis ad mordacitatem Cratini, Eupolis & Aristophanis: legas etiam Satyras meas.

Decoctius) perfectius in meis Satyris, nam quemadmodum crudos poetas appellamus ignaros: eodem modo aliquid decoctius exire dicimus: si quid eleganter & rectè scriptum sit.

Lector ferueat) sit studiosus & frequens.

Aure vaporata) .i. purgata: quæ nullum habeat vaporem. Vapor enim est qui ex terra uliginosa & madefacta, trahente solis calore in modum nebulae in aera emergit. Inde lector ferueat; sit studiosus in meo libello.

Graviorum) quibus Græci philosophi utuntur. Crepidæ sunt calciamenta ad evitanda frigora confuta. His enim & pallio philosophi Athenis utebantur: Scipio Africanus minor in Sicilia in Africam ad demoliendam Carthaginem traiecturus inter molitiones apparatumque tanti belli pallio & crepidis uti non erubuit: quo habitu etiam usus est L. Scipio, cuius statua erat in Capitolio crepidata & palliata: L. Sylla Dictator Neapoli semper usus est pallio & crepidis, unde inquit Persius, non illi legant libellum meum, qui scilicet cum sint omni genere vitiorum corrupti, solent deridere eos qui crepidis utuntur, & pallio more Græcorum, cum P. Scipio & L. Scipio & L. Sylla viri præstantissimi his uti non erubuerint.

Lusco) .i. vitioso. Luscus est qui altero caret, oculo, ut fuit Sertorius Annibal, & Philippus.

Supinus) elatus & superbus, ut Fab. docet, qui ait, non esse pronunciantium supina fronte & pectore. i. elara.

Honore Italo) Quod honorem & magistratum gessit in Italia. Ædiles primum creati sunt, cum plebs in montem sacrum secessit, qui ædibus curandis & annonæ & ludis præessent, & duos ex prioribus, qui

qui Curules appellati sunt: & totidè ex plebe, sive universos ex plebe creatos volunt. sed Iulius Cæsar Ædiles creavit, qui rei frumentariæ præessent non modò in Vrbe, sed etiam in Italia, & Cereales appellavit.

Frægerit) ruperit. *Heminas*) mensuras.

Areti) Vrbe Hetruriæ. Aretium est Vrbs Hetruriæ mediterranea, distat ab Vrbe mille & ducentis stadis, ut meminit Strabo; ille in quâ non legat libellum meum, qui superbus est, quoniam in ædilitate sua nõ in Vrbe, sed in aliquo Italiæ oppido, cum rem frumentariam curaret, fregit mensuras iniquas: nec etiam illi legant libellum meum, qui mathematicam contemnunt.

Abaco) hoc est in tabula Arithmetica, hoc est, non legant libellum meum, qui Arithmeticam contemnunt.

Metas) videtur alludere ad Archimedes Geometram, qui dum Marcellus Syracusæ obsideret, tot machinas & excogitavit ad deterrandos hostes, ut diutius bellum protraxerit. Vnde Marcellus motus viri præstantia, præcepit ut dum capiebantur Syracusæ, ut cum in cæteros sævirent, Archimedi omnino parcerent, & ad se vivum ducerent: Vnde miles illum invenit radio machinæ formam in pulvere designantem, rogavitque quis esset: mittas inquit Archimedes ut signum hoc perficiam: Indignatus miles illum interfecit. quod Marcellus ægerrimè tulit, & sumptuoso funere humari iussit.

Nonaria) meretrix, non enim dicitur nonaria quod post nonam horam lupanar aperiret: sed quod postridie Nonarum die prostaret, quo nuptiæ erant prohibitæ, ut Plinius meminit.

Cynico) alicui philosopho.

His mane edictum) Erant dies fasti, & nefasti, & intercesi: Fasti erant quibus prætoribus fari licebat, hoc est, uti his tribus verbis: do, dico, & addico. sine piaculo, ut Mutius scribit. Nefasti, quibus non licebat hæc verba fari: intercesi verò quibus mane & vespere non licet, & medio die licet: vel quod medio non licet: & reliquis. i. mane & vespere licet, inquit enim mane do edictum, hoc est, peto ut hi qui contemnunt ingenuas artes, qui superbi sunt: qui philosophos vituperant: qui superbi sunt ob gestos honores, qui sint vitiosissimi, alios vitiosos appellare non dubitant, ut ad edicta Prætorum mane adeant quando est fas fari.

Post prandia) .i. medio tempore.

Callirhoen) hoc est eant ad theatra, ad audiendas recitantium fabellas: aut ad scorta: quibus cum suorum vitiorum virus effundat. Callirhoe enim est meretricis nomen: fuit enim Callirhoe nymphea Acheloi filia, & Alcmeonis uxor, qui fuit filius Amphiarai & Eryphyles. est etiam fons.

philes: est etiam fons.

Do) concedo, & est verbum prætoris: hoc est, hi corrupti sunt, mané eant ad prætores, ut illorum edicta audiant, post, prandia petant scorta aut theatra.

E N G E N T I N V S.

Afflate) Imbuta.

Cratino) Poeta comico. Horat. satyr. 4. 1. Sermon. *Sene*) Aristoph.

Palles) vehementi studio legis, sic ut palleas.

Vaporata) Vapore mearum satyrarum imbuta.

Ferveat) Cum fervore mihi assentiat.

Non hic) Viles homines à lectione suarum satyrarum rejicit, ut sunt virtutis contemptores, aut vana magistratus ostentatione tumentes, quos omnes suis relinquit studijs: contentus interim si à doctis probentur.

Crepidus) Ille lector cuius studium est ut contemnat philosophos. Nam per crepidas intelligit philosophos. *Supinus*) fastuosus.

Abaco) Abacus mensa ubi ponuntur pocula: hic pro tabula Mathematica ponitur

Sesto) Virga Geometrica divisas. *Cynico*) philosopho.

Nonaria) Meretrix: quod post horam nonam prostare solebant scorta. Ita enim cautum erat, ne statim ab initio diei iuvenes corrumpere: imò potius eo tempore gravioribus negotijs operam darent.

Edictum) prætoris. *Callirhoen*) Meretricem.

S A T Y R A S E C U N D A A D

P L O T I V M . M A C R I N V M .

Hæc satyra sumpta est ex secundo Platonis Alcibiade, in vota impia & scelerata, quibus deos sollicitabant homines perditissimi,

HUNC, *Macrine, diem numera meliore lapillo,*
Qui tibi labentis apponit candidus annos.

Funde merum Genio: non tu prece poscis emaci,

Quæ nisi seductis ne queas committere Divis.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.

V A L E N T I N V S.

Hunc Macrine) Reprehensionem Satyricam rectè incipit à poetis, qui in Musas peccant: hac altera in omnes deos per vota peccata profecquitur.

Meliore lapillo) candido scilicet, Horatij imitatione, *Tressa nec careat pulchra dies nota: alibi: creta aut carbone notasti.*

Funde merum genio) Rectè, quod & hic sit deus naturæ, ut Horat. & voluptatis. Vnde, *indulgere genio*. ad quod utrunque respiciendo, dicitur, genialis lectus Catullo.

At bona pars) sic Horat. *bona pars hominum*, pro magna nam utro-

bique sermo ironiæ.

Tacita libabit acerra) Nec placet acerram ponere pro omni sacrificio, maxime si tacitam abdas: nam illa nunquam vocalis: nec libare acerra, cum illud solum sit vini, nisi dicas, vini esse in eo, quod avaritiam etiam perstringat, non victimas offerentium, non vinum: sed quasi libent sola acerra, & ut tacitum aliquid etiam ad solum referatur. i. pulmone & lactibus unctis.

V O L S C V S.

Hunc Macrine) Philosophi diu inter se certarunt, mundus an regatur deorum prudentia, an casu. Protagoras primum deos in dubium posuit: sustulit omnino Diagoras: unde Democritus omnia geri & fieri fortuito disputavit: eandem sententiam confirmavit Epicurus: hos contra Thales Milesius fergit. Pythagoras Samius, Anaxagoras, Antisthenes, Cleantes, Anaximenes, Aristoteles, & Plato. & res, datis principijs, omnia asserunt deorum providentia regi & gubernari: & ideo Cicero Platonem sectatus, tum in libris de deorum Natura: tum in Consolatione tradit, deo omnia esse subiecta, eumque naturam ipsam moderari: Deumque esse mentem solutam, liberam, & segregatam ab omni concretione mortali, omnia sentientem & moventem. Accedunt præterea poetæ ad horum sententiam: Homerus deos de rebus immortalibus dissidentes ponit. Orpheus deum Prothogenon, hoc est, primogenitum appellat, & eundem *quæritæ*, id est apparentem. Hesiodus à Chao incipit deorum naturam: Virgil. quoque mentem seu spiritum cuncta regere consensit. Idem facit Ovid. Hesiodum imitatus: Persius quoque deos humana curare hæc disputat. Itaque duo maxime se precibus atque donis à dijs immortalibus iniusta impetrari, memot illius Mercurij carminis apud Plautum: *Iniusta à iustis impetrari non decet*. Præterea superstitiones mortalium atque inutilia vota: quoniam dii non hostijs aut donis: sed mente sancta & iusto animo placati, ea per se curant, quæ mortalibus expediunt. A Macrino igitur simplicitate & religione incipit, ut hæc similitudine aliorum inanis superstitionis augeat vanitatem. Inscribitur hæc Satyra ad Macrinum: qui fuit vir sanctissimus, & Persij amantissimus.

Hunc Macrine) A consuetudine Thracum incipit Satyræ: Macrine, inquit, numera hunc diem, scilicet natalè tuum. Fingit enim Persius Macrinum diem natalè celebrare. *Lapillo*) calculo.

Meliori) Albo: Genis Threicia calculos colore distinctos cuiusque diei experimento in urnam coniciebat, & die supremo separatos dinumerabat, pronuntiabatque de unoquoque, candidosque laudibus tollebat: nigros vero supprimebant vituperabantque. Vnde hoc

loco Persius irridere illos videtur, qui hoc soliti sunt fecere, quando nullis diebus credendum est, & ut Plinius meminit, alius de alio iudicat dies: & tamen supremus de omnibus.

Candidus) Albus & foelix Candida enim felicia appellamus: ideo est apud Plautum Iovis vox ad diem, cum ait, ut mortalibus illuceas luce clara & candida.

Annos labentes) currentes: Nam veteres solebant singulis annis diem natalem suum celebrare: quo die nova & alba induebantur veste: nulla verba excipiebant ab amicis nisi proba & felicia: Ipsi à dijs immortalibus quæ cupiebant, eo die petere consueverunt. Multa etiã ab amicis quæ negare nõ erat fas: præterea (ut Censorinus de die natali meminit) non solebant hostiam sacrificare: quoniam ut Varro ait in libro qui inscribitur. Atticus, non esse fas existimabant, alijs vitam adimere eo die quo ipsi accepissent: ad sacra convivas excipiebant, nec aliquis gustabat nisi prius ille gustasset, pro quo dies natalis celebraretur.

Funde merum) sparge vinum genio, hoc est, sacrificia genio solo vino, non mactata hostia, quam mactare fas non erat: Est enim genius naturæ deus, qui nobiscum nascitur, nec puncto quidem à nobis discedit, ut Censorinus tradit.

Non possis) à dijs immortalibus.

Cum prece) quæ multis hostijs & donis deorum favorem studet emere. *Committere*) aperire & credere.

Seductis) in seducto loco & ab alijs remoto: hoc est. Tu non es Macrine ob tuam simplicitatem & integritatem ex his qui ea petunt, quæ cum sint scelestæ, & iniqua non audent committere & aperire dijs immortalibus in remoto populo.

At bona) accusat illorum insipientiam, qui iniqua à dijs petentes occultè sacrificant: per proceres autem, Romanos patricios intelligit: nam quod Græci heroas dicunt, Latini proceres.

Libabit) sacrificabit.

Acerra) est vas qua thus in sacris fertur: maior (inquit Persius) pars hominum occultè thura dijs offert & sacrificat. Affert Persius deinde causam quare id faciant: non enim omnes audent dicere quod petunt.

E N G E N T I N V S.

HVNC MACRINE) In hac satyra stultissima hominum vota insigniter carpit, qui suis studijs permoti, nefaria à Deo petunt. Satis indicat hæc Satyra, quàm habeat superstitio locum apud miseros mortales. ita prorsus natura duci videmur, ut relicto vero Dei cultu, qui ex scriptura nascitur, ad humana commenta transeamus. Plaque.

nè apud nos hæc Poetæ indignatio locum habebit, qui non minus quàm olim Gentiles, deliramus.

Apponit) adijcit. *Candidus*) fortunatus.

*Haud cui vis promptum est murmurq; humileisq; susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.*

Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hospes:

Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat. ô si

Ebullet patrui præclarum funus, & ô si

Subrastro crepet argenti mihi seria dextro

Hercule, pupillum ve utinam, quem proximus heres

*Impello, expungam! *nanque est scabiosus, & acri*

Bile tumet. Nerio iam tertia conditur uxor.*

*Nam hic
*ducitur

V A L E N T I N V S.

HAUD CVIVIS) Precatori.

Et ut audiat hospes) non tantum peregrinus, scilicet viator extraneus quilibet: quo pacto in Epitaphijs usurpatum videtur.

O si) Duplex imitatio Horatiana: si veneror nihil horum:

O si angulus accedat, qui nunc deformat agellum:

quo loco aperte etiam de voto thesauri.

Ebullet) Fortè pro ebulliat, repente se prodat tanquam bulla.

Fortè ad illud respiciens, *homo bulla*: facilitatem voti subindicans. Sunt enim hæc eiusdem etymi ut Dantes: *Ma che le bolle che'l bol lor leuaua*: & fortè ad illud, nescio quid, quod lessum in funere defunctorum vocabatur: fortè quasi elixum. id autem efficitur ebullitione, & sic E intendit, non minuit.

Patrui funus) in quo duplex commoditas & novæ hæreditatis & libertatis, ut supra, cum patruos sapimus. Præclarum autem in divitijs ponit etiam non semel Horat.

Seria argenti) vas argenteum vel argento plenum, ut paterem vini dicimus. & seria est vas, quod à serie aut à serando deduci videtur: & utrunque hic rectè convenit, clausum etenim & forsan non unum, sed multa vasa.

Crepet) Sonet: ut sæpè Horat, *Vineta crepat mera*.

Pupillum utinam) bellè euentum pupillaris, quam vocant, substitutionis expressit.

Impello) voluptate & vicinitate: Mirè autem expungendi verbo

usus, quasi de tabulis, delendi effectum scilicet, ut habeat locum secunda cera vel tabula.

Namq; est scabiosus) facilitatem demonstrat, ut supra in ebulliat.

Bile tumet) non videtur appositè dictum. nō enim bilis tumidum corpus facit, nisi ad iram ex bile procedentem respexisse dicas: & illius effectum huic alteri bili accommodasse: vel potius quod scabies & tumores cōtra naturā plerunq; ex biliosa materia procedēt.

VOLSCVS.

Promptum) paratum & tutum: unde & promptuariam cellā dicit Plautus in Amphitryone, quod semper prompta. i. parata sit.

Murmur) hoc est occultam vocem suam quam ad deos habent in templis. *Humiles*) hoc est supplices.

Sufurros) preces quadam sufuratione. i. implicita voce habitas.

Aperto) hoc est, non omnibus honestum est aperire iniqua vota.

Mens biva) hæc palam petent à dijs, sed aliud compressa lingua.

Introrsum) in animo.

Præclarum) Quoniam dives erat: & cui esset curandum magnificum funus.

Ebullat) pro ebulliat. i. ingenti sumptu, & multis luminibus curetur quā primū: alludit enim, hoc verbo ad cereos funes: qui incendebantur in exequijs, & ad rogam: quo esset patruus absumendus.

Seria) Seria vas vinarium apud Terent. cum ait: *quantum vini pitissando consumpsimus, omnes exhausti serias,*

Crepet) Sonet cum sit inventa. *Sub rastro*) inter arandum.

Hercule dextro) favente: Hercules thesauris præest: & non absurdū videtur hoc loco Persium ad Neronem alludere: cuius opera Britannicus veneno extinctus est, & Claudius, patruus Neronis, cui in imperium successit,

Expungant) ad rogam deferant: & emittant: nam expungere est vi aliquem ex loco propellere: aut ex dignitate: unde Plautus in *Militate*: *Miles inquit pulchre expunētus est.*

Pupillum) orbem pueram, sine parentibus.

Scabiosus) pupillus scabie putris: scabies autem ex nimio frigore & compressio corpore: aut ex corrupto sanguine, aut ex contagione generatur: ea est perniciosior, quæ sanguine putrescente & humida exulceratione prurit: quæ sicciore est, licet serpat, ut Celsus scribit: & si fastidiosior est, minus est periculosa: & iam de hac non intelligit Persius sed de alia: & iam sequitur: & acri bile tumet.

Bile) Cholera,

Acri) vehementi & accensa: non enim de ea bile intelligit qua nutritur corpus: sed de alia, quæ stomachum & intestina vehementissimè

simè cruciat: verum cum fel nil aliud sit quàm purgamentum pessimum sanguinis: & omnino Epati iunctum est: Interdum pernitiosè nigrescit. & inde fit bilis quædam: unde emergit virus, quod aut in animum penetrans, insaniam generat, aut toto corpore diffusum & vagum calorem etiam oculis mutat, interdum que perimit.

Tertia ducitur uxor) De Nerone intelligit.

Ducitur) effertur ad rogam.

Nerio) à Nerio: Nerio Sabinum verbum est, ut scribit Gellius, & virtutem significat & fortitudinem. Idque Sabini à Græcis accepisse videntur: qui vincula & firmamenta membrorum neria. i. nervos dicunt: quo martis vis & maiestas & potentia quædam demonstratur: Ad Neronem videtur alludere Persius: tres enim habuit uxores, Octaviam, & Pompeiam Sabinam: & Statiliam Messalinam. & tunc ita intelligas à Nerio ducitur tertia uxor. i. Nerius duxit tres uxores.

INGENTINS.

CLARE) à Dijs petuntur.

Ebullet) Ebullare à bulla formatur & significat in modum bullæ evanescere.

Seria) Vas. Terent. *Serias omnes releui.*

Dextro) propitio. *Expungam*) è medio tollam.

Ducitur) .i. sepelitur. Iuven. *Ducitur irati plaudendum funus amicis.*

Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis

Mane caput bis, terq; & noctem flumine purgas.

Heus age, responde, minimum est, quod scire laboro.

De Ioue quid sentis? estne ut præponere cures

Hunc cuiquam? cui nam? vis Staio? an scilicet heres,

Quis potior iudex, pueris ve quis aptior orbis?

Hoc igitur, quo tu Iouis aurem impellere tentas,

Dic agetum Staio. prò. Iupiter, ô bone clamet.

Iupiter. at sese non clamat Iupiter ipse?

Ignovisse putas: quia, cum tonat, ocyus ilex

Sulfure discutitur sacro. quàm tuq; domusq;?

An, quia non fibris ovium, Ergemmq; iubente

Triste iaces lucis, evitandumq; bidental,

Idcirco stolidum præbet tibi vellere barbam

Putas deos eiusmodi votis nō offendendi, qui iusti sunt, cum & Staïus ipse veneficus sceleratissim⁹ non possit nō offendendi, si ea audiat.

Si non statim fulmine tactus es putas impune te quævis laturū?

*Iupiter? aut quid nam est, qua tu mercede Deorum
Emeris auriculas pulmone, & lactibus unctis?*

VALENTINVS.

HAEC SANCTE) omnia ironicòs sine interrogatione vel increpatoriè per interrogationem, & superstitionem perstringit.

Cui nam) vel verba adversarij, vel poetæ ex eius persona, vel sua subdubitantis. Mirabilis autem Energia.

An scilicet hères) secunda persona à verba hæreo ironicòs: quasi dicat, quid stas, non audes præponere Iovem Staiò quo nemo peior? mirè autem expressit morem eorum qui in disceptationibus interrogationibus urgentur, qui nec manifesta audent concedere.

Quis potius iudex) Altera ironia: quasi dicat, rectè hères & dubitas, Iovem ne illi bonitate præponas: cum Staius sit adeò æquus in iudicijs & pupillorum favens, iniquissimus scilicet omnium, & tamen ab eo non audebis petere quod à Iove, ex quo ostendis te de Iove peius, quàm de Staiò sentire.

Proh Iupiter) Imitatio Horat. maxime quis non Iupiter exclamet. Hic autem epressius congeminatione & epitheto bonitatis.

Non clamet Iupiter ipse) Mira suavitate. Vt illud Horat.

Quid cause quin illis Iupiter ambas iratus buccas inset.

Ignouisse putas) Mira verbi vis: quasi aut nesciat qui omnia novit deus, aut culpam non agnoscat.

Cum tonat) pro fulminat, à coniunctis necessarijs. Tonitru enim sonus, sicut fulgur lux fulminis.

Ilex) pro omni arbore vel alia re, persæpè à fulmine petita.

Ocius) sicut nobis, *piu tosto*. Electionis unius, & alterius reiectionis, non præoccupationis.

Sulphure sacro) fulmine; pars pro toto: quod tamen in fulminis confectione non admisit Virg. odor autem ipse indicat Satyricum rectè dixisse. Elegit autem Virg. speciosiora heroico stilo convenientiora.

Non fibris ovium) Maxima erant piacula in procurandis fulminibus, quam totam superstitionem non ab re perstringit: sicut supra de mersione in Tiberino. Fibras autem ovium pro omni sacrificio posuit, sicut pro omni aruspice posuit.

Lucis) .i. Qualia bidentalibus multa in sacris lucis inveniuntur, quos ob pollutionem sæpius fulminari erat persuasum, iuxta illud Horat.

Tu parum castis inimica mittes fulmina lucis,

Stolidam barbam) Dicitur videtur quo modo dixit Horat. Sapientem

tem pacere barbam, licet Horatius aptius, ut reor, propter professionem philosophiæ. Simile proverbio nostro, *di menar la coda per la barba*: sumpto à blandientibus catis.

VOLSCVS.

SANCTE) .i. incorruptè: sine crimine. *Bis & ter*) sæpius.

In gurgite) in flumine Tyberino, id est, abluis te aqua puri fluminis sæpius.

Noctem) crimina nocturna. *Flumine*) viva aqua.

Heus age) Interrogatio Persij ad amicum instandi & vituperandi gratia, quod tutius putet hæc vota esse committenda dijs quàm hominibus.

Quid sentis de Iove) Credis Iovem curare mortales, & eundem esse quem hominibus debeas præponere?

Cui nam) scilicet vis, quod ego Iovem præponam?

Staiò) Reprehensio Persij.

Staiò) Eho Staiò prætori iniquissimo. Iudices (ut inquit Livius) cum primum tantum Prætores appellarentur: factum est postea, ut etiam Consules iudices dicerentur: & ideo in orationibus cum iudices dicit Cicero: & de Consulibus & de Prætoribus intelligit.

Orbis) parentibus privatis, .i. pupillis. *Iuppiter*) Exclamatio Staij. *Se se*) non exclamabit ad seipsum: hoc est Iupiter, multò magis commovebitur ad tua vota quàm Staius.

Discutitur) afflatur & concutitur.

Sulphure) Igne fulminis sulphureo. nam olet sulphur fulmen.

Sacro) execrabili, & quod expiatione indiget. De his fulminibus intelligit, quæ terrena dicuntur: ea enim nullo edito vestigio percipiunt.

An quia) Tu fortasse amice putas, Iovem indulgisse, quia non iaces bidental, sub palatio erat bidental, quia illic bidentes mactarentur: hoc etiam tangit Lucanus in fine primi libri.

Barbam stolidam) hoc est, tuam, qui stolidus & insanus es: Apud veteres Græcos hæc erat consuetudo, ut in supplicationibus ad placandos deos mentum & barbam sibi tractarent: potest etiam alludere ad Dionysium Syracusanum Tyrannum, qui Æsculapio in templo quod erat Epydauri barbam auream vellit.

Bidental) hoc est fulminatus in loco, qui postea bidental dicitur.

Euitandum) expiandum & purgandum: fulminatam apud veteres tangere, piaculum erat: sepeliebatur à sacerdote, locumque expiabat collectis fulminis fragmentis & sub terra conditis. Idque appellabatur bidental. Ideò Lucanus lib. 1. id efficere Aruncem Lunensem Aruspicem inducit, cum ait: *Aruncem disperjos fulminis ignes, colligit*

Et terra mæsto cum murmure condit. Datque locis nomen: fuit enim Bidental locus sub palatio ubi fulmen obrutum est, quod à forma dicitur bidentis. Est etiam & templum ubi ad expianda fulmina bidentes hostiæ mactantur. *Fibris*) Extis.

Ouium) pecudum, quibus expiabantur fulmina.

Ergenna) Sacerdote Aruspiceque ex institutis Hetruscorum.

Et lactibus) post stomachum est vètriculus, cui annexi sunt lactes in ove & homine tantum, per quas cibis labitur. In cæteris animalibus hæ sunt illa, ut meminit Plinius.

Vntis) Pinguibus. Putas (inquit) deos placari oblatione hostiarum? non credas, sed (ut inquit Lactantius qui hunc locum aperit) mente sancta, iusto animo & pectore: & ut dixi, deridet illos, qui carne putant deos posse placari.

ENGENTINVS.

NOCTEM) Noctis peccata.

Hæus age) Hac interrogatione urget scelestum, ut planè liqueat Deo non placere si turpia petantur, estque argumentum à minore: neque prorsus (inquit) has preces tuas admitteret sceleratissimus Staius, quibus tu lovem sollicitas. Solvit autem quod obijci posset, Deum scilicet in peccata hominum connivere. Nam tametsi non protinus in vindictam tendat, tamen non est usque adeo stolidus, ut insanis hominum votis aurem præbeat.

Estne) talis Iupiter?

Orbis) pupillis. Orbus qui aliqua re clara est privatus.

Ilex) Arbor glandifera, *Sagenbuch*.

Sulfure) Fulmine: habent enim fulmina & fulgura sulphuris odorem, ac lux eorum sulphurea est. Plin. lib. 35. cap. 15.

Fibris) intestinis iuventibus.

Ergenna) Aruspice, procuratore fulminum. *Lucis*) in sylvis.

Euitandum) ominosum. Veterem procurandorum fulminum morem indicat. Magna enim eorum erat observatio, quæ cum cecidissent, statim per procuratorem eorundem expiabantur, cæsis bidentibus. Appellatur autem bidentes, non solum oves, sed omnes bitæ hostiæ. Gell. lib. 16. cap. 6. Locum autè ubi procurabatur fulmen propter religionem. clausum & septum, bidental appellabant propter bidentes illic cæsas.

Pulmone) victimarum.

Lactibus) intestinis: Lactis intestina per quæ labitur cibus.

Ecce avia, aut metuens Divum matertera, cumis.

Exemit

Exemit puerum, frontemque, atque uda labella

Infami digito, & lustralibus ante salivis

Expiat, urenteis oculos inhibere perita.

Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Hunc optent generum Rex & Regina: puellæ

Hunc rapiant: quidquid calcaverit hic, rosa fiat.

At ego nutrici non mando vota: negato

Iupiter hæc illi, quamais te albata rogarit.

VALENTINVS.

ECCE AVIA) Horatii imitatio cum superstitionem exagitat nutricis puerum figentis in Tiberi: Et alibi ad Albium Tibullum, *Quid voueat dulci nutricula maius alumno.* Avia autem nomen elegit, sub qua vox nutricis continetur, ut infra dicemus: Tum quod amantiores sunt nepotum, descendente & auferente amore, ut tractatur in L. liberorum. ff. de verborum significatione.

Aut metuens diuum) sub nomine matris procul dubio & nutricem & matrem comprehendit: quid enim matertera nisi *matris erigat*

Cumis eximit) Mirè rem oculis subijcit: sic cum uda labella dicit, quod semper est puerorum, & manibus quatit.

Infami digito) Medio scilicet, qui & impudicus. Huius enim usus aptus huic rei.

Urentes oculos) Suprà mirè superstitionem fascini obiter perstringens causam atrexit naturalem.

Et spem macram) Mirè, quo modo nos dicendi utimur: solo nitens scilicet voto, nulla ratione adiuta ad spem.

Licini in campos) Latifundia notat: an illius Licini de quo Horat. *Tonsoris Licini?* An illius Licinij Stolonis, qui lege propria contra numeram iugerum damnatus est.

Crassi in ædes) Fuit et. am ni fallor Crassus ex gente Licinia: *Ædes* autem ponit pro thesauro & divitijs ingentibus alijs, quæ in ædibus haberi solent: & intelligit de Crasso cui cognomentum divitis.

Rex & regnia) pulchre votum concipit, tanquam rei matrimonialis perita, cui uterque parens ad felicitatem assentiatur. Optare autem est desiderare, non solumque ex multis eligere tanquam optere: unde optio quasi optatio.

Hunc rapiant) Magis placet raptent, ut verbo optent respondeat.

Hic rosa fiat) Proverbiale videtur, ut supra: *nascentur viole.*

Asi ego nutrice) Sub nomine nutrice omnes superiores comprehendit: maxime aviam, quæ & Græcis *θηρῆ*: unde nobilæ thitæ, quæ & Catullo nutrices vocantur: sub sua autem persona omnes comprehendit prudentes & philosophos.

Non mando vota) Frustra enim suscipi videntur: de quo temporibus nostris magna controversia.

Quamuis te ablati rogaret) maxime supplex: morem autem aliquè innuere videtur vota concipiendi.

VOLSCYS.

ECCE AVIA) Secunda pars est Satyræ, qua deridet inania & superstitiosa mortalium vota, & incipit Persius à fœmellis.

Digito infami) hoc est medio digito, qui infamis dicitur: Primus digitus ut meminit Plinius, qui duas tantum habet iuncturas, pollex dicitur, & contra reliquos flectitur: Secundus index ab indicando dicitur, ut meminit Fabius. Medius infamis dicitur, quoniam eo sanam facimus: proximus minimo dicitur tum Medicus, auctore Plinio, tum etiam annularis: nam veteres in eo digito sinistra manus anulum ferebant: quoniam ex eo ad cor nervus quidam ducatur: Reliquus vocatur minimus.

Vdum labella) cui sputo labra humectat: fascinationis expiationem tangit, in qua Nemesis sacrificatur, quæ dea nomen latinum non habet, etiam in Capitolio, ubi illius erat simulachrum. Post aurem dextram locus est huic deæ dedicatus, ad quem prius contacto ore digitum non infamem, sed minimo proximum, (ut Plinius tradit) referebant, cum verborum veniam à dijs impetrabant, ut Plin. tradit.

Inhibere) Arcere oculos urentes & fascinationes, id est conspiciendo nocuos: Nam ut Isidorus tradit, est in Triballis populis & Illyrijs gens: quæ interimat visu cum diutius iratis oculis intueatur. Id quæ malum facilius pueris nocet: & quod mirabilius est, duas habent in oculis pupillas: Est inquit matertera docta contra fascinationem, quæ visu facta sit.

Licini) de C. Licinio Stolone loquitur: hoc est exoptat interdum, ut ille puer tantum agri possideat, quantum C. Licinius Stolo: qui Tribunus plebis legem tulit, ne quis quingenta agri iugera possideret: sed cum emancipato filio tantundem tribueret, itaque cum filio mille iugera possideret, accusante Lenate Cõsule designato, quod fraudem legi fecisset: C. Martio & C. Mallio Consulibus (ut auctor est Livius libro quarto decimo) sua lege damnatus est decem millibus.

bus æris: de quo Persius intelligit non de Augusti Liberto.

In ædes) domos & divitias M. Crassi: hoc est, exoptat interdum ut possideat divitias M. Crassi: qui cum ex patrimonio triginta solum Talenta accepisset, antequam contra Parthos iret: ubi cum P. Crasso filio interijt: septem millia & centum talenta coegisse tradit Plutarchus: Licet honorum decimam Herculi consecrasset, epulum publicum dedisset, & tres nummos in singula civium capita: quæ omnia bellis civilibus collegit. Nam multas urbis partes incendio absumptas parvo precio emit: adeo quod magnam urbis partem possideret: sed postea ad extruendas domos civibus areas vendebar.

Rapiant) Propter formam & gratiam, hoc est, exoptetur à poetis ut Spurrinna Etruscus: & fiat præterea rosa quicquid calcaverit.

Quamuis albata) purgata, & linea veste indura, qua fœmellæ in sacris utebantur.

ENGENTINVS.

ECCE) Superstitiosas fœminas carpit, quæ pro infantibus votâ facientes, res inanes à Dijs precantur: ut sunt divitiæ, pulchritudo, gratia apud omnes, & huiusmodi: quæ potius fortunæ & corporis bona nominantur, negligentes interim ea quæ ad animi culturam pertinent.

Infami) Quare medius digitus infamis dicatur, non dico, turpe enim est. Satis sit, nosse contumeliosum esse, hunc contractis cæteris in aliquem ostendere. Iuvenal. Satyr. 10. *Cum fortuna ipse minaci Mandaret laqueum, mediumq; ostenderet unguem.* Quod autem multos habeat effectus hominis saliva, Plin. docet lib. 28. cap. 4. Hominum verò in primis ieiunam salivam contra serpentes præsidio esse docuimus: sed & alios efficaces eius usus recognoscit vita. Et paulò post: Veniam quoque à Deis spei alicuius audacioris petimus in sinum spuendo: & multa alia ibi, quæ nos frivola putamus. Vnde merito hîc Persius vanam istam superstitionem de saliva satyricè carpit.

Lestralibus) expiatorijs. *Vrentes*) Huc pertinent quæ Plinius scribit lib. 7. cap. 2. *Crassi*) Plinius lib. 33. cap. 3.

Poscis opem nervis, corpusq; fidele senectæ:

Esto age. sed grandes patinæ, tucetâq; crassa.

Annuere his superos vetuère, Iovemq; morantur.

Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumq;

Arcessis fibra. da fortunare Penateis.

Da pecus, & gregibus setum. quo, pessimè, pacto,

*Tunicum u
vencorum.* Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquefiant?
Attamen hic extis, & opimo vincere farto
Intendit: iam crescit ager, iam crescit ouile,
Iam dabitur, iam iam, donec deceptus & expes
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.

VALENTINVS.

POSCIS) Suprà perstrinxit veterum vanitatem à dijs petentium illicita aut inutilia: nunc prosequitur vota pugnantiæ: votis & vitæ consuetudini.

Corpusq; fidele senectæ) Et dativi & genitivi casus esse potest, utroq; tamen casu novè dictum videtur: quomodo enim corpus fidele dicemus vel senectæ, vel in senectæ, nisi quod fidem seruet, hoc est, tale sit in senectæ, quale in iuventute, eum fidem dici autumet Cicero quod fiat idem.

Esto age) concedentis talia vota, iuxta illud, *Mens sana in corpore sano*: licet suprà omne veterum genus respuisse videatur: & cum tractet de esu, rectè usus verbo esto, quod non solum à sum, es, est, sed etiam ab edo edis est, potest trahi: Sic Horatius cum de differentia pavonis & gallinæ loqueretur, concedendo hoc verbo usum. Vide autem hic age hortantis post imperativum poni, sicut & antè, & per se solum ponitur.

Grandes patina) Qualis patina Æsopi celebrata, quo sensu nos dicimus, *un piatto, due piatti*.

Tucetaq; crassa) quæ in patinis reponuntur, species pro genere & vix alium reperias locum, ubi crassum pro pingui, sicut nos utimur, ponatur: sicut infra, pingue pro crasso usurpavit.

Iovemq; morantur) Ne tibi scilicet concedat quod optas. Iovem autem post superos ponit: siquidem ipse solus non minus potest Homero quàm omnes alij dij.

Rem struere) Interrogative lego, utpote contrarietatis & impossibilitatis arguendo.

Mercuriumq;) Sequitur eundem sensum. Fibra autem bis figuratū & numero & specie, pro omni sacrificij genere, vel partis animalis electissimæ.

Arcebis) vocas, sequentibus scilicet verbis.

Da fortunare penates) Mercurius enim omnis lucris habitus deus, ut penes Horatium

Omenta) quod de omento loquitur & liquefcentia in flamma: vix aliter

aliter potest intelligi, quàm quod occisionem animalium condemnat, quasi contrariâ rei augendæ. In sacrificio scilicet & in epulis aliquo possit pacto accipi, quod ex sequentibus satis superq; indicatur.

Intendit) vel potius intendis, sicut suprà in secunda persona formata fuit locutio: Extæ aut & opimum fartum, vel fertum, unde fertum, quasi ferriculum ponitur pro sacrificijs.

Iam crescit ager) Totum ironicis & primum de agro rectè quod enim videbat per occisionem diminui ovile, rectè ut moris est, transfudit ad agri crescioniam, ut ita dicam, quæ non ita apparebat.

Iam crescit ovile) Rectè etiâ quod deficit in bubulis apertè, in ovili suppletur.

Suspiret nummus) deceptus & expes, sine spe amplius: qua voce usus Horat. in Arte: novè dictum pro suspiret dominus deceptus, & expes, solo iam in fundo nummo relicto.

Nequaquam) Sine sensu esse videtur, nisi nequicquam legas.

VOLSCVS.

POSCIS) Ecce nutrix poscit, & petit fortitudinè mēbris & corpori.

Esto) particula hæc concessionem habet. *Sed patinæ*) lanceæ.

Pingues) varijs cibus refertæ: Notat ganeam & luxuriam: nam patina Æsopi tragici histrionis sexaginta sestertijs taxata est. In qua posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, singulasque emittit: nam natis, quod antiquorum cœnis interdictum fuit. Nam C. Faenius. Consul legem tulit undecim annis ante tertium bellum Punicum, ne quid volucrum proponeretur præter unam gallinam, quæ non esset altit. i. pinguis & saginata.

Tuceta) cibi confecti ex contusa carne.

Iovem) hoc est ingurgitatio variorum ciborū, his obstat, quin diu vivant, non deorū voluntas: ea enim cum iusta sit, impleri nō potest.

Rem struere) Arguit qui multis hostijs cœsis divitias exoptant.

Cæsu boue) Interim unum bovem in sacrificio, quem mactare apud maiores capitale fuit: non aliter (ut Cato dixit) quàm si agricola suum colonum interemisset.

Mercurium) Deum lucris & mercaturæ, ut Plautus in Amphytrione docet, & ponit exoptantis verba.

Omenta) ex ea: omenta sunt membranæ tenues quibus intestina conteguntur: ponit pro extis.

Iunicum) iu vencorum: veteres enim iunices dicebant, quos nunc iuvēcos: quemadmodum apud Catonē in re Rustica boveres (quos nunc boves) appellabant.

At tamen) Arguit Persius eorum ignaviam, qui putabant deos ignavos esse & dormire: unde Persius dicit, Ideo mortales.

si. Igitur vasa ærea & statuas æreas: ad quod Perlius inquit, frustra hoc agitis, & tunc animadvertetis, cum nihil in arca erit: sed solo corde sacrificandum. At tamen est alius qui putat hostijs cœlis & libis posse placari deos.

Fertum) hoc est libo opimo, & crasso, & vario, Fertum est genus libi, quod cum strue a tero libi genere (strues vulgò struffuli) dijs offerrebatur: unde qui ferebant strues fertarij appellati sunt. Licet apud Catonem fertum & strues: non libum, sed hostia videatur: dicitur tamen fertum, quòd in sacra feratur. Est etiam fertum truncus, quo spolia opima Iovi Feretrio dicabatur. ut est apud Livium libro I. ab Urbe condita. Est etiam apud Plutar. in vita Romuli. Opimum dixit opulentum, tracta metaphora ab opimis spolijs, quæ non nisi regia dicebantur,

E N G E N T I N V S.

Poscis) Reprehendit eos qui corporis robur à Dijs concepto voto postulant, interim tamen deliciantur supra modum, sperantes Deum id daturum quod ipsi per summam luxuriam prodigunt. Facile enim quantumvis bene composita corpora deflaccescunt, ubi non recta victus ratio habetur. Nec minus stultitiæ arguit eos, qui licet quotidie sacrificent pecudes, sperant tamen greges suos à dijs augeri, cum minuantur.

Tuceta) farta pingua. *Rem*) familiarem. *Struere*) augere.

Mercurium) Deum lucri.

Iunicum) Iunices boves teneræ ætatis, qui iam deserunt esse vituli, nec apti aratro.

Si tibi crateras argenti, incusaq; pingui

Auro dona feram, sudes, & pectore leuo

*Excultas guttas, *letari prætrepidum cor:*

Hinc illud subijt, auro sacras quòd ovato

Perducis facies. nam fratres inter aenos,

Somnia pituita. qui purgatissima mittunt,

Præcipui sunt, sitq; illis aurea barba.

Aurum, vasa Numæ, Saturniaq; impulit ara,

Vestaleisq; urnas, & Tuscum fictile mutat.

**terras O curvæ in *terris animæ, & cœlestium inanes!*

Quid

*Quid inuat *hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona Dijs ex hac scelerata ducere pulpa?*

V A L E N T I N V S.

SI TIBI) Nunc arguit redemptionem votorum, & quasi cùm dijs pactiones quasdam, divitiarumq; in sacris superstitionem, quæ inde natâ asserit, qui deos ex nostris affectibus metiamur, reamurq; illis adeo ut nobis aurum placere. Quam mirè autè nobis placeat argentum & aurum, principio satyrica acerbitate demonstrat, crateras autem argenti intellige, ut supra feria argenti.

Incusa) à cudendo, vel valde cusa propter crassitiem, sicut factum & infectum aurum vel argentum dicitur leguleis.

Pingui auro) .i. crasso ut supra, *tuceta crassa*.

Et pectore leuo) .i. leva pectoris parte: nimirum in qua cor, & lien, & pulmo: sicut iecur & fel dextera.

Letari) vel infinitum pro imperfecto historicorum more, quod hoc loco non satis approbo: vel cor excutiet guttas, lætari ad lætandum more Græcorum. Prætrepidum autem (subfultationem illam ex nimio indicat affectu & cupiditate: ut infra, *viso si palles improbe numo*.

Hinc illud subijt) id est, illud tibi excogitatum, illud tibi venit in mentem: unde ex tuo studio deos metiris.

Perducis) Totas ducis, oblinis non modò, sed ex solido facis aurum.

Facies sacras) statuas deorum.

Auro ovato) quòd aurum oblinatur ovo, repugnat: eò quod interpretati sumus perducis: & ab ovo longo ovatum quo pacto brevaretur: sic ut etiam ovato pro auri ovi in vitello colore intelligere nò possis: unde ovato, gratulato ad ovationem intelligo, quasi gaviso.

Nam fratres inter aenos) Locus hic mihi valde difficilis est, ne dicam propè inexplicabilis. Nescio quid autem de Castore & Polluce fratribus intelligere videtur, quos & pileatos fratres, ni fallor, vocat Catullus, quibus fortè cum ab antiquis fieret athenæa barba in memoriam illius rei, unde Domitius inditum Aenobarborum cognomen: Deinde Aurea haud multum dissimili colore sis facta: sed Romæ tamen de illis, præcipuè autem de somnijs purgatissimis non intelligo, nec quid ad rem faciat: super sedo ergo omni penitus interpretatione.

Aurum vasa Numæ) Totum hoc per indignativam interrogationem legendum, ut efficacius suadeat, quasi dicat: putatis ne vos auro vestro plus apud deos valere, quàm Saturnus ære, aut fictilibus Numæ? Vestales quæ adhuc servant & Tusci, omnium mortalium religioni addictissimi.

O curvae) eorum vanitatem iam apertè ostendit: Curvum autem est contrariū recti: & *caelestium inanes*. i. eorum quæ coelestibus placeāt.

Pulpa) offerre dona dijs ex nostris divitijs feelere acquisitis & non rectè dispen satis. Pulpa enim est quid non osseum aut nerveum, sed carnosum, & solidum, & pingue: licet & culpa legas.

V O L S C V S.

SI TIBI) Dementiam mortalium ridet, qui credunt deos esse hominibus similes.

Illud subijt) in mentem tibi venit, quoniam deos tibi similes existimabas.

Produci) illinis, obducis.

Facies) statuas: aut argenteas: aut marmoreas.

Sacras) sacrorum deorum, vel quas tu dijs dedicas.

Auro ovato) id est ovi candido marmoris, aut æneæ statuæ illito: nam marmoris aut his quæ candefieri non possunt addito ovi candido aurum illinitur: & quoniam solebant statuam æneam argento vivo prius spargere, deinde addebant aurum: cuius si bractæ erant tenues: pallore exilitas detegebatur: unde ut hoc furtum (ut Plinius tradit) posset tutius facere, addebant ovi album liquorem. lapidem variare auro qui ovatus dictus est, Neronis tempore repertum est.

Fratres) Inter alias statuas fratrum Castoris & Pollucis: Castor & Pollux Iovis filij fuerunt ex Leda: dii magni (ut tradit Varro) apud Samothracas putabantur: quorum statuæ æneæ virilis speciei ante portas visebantur, in urbe templum habuerunt, in foro ad fontem quod illis dicatum fuit, illic ubi visi sunt nunciare victoriam de Latinis contra Tarquinium: qui ad Latinos confugerat: Templum vovit L. Posthumius Dictator in eo bello: eius filius dedicavit: ob hanc causam Duumvir creatus: & ideo ea victoriæ dies Idibus Quintilibus Castori & Polluci sacra est: & solennis ducitur, ut Plutarchus meminit. Præterea victum Persea Macedoniae regem noctu Vatinio Romam perenti nunciarunt, quod firmatum fuit postea literis Pauli Aemilij: unde illis purgatissima somnia sunt dicata.

Pituita) Humore ex capite defluente. Pituita enim Latine, Græcè *κλύμα* dicitur: pituita enim (ut Gellius scribit) dicitur quod vitam perdat: defluit humor (ut Celsus Cornelius scribit) ex capite aut in nares, aut in fauces, aut in pulmones, somnia generat varia.

Numæ) Quibus utebatur Numa Pompilius, qui Pythagoræ Spartiatæ imitatione (ut Plutar. auctor est) veruit simulachra in templis fieri. Ideo centum sexaginta prioribus annis nullum deorum simulacrum habuerunt Romani: In fictilibus sacrificabant: adeo quod Numa

Numa cum quosdam ad coenam invitasset vasa abiectissima & vilissima, & vilissimum cibum apposuit.

Aera Saturnia) Quibus Saturni tempore mortales utebantur. Saturnus a Iove pulsus, in Italiam fugiens, à Iano receptus est: æs signare docuit: & (ut Plutar. in Problematibus tradit) vetustus nummus in altera parte Ianum: in altera verò navigium habebat impressum: & ideo etiam Romani ærarium in Saturni templo constituerunt: apud Romanos verò Servius Rex primùm nummos impressit: cum antea rudi ære uterentur, ut Timæus tradit.

Vrnas) Quæ erant fictiles. Vrnæ sunt vasa quæ capiunt modium & semis, id est, unum cum dimidio.

Vestales) Quibus Vestales virgines utebantur. Templum Vestæ Numa Pompilius instituit rotundum ad formam mundi, ubi perpetuis ignis servaretur. Nam Vesta nil aliud est nisi purus ignis: virgines ad custodiam sacravit: Vestales dixit. Primæ fuerunt Gegania, & Beremia: duæ aliæ additæ Camilla, & Tarpeia, Servius Tullius duas alias addidit: qui numerus servatus est usque ad Traiani tempora.

Tuscum fictile) vasa fictilia, quæ in Tuscia fiebant. Exclamat igitur Persius in inanes mores,

Curvæ) Pronæ: & ad cælum minimè erectæ.

Immittere) Dedicare templis deorum, hos vestros mores, hoc est, res lascivas, quæ vestris moribus conveniunt.

Pulpa) ex hac mollitie. Nam pulpa caro est sine osse, & mollis. hoc est, dico omnes esse ignavos & insipientes, qui dicant dijs immortalibus vasa argentea aut aurea, vel aliqua preciosa, quoniam hæc tantum ad luxuriam comparata sunt.

E N G E N T I N V S.

INCVSA) sculpta.

Nam fratres) Per transitum carpit eos, qui in somnijs responsa videbantur accipere à simulacris Deorum. Satyrico autem risu ahenos fratres appellat Deorum imagines. nisi velis referre ad porticum, ubi erant quinquaginta fratres Aegypti filij, quod hinc Britannicus dicit: sed prior sententia mihi magis arridet.

Impulit) amovit.

Aera) Imagines quæ fiebant ex ære vel plumbo.

O curvæ) Acris in perversos homines castigatio, qui credunt Deum illis affectibus tangi, quibus nos afficimur. Quadrant hæc omnino ad nostra tempora. Citius enim invenias, qui aurum in templa offerant, quam egentissimo numum exhibeant.

Hæc sibi corrupto castam dissolvit olivo:

Hæc Calabrum coxit vitiatio murice vellus:

Hæc baccam conchæ rafisse, & stringere venas

Feruentis massæ crudo de pulvere insit.

Peccat & hæc, peccat: vitio tamen utitur. at vos

Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?*

Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine pupæ.

Quin damus id superis, de magna quod dare lance.

Non possit magni Messalæ lippa propago:

Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus

Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?

Hoc cedo, ut admoneam templis, & farre litabo.

V A L E N T I N U S.

HAEC SIBI) Hæc scilicet pulpa.

Corrupto) vel cuius usus corrumpitur, quo sensu dixit Virgil. *Nec casta liquidi corrumpitur usus oliui:* cum autem etiam non syncerum ad id oleum adhiberi dicit: nescio quid simpliciter maius & magis ad rem suam dixit: quam Virgilius: quasi dicat, hæc & alia fecit, quibus nequaquam indigebat.

Calabrum vellus) Tarentinas lanas & colores: unde Horat. *molle Tarentum* vocatur: & alibi. *Lana Tarentino violas imitata veneno.*

Coxit) tinctura: quæ non sine igne fit.

Murice) vitiatio: sicut supra corrupto olivo, sed non adeo: nam solè hic respexisse videtur ad purpuram adulterinam, ut augeat de decus: de qua Horat. *Nescit Aquinatem potantia vellera succum.* Persistit autem in eo Virgiliano, de quo supra: *Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.*

Hæc bacca) Loquitur de unionum luxuria, nescio an cum vitio, sicut in superioribus, cum non fuit in his minora, sicut & in eo quod sequitur de auro reperto & alijs metallis, quæ mirè expressit.

Stringere venas) sunt autem ferè talia in agro Volaterrano, quo loco patriam Persij esse dicunt.

Nempe hoc, quod) Puerile & muliebre, & vanum quiddam hoc esse indicat: non enim puppis indiget Venus.

De magna lance) Dives scilicet & replèta multis rebus patina: in longum scilicet porrecta. Vnde illi nomen.

Messalæ)

Messalæ) Magnum Messalam intelligit illum, qui prædilectus fuit Cæsari Augusto.

Compositum) Hæc sunt quæ vel quilibet pauper potest præstare: & dijs gratiora.

Sancti recessus) Est mens non modò in aperto, sed in abdito sancta, de qua supra dixit: Hinc enim proficiscuntur vota sancta etiam in occulto.

Incoctum pectus) Quasi dicas, coagmantatum, sicut cõcoctione plura in unum rediguntur, & in naturam & substantiam eandem transeunt: ut Horat. *scribam recoctius.*

Et farre) vel minima re, ut mola falsa, nedum victima & thure, & vino, & magna illa lance: quo sensu illam Oden composuit Horat.

Cælo supinas si tuleris manus.

Litabo) Litare ex Græco, & cum sacrificium dijs apparet acceptum.

V O L S C I U S.

HAEC SIBI) Animadvertit quid fecit mollities istorum, unde varia unguenta surreperunt.

Casta) Casta est genus fructicis.

Murice) Murex ex genere concharum, corticis durioris ex eius sanguine purpura tingebatur. Est color purpure Buccinus, & Pelagius, Buccinus magis rubet & citius decidit: Pelagius verò magis niger est. Confunduntur ergo hi duo colores, & fit Tyrius, is rursus miscetur cû Coeco, hoc est, grana, quod legitur in Gallatia, & ex hac admistione fit purpura, quam Byssinum dicimus.

Conchæ) ex concha: nam si margarita nimis est vetusta, adhæret conchilio: nec avelli potest, nisi fecetur. Leguntur Margaritæ in conchis, præcipuè circa Arabiam in Persico sinu maris rubri: & quia nulla est similis, unionem primum Romanos appellasse tradit Ælius L.

Bello) Iugurtino, Alexandria in deditioem redacta, in frequentè usum Romæ venerunt. Lolliam Paulinam Cæij principis Matronâ Plinius tradit vidisse in mediocri cœna totam gemmis Smaragdîsq; adoperatam: Clodius filius Ælopi Tragædi Romæ primus unionem vocavit.

Venas) hoc est, argenti, auri, æris: vel alicuius metalli terram.

Massæ) Glutina: Massa enim dicitur quicquid glutinosum potest trahi.

Crudo) adhuc incocto, hoc est, persuasit mollities hæc, non modò ut exquireremus varios odores, aut preciosissimas vestes: aut gemmas, & Margaritas appeteremus, sed etiam coegit, nos ex cruda terra exigere metallum: sed hoc in loco videtur de argento, tantum intelligere potius, quam de auro, quoniam id sæpius perfectum invenitur: nec aliqua ratione excoquitur.

Dij non ijs dem nobiscum affeclibus, quærens, proinde neque nostris ceremonijs delectantur, sed synceritate animi, & vitæ integritate.
* sancto, al. sanctis

Pontifices) dicuntur pontifices à ponte Sublitió, quod eum sepius refecerint.

Nempe) Respondet Persius suæ interrogationi.

Pupæ) Fictæ imagines: quas virgines dicant Veneri, ubi superarunt pueritiam.

Quin) Concludit, ostenditque quid dijs sit sacrandum.

Propago) Gens & familia: & dicitur propago à propagando, hoc est adigendo & firmando: unde & propaginum dicimus ferrum bifurcatum: ut Iunius Columella tradit, quo vites in terrâ adiguntur.

Messala) Civis Romani: Messalarum familia in urbe clarissima: sed superbissima: nam Messala Orator, qui Consulatum cum Octavio gessit, prohibuit infergenti suæ Levinorum alienam imaginem: præterea librum de antiquis familijs condidit, in quo tradit dedecori fuisse Scipionum nomini adoptionem testamentariam Salinatoris: quem in eorum familiam exceperant: sed ad eum videtur respicere Messalam Persius, qui cum Nerone tertium Consule iniit Consulatum: in quo (ut Tacitus tradit) instituta sunt illi in singulos annos quingenta sestertia: quibus Messala ipse suam paupertatem sustentaret.

Aus compositum) æquabile: & modestiam & integritatem animi.

Farre) hoc est, simplici mola, quæ fit ex sale & farre molito: unde appellatam tradit Varro: hoc est, si tu hæc templis dicaveris, satis est, ut sola mola sacrifices.

ENGINVS.

Hæc) mulier.

Dissoluit) diluit & facit unguentum ex casia & oleo: Plin. de Casia lib. 12. cap. 19.

Calabrum) ex Calabria. *Coxit*) tinxit. *Murice*) purpura.

Baccam) unionem. *Rassisse*) evulsisse.

Pulvere) .i. de massa iam prima ex monribus eruta.

Vitio) gemmis, auro, purpura &c.

Farre) Mola salsa .i. re vilissima. Non enim pinguibus muneribus capitur Deus: sed corde contrito & humiliato. Psal. 50.

SATYRA TERTIA.

In parentū liberis educandis, & liberorū circa bonas disciplinaas negligentia, qui iuvenū



NEMPE hoc assidue? iam clarum mane fenestras intrat, & angustas extendit lumina rimas. Stertimus, indomitum quod despumare Falernū Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.

En quid

En quid agis? siccas insana canicula messeis
Iam dudum coquit, & patula pecus omne sub ulmo est,
Unus ait comitum. verumne? itane? ocyus adsit.

Huic aliquis. nemon turgescit vitrea bilis:

*Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.

VALENTINVS.

NEMPE) Post peccata poetarum cum Musis in prima, & superstitiosorum cum alijs Dijs in secunda: In hac tertia taxat ignaviam eorum qui causantur omnia, quo minus se studijs dedant: dein aperte studia vituperant. Hoc autem principium totum pendet ab eo, *Unus ait comitum*, verba nimirum pigritiam coarguentis. Videtur autem Horatium imitatus ubi scribit, *Sic raro scribis, ut toto non semel anno: ubi multa sunt similia.*

Assidue) Facis scilicet in secundâ vel tertiâ stertas, imò in quintam.

Clarum mane) Adverbium Grammaticis nominaliter usurpatur.

Ponitur autem figuratè mane, pro matutina luce.

Extendit) Non quod extendat, sed quod extendere videatur.

Despumare) Concoquere. concoquendo enim fit spuma.

Quinta) Descriptio horologii solaris. Quinta autem linea est, quæ quintam horam indicat, cum umbra super eam fuerit.

Insana) Sic Horat. *Iam procyon furit: & alibi, vesanum leonem vocat.*

Patula) imitationibus Virgilianis, *patula fagi & pecudes, umbras & frigora captant.*

Verumne) verba nobilis sed ironicè virtutis studium asimulantis.

Ocyus adsit) imperij verba, demonstrantia simulationem, in compositum animum ac à philosophia alienum.

Turgescit) Bellè in compositum animum exprimit: in studio virtutis vitium indicantis. Vitream autem appellat, quod facillè se exerat: & operata proferat, sicut Horatio vocatur splendida.

Findor) Modestissima in propria persona conformatio, & findi est dirumpi clamore. Horatius vocat, ringi.

VOLSCEVS.

NEMPE) Cicero in libris de Legibus: *Naturam*, inquit, genuisse præclara quadam ratione animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem: cuius perspicientia in celum directâ est, et ideo cum interrogaretur Anaxagoras, cuius rei causa esset genitus, respondit, ut celum & solem intueretur, quod non corporis tarditate: sed vigore animi effici sentiebat. Nam (ut Crispus tradit) omnis mortaliū vis in animo & corpore sita est: ita ut animi imperio, corporis verò servitio magis utamur. Corporis & fortunæ bona ut nascuntur ita intereunt:

animos nullis honestis rebus excolūt, cum eas ad percipiendâ bona studia fit accommodatissima.

*Finditur, Arcadiæ.

nam omnia orta occidunt, & aucta fenescunt. Animus autem cum sit æternus & incorruptus, & eius bona genus humanum habeant & regant, nec tempore nec adversante fortuna: aut casu corrumpitur. Itaque Persius utriusque & corporis & fortunæ bona, præterea animi æternitatem contemplatus, illorum pravitatem atque desidiam detestatur & mordet, qui corporis dediti gaudijs per luxum atque ignaviam ætatem agunt: Ingeniumque quo nec melius, nec maius natura mortalibus tribuit: incultu atque socordia sinunt torpescere: præsertim cum tot variæque artes sint, quibus possit claritudo atque æternitas parari: ideo pulcherrima allocutione duos studij contrarij comites ponit. Alter enim diligens & animi virtutibus deditus: socordem, alterum & dormientem per luxum & crapulam, excitat & castigat.

Hoc assiduo) introducuntur duo: alter segnissimus: alter diligens, & est in principio interrupta oratio, æquè convenit indignanti.

Mane) Hoc est, lux. Veteres enim manum clarum appellabant & bonum, ut meminuit Varro. Unde mane quæ est prima lucis pars: huic etiam manes dictos volunt, quasi claros & bonos, quod clari & boni essent dii, quibus animas commendarent.

Stervimus) Hoc dicit ut minus lædat socium, i. alto somno dormimus: & se immiscuit, ut comitem minus læderet: stertere est alto somno oppressum naribus murmur ex ebrietate & crapula emittere.

Despumare) coquere: nam despumatam rem coctam dicimus.

Falerium) vinum.

Indomitum) Quod magna cum difficultate coquimus: nam (ut tradit Plinius) Falerna vina nervis utilia sunt: concoctionem tamè minus adiuvant: & ideo Virg. etiam Falernum vocat indomitum.

Linea) scilicet horologii.

Quinta) hoc est, usque ad quintam diei horam: unde & qua ratione horologium inventum fuerit, incompertum est: tamen primo bello Punico M. Valerius Messala consul capta Catina in Sicilia primus, ut M. Varro tradit, horologium statuit in Columna in publico secundum rostra: quæ erant propè curiam. Eaque Columna lineis distincta erat, quibus horæ deprehenderentur: sed quia erat translata ex Catina in Urbem, Lineæ ad horas non satis congruebant: tamen eas observavit populus Romanus per annos nonaginta. Primum verò tantum ortus & occasus habebatur distinctio: de quibus in 12 tabulis tantum erat mentio: postea additus est Meridies: quem consulum accensus è curia denuntiabat. Accensus est minister magistratuum.

Iam canicula) sydus fervidum: oritur septimo Kalen. Augusti.

Infana

Infana) Mortalibus nocua, non sana: hoc est, iam est Meridies, iam omne pecus accessit ad umbram.

Patula) Manifesta.

Verumne) excitatus segnis clamore diligentis socij, ait hæc.

Vitrea) Quæ facilis est ad incendendum.

Turgescit) nigrescit & corrumpitur: quia inquit, Colera illic facile commovetur & rumpitur: ideo maximo cum damno excædescit quæ primum.

Findor) Inquit diligens vel Persius. *Pecuarium*) Asinos.

Arcadiæ) Qui in Arcadia præstantiores sunt.

ENGENTINVS.

NEMPE) Hac Satyra desidis iuventutis mores taxat poeta. Subindicat autem pulchrè, quàm sit molestum, talium iuvenum (quos instituendos suscepimus) ferre imperiosam malitiam, docens interim quid sit in vita fugiendum sequendumve. Hoc autem cum propè ad primam ætatem pertineat personæ decorum observat; introducens quendam pædagogum fortè, qui statim ab initio Satyræ cum stertente puero expostulat.

Despumare) Digere, concoquere.

Linea) Gnomonica. *Comitum* (pedagogorum).

Iam liber, & bicolor positus membrana capillis,

Inq. manus chartæ, nodosaq. venit arundo.

Tum querimus, crassus calamo quod pendeat humor,*

* queritur,

Nigra quod infusa vanescat sepia lymphæ:

Dilutas querimus, geminet quod fistula guttas.*

* queritur,

O miser, inq. dies ultra miser, buccine rerum

Venimus? at cur non potius, teneroq. columbo,

* palumbo

Et similis Regum pueris pappare minutum

Poscis, & iratus mammæ lallare recusas?

VALENTINVS.

IAM LIBER) in manus scilicet, ut possis legere si velis.

Et bicolor) Bella circumlocutio chartæ membranæ ex pellibus animalium de membris detractis abradis pilis. Bicolorem autem appellat, quod altero latere sit candidior, & capillos ponit pro pilis: quo sensu etiam alijs usurpatur, ut sint bis falsi qui capillos quasi capitis

pilos dicunt, maximè cum pilus brevis sit. Vide Plinium de chartarum generibus,

Tum querimur) Nunc aliorum admiscet personam, non tamen à modestia abscedens: aperta Horatij imitatione: *immeritus quos laborat* &c. Ostendit autem & simulationem & frustra tot voces effusas, & tot labores insumptos.

Crassus calamo) Prima querimonia, atramenti nimis spissi.

Nigra) Secunda querimonia atramenti nimis diluti: unde fistula geminat guttas diffuente atramento.

Sepia) Piscis qui ideo & nobis vocatur Calamario, quòd atramentum remittit.

Dilutas) Bellè ex infusa lympha.

Fistula) magna varietas, arundo, calamus, fistula, & mirè hæc oculis subiecta.

At cur non) Proverbiale quo nos utimur, *il boccone biassato*, quasi malaxatum, & aliud, *dargli moglie & metterla à letto*.

Teneroq;) Quibus, cibus interitur, ut penes Varronem & alios doctrina impinguandi.

Regum) Divitum, magnorum principum. Vario enim modo nomen regum usurpatur.

V O L S C V S.

I A M) postquam ex strato surrexit.

Liber) codex. Liber dictus est, qui ante usum chartarum in libris, hoc est, in arborum corticibus scriptitabant.

Bicolor) bene bicolor, quoniam pilorum pars nigrior est. Membranam reperit Eumenes rex minoris Asiæ Pergami, cum Ptolemæus rex Ægyptiorum papyrum supprimeret, æmulatione circa bibliothecas cum ipso Eumene suscepta, ut Varro testatur: & quòd Pergami primum reperta sit membrana, pergamenum dicimus, membranam verò à membris ovium aut hædorum: unde fit. Primi illi in parte villorum non scribebant.

Positis) rasis, non dicas, quòd ille sibi crines concinnaverit, sed referas ad membranam, hoc est, sumit librum.

Chartæ) Varro tradit ante Alexandrum magnum chartarum usum non fuisse: sed repertas esse condita ab illo in Ægypto Alexandria: feceruntque ex papyro, quæ ad Nilum nascitur: antea verò scripsisse in folijs palmarum, in plumbeis tabellis, in lintheis, & in libris arborum multa chartarum genera. Plinius. *Harundo*) Calamus.

Nodosa) Id est nobis distincta. Nam calami nodosis geniculis sunt distincti: maximè Ægyptij probantur, cognatione quadam cum papyro, probatiores tamen in Gnyde Insula.

Sepia)

Sepia) atramentum. Sepia piscis est, cuius sanguis est atramentum, ut Plinius meminit, & ideo cum sentiunt se capi: illud evomunt, & infuscata aqua se abscondunt,

O miser) exclamatio est diligentis.

At) particula in principio posita, indignationem exprimit: & ideo Horatius, *At deorum*, inquit.

Regum) qui delicati sunt: & in delitijs enutriuntur.

Pappare) Cibum sumere. Pappare est verbum sumptum à voce, & appetentiam cibi significat, tractum volunt ex eo, quòd veteres pappum avum dicebant.

E N G E N T I N V S.

CAPILLIS) Pilis ab rasis à membrana.

Sepia) De sepia pisce, cuius sanguis atramentum est, scribit Plinius lib. 9. cap. 29. *Lallare*) lac sugere.

Antali studeam calamo? cui verba? quid istas

Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.

Contemnere sonat vitium percussa, malignè

Respondet viridi non cocta fidelia limo.

Vdum, & molle lutum es: nunc nunc properandus, & acri

Fingendus sine fine rota, sed rure paterno

Est tibi far modicum, purum, & sine labe salinum.

Quid metuas? cultrixq; foci securapateilla.

Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,

Stemmata quòd Tuscoramum mille sine ducis,

Censoremq; tuum vel quòd trabeate salutas?

Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute novi.

V A L E N T I N V S.

AN TALI) verba divitis se excusantis. Nota autem (*studeam*) quòd studium non solum librum, sed scripturam requirit & quodam usurpatur proverbio Calamus facit studium.

Cui verba) scilicet das, nonne tibi?

Succinis ambages) Pro verbis sumptum ex oraculis, ut Virg. Horrendas

Effluis, prodis te ipsum qualis sis, nisi mirum molles & ignavus.

canit ambages: & rectè ambages, cum nunc crassum, nunc dilutum queritur humorem

Tibi luditur) Proverbiale, quale illud, *de corio suo ludere*: bellè in cerdone cum alio proverbio, *de pellicula usurpatum Martialis*: Sic nos, *sciberzar* (sui sui lenzuoli, quasi dicat, non alium sed teipsum decipis.

Contemnere) Aperta imitatio Horat. cuius carmina hic tota subaudienda: *Invidiam placare paras virtute relicta, contemnere miser, vitanda est improba siren desidia.*

Sonat vicinum) Sonando vitium indicat, quod est, loquela tua te manifestum facit, & videtur ex alicuius philosophi similitudine desumpta hæc parabola, certè aliquis dixit, loquere ut te videam.

Malignè respondet) idem quod sonat vitium. i. absurdum sonum emittit percussa.

Vidum) Mirè anceps similitudo in melius versa, quale dicitur de virga tenera flectenda.

Ruse paterno) Nunc demit factum quod opes modicas cum nobilitate sufficere sibi ad vitam beatam sine philosophia arbitretur, & primo ironicòs.

Purum & sine labe) Si memini ex Horat. desumpta, & per hæc cultus & suppellex munda tota intelligitur. Sicut per patellam securam foci cultricem intelligit obsonia, quale illud, *dum meus assiduo luceat igne focus*. Foci autem cultricem dixit, ut nos dicimus, *tirar la catena metter su il lauzzo*.

Quid metuas) Ironicòs.

Hoc satis) Ironiæ revelatio, quæ necessaria, aliàs in ænigma transit per seipè.

An deceat) Nunc coarguit tumorem ex nobilitate.

Pulmone) Pro inflatione fastus & superbiæ nimis affectatæ. Diæctum videtur nec omnino simile illi Horat.

Inflat tumidum sermonibus utrem.

Stemmate) Iuvenalis: *Stemmata quid faciunt*: huic nobis, *schiatte*, deduci videtur, quam stiatæ pronunciat ipsi Thufci, quod autem dicit de Thufcis in nobilitate, mirum videtur nisi allusum ad Meccenatè à poetis & suo ab Horat. celebratū credas. Aliàs Phrygiam nobilitatem taxat Martialis, quæ vanitas adhuc viget.

Ramum) Est enim arbor & stipes & ramus in talibus cognationibus similitudine. Vnde & nobis, *il ceppo, il zocco*: de quo mira in marzocco, Thufci recentis, cum potius à codice sit eius clara deductio.

Millesime) vocativus potest esse in suo significato, tu ô millesime: vel pro nominativo poni, ut, Corniger Helperidum fluvius.

Censorem) Alium factum detrahit, quod in sua familia sint Magistratus,

stratus, vel quod etiam ipse aliquem gerat magistratum: & hic quod salutas Censorem tuum, id est, ex gente tua: hoc etiam appositè ut solet in salutationibus fieri, addendo non solum dignitates, ut Horat. *poeta salutor*, sed etià necessitudines. Censorem autè nimirum speciè posuit per genere. Erat enim ferè summus Magistratus, post omnes alios autoritate.

Trabeate) vel tu Trabeate, vel salutas ô Trabeate: Cum enim salutamus, vocativo utimur: hic posterior sensus est convenientior Trabea autem pro omni ponitur Magistratu.

Ad populum Phaleras) Proverbiale. *Phalera ornatus equorum*: quasi ergo dicat, hæc vulgi oculos, nō meos possunt perfringere, ac illi cœlare vitia, non mihi.

Intus & in cute) Proverbiale etià, quasi dicat, his potes phaleris alijs imponere, mihi nequaquam.

V O L S C V S.

AN TALI) Resumit verba negligentis diligens, cum stomachatione, an ego studeam tali calamo, qui calamus aut geminas ducitur aut atramenti crassitie non ducit, & imprimit lineas.

Effluvis) Laberis paulatim in deterius.

Sanat vitium) Anthypophora est & per similitudinem ostendit: ita vitiosis mortalibus contingere, ut fictilibus, quæ si sint digito percussa, statim omne vitium detegunt.

Fidelia) Est vas Samium, hoc est in Samo Insulæ ex creta Samia factum ad usus plurimos: de qua meminit Plautus in Aulularia, cū ait, *Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam*.

Es properandus) hoc est, magna properantia instituendus & formandus, ad figuram reducendus & ad virtutem.

Rota) Instructione: tota est metaphora à figulo sumpta.

Sed rure) Alia irrisio est diligentis qui mordet.

Est tibi patella) Patella mediocris patina, in quam simplices epulas conferebant, ut sacra dijs laribus facerent, ad quod accedit Varro nis illud cum ait in Manio, oportet bonos cives legibus parere, deos colere, in patellam dare: interdum pro parsimonia & abstinencia mediocri ponitur cibi, quoniam non lautas, sed mediocres caperet.

Foci) Deorum larium & domesticorum: nam focus est dicatus Laribus, hoc est, noli sollicitari, quoniam patella tibi est adeo plena, ut tibi sufficiat & dijs laribus; *Rumpere*) Superbire.

Ventis) Inani quadam iactantia: nam pulmo agitatur, & cum superbimus & cum iactamus.

Ramum) Ducis gentis lineam: Translatio est ab his, qui familias per lineas distinguunt, & in tabellis exprimunt.

Stemmata) nobilitate Hetruscorum. Stemma signum est rerum bene gestarum, in quaque familia per lineas distincta, ad imagines pictum: nam maiores nostri tabellas in atrijs affigebant, & in foribus & circa limina, ubi erant animorum ingentium imagines: affigebat etiam hostium spolia, quæ nec emptori refrigerare licebat. superbis for tasse (inquit) quod genus ducis ab Hetruscis, quorum nobilissimæ in Vrbe erant familiaræ.

Censorem tuum) .i. sub quo eques censuris. Dicuntur Censores (ut Livius inemit) quod censui agendo creati sint. Primi fuerunt Papirius & Sempronius, creati Tito Quinto Capitolino: & M. Gegano Ma cerino Cols. A parva re sumptum est initium, deinde adeo crevit, ut de senatu, de equitibus, de moribus, & publicis & privatis censeret. Eorum potestas in quinquennium erat: sed Æmylius Mamercus Dictator legem tulit, ut censores in annum & semestrem tantum crearentur.

Trabeate) Trabea insignis in more equitum Romanorum, qui trabeam vestem ferentes sub censuram descendebant. Nam Censores singulis annis absidebant sub Capitolio: equitesque transeuntes observabant. Nam si quis eques Romanus, equum parum nitidum & macilentum habere visus esset: impolitæ hoc est incuriæ notabatur. M. Cato scribit in oratione quæ scripsit de sacrificio commisso, pingui & corpulento equiti, equum Censores adimere consuevisse, cum tanti corporis vir non esset idoneus ad equitis munus. licet alij tradant tantum modo munus remittere consuevisse, sine alia ignominia.

Ad phaleras) hoc est, salutas populum, in equo nitido & phalerato: quod erat signum boni equitis.

E N G E N T I N V S.

AN TALI) verba pueri,

Cui verba) .i. cui loqueris. Verba Persij. *Costa*) non satis uita.

Fidelia) vas fictile, quod fideliter infusa contineat.

Secura) Ironia. *Rumpere*) in superbiam efferi.

Ramum) progeniem. *Tuum*) qui ex tua profapia fuit.

Non pndet ad morem distincti vivere Natta?

Sed stupet hic vitio & fibris increvit optimum

Pingue: caret culpa, nescit quid perdat, & alto

Demersus summa rursus non bullit in unda.

Magne pater Divum senos punire tyrannos,

Et hanc alia ratione velis, cum dira libido

Moverit

*Nec pudor admortum.
* membris.

Monuerit ingenium, feruenti tincta veneno,

Virtutem videant, intabescantque relicta.

Annem magis Siculi gemuerunt æra iuuenti,

Et magis auratis pendens laquearibus ensis,

Purpureas subter ceruices terruit, imus,

Imus præcipites quam si sibi dicat, & intus

Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?

V A L E N T I N V S.

NON PVDET) Ut demonstrat verum esse quod eum novit, hæc subdit. *Discinctum* autem posuit ut Horat. *discinctas perdant ut nequos*. *Discinctis* enim omne ex sinu elabitur, sicut prodigis: unde & vappæ vocantur & nebulones. Tum ita inertes & imbecilles vocantur, qui ferè luxui dediti sua prodigunt ne parandæ rei incumbant.

Nacce) nomē hoc etiam Horat. infame, *fraudatis immundus nacca lucernis*, sed alij Natta legunt.

Sed stupet) demonstrat frustra aliquos moneri, utpote stupentes nec intelligentes quid sit virtus. Quo tamē peius esse demonstrat eum quem carpit cum meliora videat, & tamen trahi ad deteriora. ut belle ille antiquus poeta, & postea Petrarcha expressit.

Fibris increvit) per hæc demonstrat hominis obtusitatem & certè ferè tales sunt etiam ingenio hebetiores.

Bullit) citè positum verbum, de quo supra in secunda ebulat patru præclarum funus: qua similitudine usus belle Dantes cum dixit, *si come il cuocho à sui vasalli*.

Magne pater) Deest ad sensum, ut in correptionibus & similibus Parheticis orationibus plura per Apostrophen tractantur. Deest inquam, ut tu nequaquam talis: idè peior. Inde quam grave hoc sit vitium & damnum per exclamationem ad Iovem subinfert. Est autè locus Horat. de invidia: *Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum.*

Intabescant) liquantur, carpanitur, aptum autem verbum propter venenum: de quo dixerat.

Iuuenti) notissima est fabula de æreo iuvenco Perilli Phalaridi oblato, & de seta gladio suspenso: cuius aliquo loco non solum Cicero, sed & Horatius meminit.

Purpureas) .i. ceruices purpuratorum Regis Dionysij & alterius aulici. *Zurata*) qualia regum: post Lucretium & Virgilium sic posuit.

Imus) ita intelligenda: ora nē sunt hæc quam si sibi dicat, *imus imus præcipites*: per hoc exprimens, virtutē videre & intabescere relicta.

Nullū est gravius supplicium, quā mens sibi malè conscia.

Metaphora sumpta ab eo qui in plano consistens se ipsum cohortatur ad precipitium, & solus suorum scelerum conscientia angatur: quod etiam pro maximo tormento ex oraculo aliquo loco posuit Iuvenalis.

Intus palleat) Pallor ex stupiditate & verecundia sceleris oritur.

VOLSCVS.

NATTAE) luxuriosi & prodigi. Narravit patricius, de quo meminit Horatius: is per luxum & crapulam non modò patrimonium consumpsit: sed genus omne suum vituperavit, corpulentus fuit.

Sed stupet) veniam concedit Nattæ à consuetudine & usu: & est status venialis.

Optimum) Nimia crassities. *Implevit*) Aucta est.

In fibris) in præcordijs Nattæ, hoc est Natta nimium induruit: & ipsius ingenium nimis crassum est: & ideo ait, *caret culpa*, quia nescit quid perdat per luxuriam relicta virtute.

Videant) intelligant virtutem quantum cæteris rebus præstet: quid sit virtus Lucilius his carminibus definit:

Virtus est homini scire id quod quæque habeat res;

Virtus scire homini rectum, utile, quid sit honestum

Quæ bona, quæ mala, item, quod inutile, turpe.

Iuenci) hoc est cruciatus in Tauro æneo. Perillus Atheniensis, ut re gratam faceret Phalaridi Agrigentino Tyranno, Taurum æneum excogitavit, in quo mortales clausi, supposito igne cruciabantur, & cum vocem emitterent, non hominis sed bovis videbatur. Phalaris auctorem cruciatus dignum suo opere existimavit, ut ipse ad Athenienses scribit, primusque Perillus in eo tauro supplicium passus est.

Cervices purpureas) hoc est convivas veste purpurea indutos.

Subtus) qui sub pendente ense discumbent, & ad Damoclem Philosophum alludit, qui cum apud Dyonisium Syracusanum laudaret Tyrannorum vitam propter rerum omnium opulentiam, iussit Dionysius ad eius caput enses tenuissimo filo suspendi: periculo deterritus philosophus, cibo abstinuit. Unde Tyrannorum vitam non absumilem intellexit, quibus semper mortis periculum imminet.

Palleat) cum pallore extimescat & cælet, ita ut uxor proxima seu coniunctissima nesciat. Turpitudinem vitiorum notat, quæ nolit etiam uxori quamvis coniunctissimæ detegere & aperire.

ENGENTINVS.

DISCINCTI) mollis, dissoluti, vilissimi.

Optimum) crassa ventris pinguedo. Refertur autem hæc crassities ad animum nam raro fieri potest, ut pingues non sint pinguioribus sensibus præditi.

Alto)

Alto) in profundo vitiorum. *Bullit*) emergit. *Veneno*) crudelitatis. *Iuenci*) Hanc historiam de Dyonisio & Democle scribit Iuvenalis. *me*) Cicero in 5. Tuscul.

*Sæpè oculos, memini, * tangebam parvus oliuo,*
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere, ab insano multum laudanda magistro:
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Iure etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto: damnoſa canicula quantum
Raderet, angustæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum est curuos deprendere mores,
Quæq; docet sapiens braccatis illita Medis
*Porticus, inſomnis quibus * indetonsa iuuentus*
Inuigilat, siliquis, & grandi pasta polenta.
Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.

* tangebam
 Quid in
 pueritia li-
 benter agat
 unusquis-
 que.

* atque in-
 tonsa
 Brac. Stoi-
 ci, q; in
 porticu
 docebant
 unde no-
 men inue-
 nerunt.

VALENTINVS.

SÆPÈ) Quæ supra dixerat de nescio virtutis, in se exemplificat. Se ergo dicit cum esset puer, virtutem ignorasse, ut pote ludis intentum, ideo omnia fecisse, quibus posset magistrum eludere.

Tangere) id fecit vel ideo ut lachrymare videretur, ut magister eum dimitteret, ne mœrore afficeret, vel ut simularet morbum oculorum, & ideo non posse libris invigilare: nos certè communi proverbio in pueris (*far de l'olio*) pro lachrymis usurpamus.

Grandia) inter Rhetorum materias, quæ declamandas proponebant, verisimile est fuisset quid dicere potuerit Cato seipsum interfecturus: quid enim dixerit iam ex Plutarcho & alijs patet.

Insano) vel qui ipse insanus videbatur, vel nimis vehementi vel fatuo, qui in gratiam patris puerum laudaret, ampliorem recepturus mercedem.

Quæ pater) Mirè expressum studium paternum in illo (*sudans*) & iactantia illa, cum nimium sibi de filijs promittit: sic more Satyrico

mirè & magistrorum & patrum obiter perstringit vitia.

Iure) hoc faciebam, non quidem iure, id est, rectè, sed si propositum meum tunc inspicias quod non erat in literis sed in ludis talorum, tesserarum, turbinis.

Senio) ludorum antiquorum materia satis adhuc inexplicata. Senionis tamen punctum, à senario scilicet numero, favorabilem fuisse hinc apparet: canem autem damnosum: quod & ex loco Suetonij in Augusto apparet: inde illi inditum nomen quod morderet, sicut & alius iactus Vulturius, alius ex benignitate Venus vocabatur. Et mirè usus verbo canicula respiciens ad infaustum illud sydus, de quo bellè per Horat. in ea, *proscripti regis &c.*

Radere) abradere pecuniæ, & sic damnum inferret.

Angustæ) non manu iaciebant tesseras, ne componerent; quod illud Martialis epigramma declarat: sed in turriculam, vel Græcè pyrgum, mittebant, ut Horat. sic nos, *la bussola e'l scudellino*: quam poeta orcam vocat, generalis vasis nomine, de qua etiam infra. Erant quidam adeo periti, ut etiam in pyrgo componerent: id se concupisse affirmat.

Buxum) nunc de Turbine loquitur: sic Virg. *Mixta volubile buxum*. Loco illo ergo id mirè oculis subiecit.

Haud tibi) Quasi dicat, ego is eram qui culpa carebam, nesciens quid perderem, sed tu is es qui virtutem vides, intabescis quæ relicta, utpote qui illam nosti per moralem philosophiam, per Stoicas disciplinas, & Pythagoricas, non est tibi inexpertum, cum in his sis versatus.

Quæ docet) Stoicam disciplinam intelligit, dictam à Stoa, id est, porticu in qua disputabant, in qua poetile vocata erat depicta pugna Marathonica, ideo illitam appellat. Medis-braccatis: & credo poni pro omni barbaro indumento: aliàs proprium Gallorum arbitror.

Sapiens) quæ sapientes facit: sic Horat. Chryssipi porticus & grex. *Indetonsa*) A munditijs & cultu tam vestis quam cibi aliena, quod studiosorum est: tacite illum perstringens.

Siliquis) leguminibus. His enim ferè victitat philosophi, ut in prandio Phavorini penes Aulum Gellium,

Et grandi) multa, vel quod bullitione turgescat; quasi vel panis sit ipsis pro delitijs.

Et tibi) intelligit de Pythagorica disciplina. Clarum autem vel ex ludicro Virg. de littera Y: & quomodo viam virtutis & vitij in iuventute demonstravit. Fuit autem Pythagoras ex Samo, ideo dicit Samios ramos.

Monstravit) licet non arripueris, tamen apparet tibi non incognitum callem dextrum surgentem, virtutis scilicet: & respicit ad bivium Herculis, cuius dextera pars asperior & difficilior.

F O L S C

F O L S C V S.

SI NOLLEM) si non possem, somno obrepente discere, meditari, & memoriæ mandare verba grædia, sublimia & magnifica, & magni ponderis sententiarum.

Catonis meritori) qualia Cato disputavit in cœna ea nocte, qua se ense transegit. Utique Astantibus Apollonide & Demetrio philosophis, & post variam disputationem ad Paradoxa venerunt, ut Stoici tradunt, solum virum bonum liberum esse, omnes malos esse servos repugnabat Peripatheticus quidam: sed Cato superior visus est.

Insanus) ingeniosus: Nam insanos poetas dicimus ingeniosos & spiritu afflatos: unde & Virg. Sibyllam insanam dicit.

Sudans) mea recitatione calescens, & filij bona spe gaudens: nam lætitia corpus diffunditur & interdum sudorem emittit.

Senio dexter) utilis & secundus. Erat in talis, Senio, Canis & Venus: Ovid. in Tristibus, damnosus canes dicit: nam ut ad Tiberium scribit Octavius, qui Senionem aut canem projiciebat, pecuniam conferebat in medium. Tollebat universam qui Venerem iecisset: tamen Persius felicem Senionem dicit.

Quantum raderet) i. auferret, & expilaret: metaphora à tonsore.

Collo) Lagenæ, angustæ, quæ habet collum angustum. Orca vas est fictile, ore angusto & procero corpore, in quod pueri ludentes conferebant nauces.

Curvos) corruptos: nam curva omnia veteres vitiosa dixerunt: non viti, inquit, qui sunt boni & mali mores.

Porticus) quam depinxit Athenis Polygnotus Thasius gratuito ex aliqua parte: ex alia verò Mycon mercede: erat enim pictura bellum gestum inter Medos & Athenienses. Duces Medorum & Persarum Xerxes & Darius fuerunt: Atheniensium verò Miltiades & Themistocles: in ea porticu Zenon Citiæus Stoicorum instituit sectam, qui summum bonum posuerunt in virtute, & cum natura congruenter vivere. *Illita*) Picta.

Brachatis) qui brachis utuntur. Vestis est ad arcenda frigora, qua utuntur Medi, ut Herodotus meminit.

Barbata) indetonsa: nam philosophi non refecabant sibi barbam.

Siliquis) hoc est fabis & leguminibus: nam siliquæ sunt leguminum eortices. *Polenta*) cibo facto ex ordeo, lini semine, coriandro & milio.

Grandi) aut validissimi nutrimenti: vel Græca, quæ cum maiori labore quam Itala fiebat, ut Plin. meminit lib. 18. Polenta cibus est philosophorum: & etiã servorum. de servis meminit Plautus in Asinaria.

Et tibi quæ Samios) sequitur in præsentia Persius ut nos doceat, quæ sit via virtutis: instituit natura nobis duas vias, alteram à dextra, alteram à sinistra.

Samios) institutione Samij Pythagoræ: non quod Pythagoras eâ literam invenerit: sed quod illius ratione humanæ vitæ viam instituerit: nam ea litera inventa traditur gruum volatus observatione, quæ illius figuram volando efficiunt.

Callem) iter angustum & difficile.

ENGENTINVS.

SÆPE) huc pertinet ille contextus, ut planè desidis vitam carpat Poeta, qui cum iam paulò adultior sit, adeoque sæpè admonitus, non videtur excusandus: maximè cum rerum statum internoscere queat. Alia est in puero ratio, qui ob ætatem minus perspicit quid in reliqua vita sit profuturum.

Catonis) i. declamationem de Catone Uticensi.

Infano) Iuvenal. Sat. 7. *Occidit misero: crambe repetita magistros.*

Adductus) invitatis. *Sudans*) ob spem de puero conceptam.

Senio) Quantum ex scriptoribus colligimus. Is ludus talorû fuit, apud nos in usum: unde etiam non satis intelligimus eius ludi rationem. Hoc sanè constat, latus quod unitatem significat, canè sive caniculam appellari: cuius oppositum Venus dicebatur: significans septenarium numerum. Senio verò quaternarium exhibebat, cuius etiam iactus quatuor lucrabatur, unde hic dexter vocatur. In hoc ludo binarius & quinarius non erat: unde argumentum est, nò esse talos, quos cubos seu tesseras appellamus.

Buxam) turbinem.

Porticus) intelligit scholam Stoicorum, ubi primo docuit Zeno, quæ varijs picturis fuit illustrata. Est autem braca peculiaris Medorum vestis à lumbis usque ad furas protensa.

Polenta) Plin. li. 18. ca. 7. *Ramos*) à Pythagora primû demonstratos.

Nullus est tibi finis p. scriptus ad que omnia referas? cer te inquit, nisi are eris philosophi- æ preceptis animi as- suetificas, nò est q. be- ne beate q. vivere pos- sis, etiam si sit utcumq. unde v. 333

Stertis adhuc, laxumq. caput compage soluta

Oscitat besternum, dissutis undique malis?

Est aliquid quò tendis, & in quo dirigit arcum?

An passim sequeris coruos, testaq. lutoq.

Securus quo pes ferat, atque ex tempore viuis?

Elleborum frustra, cum iam cutis agra tumebit

Poscenteis videas: VENIENTI occurrere morbo.

Et quid opus Cratero magnos promittere monteis?

VALENTINVS.

STERGIS) Cum insomnem te esse decuerat Stoicorû exemplo, *Laxum*) Mirè expressa oscitantia ex superfluo somno & cibo.

Est aliquid) prosequitur correptionem, quòd sibi finem aliquem non statuerit.

Sequeris coruos) Proverbiale videtur, sicut nos à caccia gallo. nemo enim potest scire quo sint volaturi, nec quod nobis tunc sit ad manus venturum, quo ipsos feriamus, vel testa, vel lutum.

Elleborum frustra) Principio resistendum docet, ne fiat habitus, pulchra morborum similitudine: ponit tamen helleborum pro omni medicamine, magis tamen purgando aptum cerebro.

Cum cutis agra) Hydropisim pro omni morbo ponit: scilicet quod sit gravis & ferè cum invaluit incurabilis: ideò tunc frustra medico montes promitti proverbialiter dictum: nomen autem Crateri ex Horatio: *Craterum dixisse putato.*

Venienti occurrere) Per parenthesis. Venire autem pro incipere: ut, *pulchro veniens in corpore virtus.* Horat. *Multa ferunt anni venientes.*

VOLSCVS.

STERGIS) Nasi sono, profundissimum somnum indicat:

Vndique) ex omni parte. Habet caput quatuor iuncturas, ut Celsus scribit: hæc nimia ebrietas lentescunt: ita & malæ faciunt, & ideò facilius oscitat qui nimia crapula diffusus est.

Dirigit arcum) Metaphora est à sagittantibus, vel à certantibus sagittis, quorum industria ad unam metam tendit: ponitur hic arcus pro cogitatione & animi sententia.

Coruos) vitia & vitiosos homines. solet enim Persius per coruos, malos usurpare & corruptos homines, ut alibi coruos poetas.

Testa) strata via.

Luto) cœnoso: & est metaphora ab observantibus avium volatû, qui ad id intenti sæpius offendunt.

Ex tempore) sine providentia & ratione.

Cratero) Medico, de quo Horatius in Sermonibus.

Magnos montes) magna præmia, & est generale proverbium, licet Terentius montes aureos dicat.

ENGENTINVS.

STERGIS) Interrogatio est Poetæ quærentis desidem, quid tandem animo volvat.

Compago) suturis. *Oscitat*) oscitando coquit.

Arcum) id est, sagittam. Nam arcus non dirigitur, sed sagitta.

*Discite ô

*Disciteq; ô miseri, & causas cognoscite rerum.

*quâ
*unde.

Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo

Quis datus, aut metæ* quàm mollis flexus, & *unda.

Quis modus argento, quid fas optare, quid asper

Vtile nummus habet patriæ, carisq; propinquis

Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse

Iussit, & humana qua parte locatus es in re.

Disce, neque inuideas, quòd multa fidelia putet

In locuplete penu, defensis pinguibus Vmbri,

Et piper, & perna, Marsi monumenta clientis,

Mœnaq; quòd prima nondum defecerat orca.

VALENTINVS.

*DISCITE) Ex Virg. & pulchrè quod ille dixerat felix, hic nò minore efficacia in miseros transformavit. Pulchrè autem omnia scienda exequitur, sine quibus bene beateque vivi vix potest: per difficulta tamen ad sciendum, & in quibus summos etiam philosophorum errantes videas.

Metæ) sumpta metaphora à Circensibus, & intelligi videtur de vitandis periculis & impedimentis voluptatum: ut pœmia virtutis scilicet assequamur.

Sit modus argento) ut nos dicimus, *hauere il modo*, & quis sit modus & mensura pecuniæ parandæ.

Neque inuideas) Philosophiæ studendum monuit, nò inhiandam divitijs, nec etiã sciētijs, ut inde cõpares divitias, sicut per eloquētiã. tũc faciebãt, q̄ venalis erat cõtra legē Titia, cuius meminit Tacitus.

Multa fidelia) pro omni vase: ut supra. Est autē fidelia à fide quod conseruet. *Putet*) indicat tantam copiam ut usum exuperet.

Defensis) ut hæc sint præmia advocacionis.

Pinguibus) Divitibus, qui multa possint donare.

Et piper) Quæ ad omnes possunt referri defensos: sed pernae propriè ad Marsos ut Horat. Marsus aper.

Mœnaq;) Piscis genus pro omni salsamento piscis, sicut perna pro omni ferarũ genere, ut Horat. *Pernis magis illis postulat in morsus resciri.*

Orca) omne vas ut supra, sed in salsamentis piscium etiam Horat. usurpatur: *non alia quanquam Bizantia putruitorca.*

VOLSCVS.

DISCITE) Cognoscite causas rerum naturalium.

Quid)

Quid) propter quid, ad quam rationem. *Asper*) celatus: hoc est, cognoscas non multum utilitatis habere pecunias.

In penu) in loco esculenti & poculenti: licet alij & ipsa esculenta & poculenta penu etiã dici tradiderint, de quo multa disputat Gellius.

Vmbri) hoc est, quod defenderit Vmbros. Vmbri à Tusci Tybeii separantur, dicti quòd imbribus superfuerint inundatione terrarũ.

Piper) piperis arbor similis est iuniperis, eam tantũ in parte Caucasii montis solibus opposita gigni multi tradunt. Plinius passim nasci vult, & ut opinor de ea regione intelligit. In siliquis more faselorũ provenit: quasi legantur antequam maturescant, dehiscantque piper longum efficitur: si dehiscant, nec torreantur, album piper est: cum torretur nigrum, & rugosum.

Perna) id est porcorum humeri sale servati.

Clientis) clientele Marsorum, hoc est, quòd Marsi ob clientelam ad memoriam gratitudinis attulerint.

Mœna) Mœna piscis est, cuius color mutatur: nam hyeme candida est, ætate nigricat: ex his piscibus fiunt salsamenta & in orcis servantur.

ENGENTINVS.

DISCITE) Imitatus est Virgil. in Georgicis:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Optare) optandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Locuplete) Gell. lib. 4. cap. 1.

Vmbri) populis. Hoc est, noli invidere diviti vicino, fortè quòd multos habeat clientes, quos in presentia Vmbros dicit, infra Marsos: nec referendæ sunt umbræ ad eos qui aliquãdo invitatos, velut umbra corpus sequuntur.

Mœna) piscis, de quo Plin. lib. 9. cap. 26.

Hæc aliquis de gente hircosa Centurionum

Dicat, quod satis est, sapio mihi: non ego curo

Esse quod Arcesilas, erummosiq; Solones,

Obstipo capite, & figentes lumine terram,

*Murmura cum secum, & *rabiosa silentia rodunt,*

*labiosa.

Atque, exporrecto trutinantur verba labello,

Ægroti veteris meditantis somnia: gigni

Denihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.

*Hoc est, *quod palles: cur quis non prandeat, hoc est.*

*cur

Hos * *His populus ridet, multumq; torosa iuventus*
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

VALENTINVS.

HEIC ALIQUIS) Exagitat eos qui admonitionibus nō acquiescunt, imò eas despiciunt & contemnunt, quales ferè centuriones gens militaris lucro solum inhians : quo nomine etiam Horatio taxantur, *magnis centurionibus orti* : & infra, *varicosos centuriones*. Hic autè gentem nominat ut non nobilitatis expertes innuat. Hircosi autem dicuntur pilosi, hirti, fortes. Nam hircus quasi hirtus.

Quod satis est sapio) belle, si hoc contingat iuxta proverbium, sapientes sibi primum sapere.

Arcefilas) Mirè subijcit oculis habitum contemplativi hominis. Rodere autem rabiola silentia, id est, quibus in rabiem ferè agantur, cum non inveniunt apta verba, quibus exprimant sensa animi.

Aegroti veteris) somnia ægri Horatio pro delirijs posita sunt: at hic aptius per verbum ægroti, quod solum corporis est, cui mirè additū (*veteris*) iam delirantis scilicet, vel sola ætate: sic ferè nos, uno spagnum in giudeo ammalata.

Hoc est, quod palles) verba item centurionis perseverantis in exagitando supervacaneum studium.

Cureos non prandeat) pro, tu prandeas, cibo scilicet omni abstinens præterquam necessario,

His populus) vulgus subscribere verbis centurionis fingit.

Multumq; torosa) eo respectu dictū, quo supra hircosos centuriones: sunt enim torosi, benè compacti.

Tremulas cachinnos) Quod tremere faciant : Horat. *hic risu populum quatit*.

Naso crispante) ut supra, *Naribus unciis*: & *suspendere naso*.

VOLSCVS.

HEIC ALIQUIS) Deridet ignavum vulgus, quod benè vivendi rationem contemnit.

Hircosa) corrupta & foetida.

Arcefilas), i. nolo esse philosophus: Arcefilas Crantoris discipulus fuit, mediam Academiam instituit, à quo clarissimi philosophi manarunt.

Solones) Solon, ut Dydimus scripsit, filius fuit Euphorionis : licet omnes alij scribant filium fuisse Ecceclidis : mater vero (ut tradit Heraclides Poticus) fuit Pisistrati Atheniensis Tyranni sobrinus: diu peregrinatus est : seu ut Hermippus tradit, mercaturæ gratia : seu, ut alij volunt, videndi magis quàm lucri cupiditate in Ægyptum, ut il-

ut illorum scientiæ mystica edisceret, penetravit : primus Atheniensibus leges dedit. Mortuus est secundo anno Tyrannidis Pisistrati, ut scribit Phannias Ephesius : ut verò Heraclides, multò post. cineres eius fuisse dispersos circa Salaminam Insulam, falsum esse Aristoteles tradit.

In nihilum) sententia est Aristotelis, qui ait libro i. de Rebus naturalibus : *Nihilum de nihilo nasci* : & *nihil in nihilum solui*: Epicurus & antea Democritus, omnia gigni ex atomis dixerunt : nec posse ex nihilo aliquid gigni, quoniam quod ex nihilo esset converteretur in nihilum, & sic omnia essent vacua.

ENGENTINVS.

OBSTIPO) Obstipi sunt, qui habent rigidas cervices.

Torosa) pulpola.

Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exsuperat gravis halitus*: inspice sodes,
Quid dicit medico iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo modicè sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus bone, tu palles. nihil est. videas tamen istud,
Quidquid id est: surgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deterius palles: ne sis mihi tutor.
Iam pridem hunc sepeli: tu restas. perge, tacebo.

*exudat

VALENTINVS.

INSPICE) Repetens Metaphoram aut similitudinè ægroti, secum dum quam dixerat, *venienti occurrere morbo*, prosequitur usq; in finè, ostendens eos, qui se Medico committunt ab initio facile curari: qui contemnunt, mortem oppetere: tum plerosque qui sibi sani videantur, tamen languere, facileq; morbum in eis comprehendi: quæ sunt deinde acomodanda morbis animi, & medicis monitoribus. Ergo incipientis ægrotare sunt verba, & bellè inditia ægrotatis exprimit. *Iussus*) scilicet à Medico.

Tertia nox) in tertiana scilicet : morbum communiorem elegit, & noctu plerumq; febres invalescunt, aut sua exerunt inditia, & hic iam sanus effectus.

De maiore domo) mirè expressus mos convalescentium.

Modicè sitiente) hoc est, modica lagena, conveniente modicè sitienti: hoc modo & situla debet vocari, quod sitiat.

Loturo) ut iam sano.

Lenia Surrentina) Surrentina vasfer, Horatius.

Heus bone) nunc ponit medici contemptorem moriturum, & ut ille sanatus medicum adiit, sic iste aditus à medico, illum repellit. Ergo (*heus bone*) verba Medici, tu palles, ex quo non te bellè habere coniicio. *Nihil est*) responsio ægroti non curantis.

Videas) replicatio Medici: surgit tacitè tibi lutea pellis: quod supra dixerat, palles: *Nam croceo mutabit vellera succo*, Virg. & *mollia luteoli*, cum autè imum significat, prima brevis est, & amica lutosus, Horat.

At tu deterius) triplicatio ægroti iam irati, ne sis mihi tutor. Omnia imitatione Horatiana, non uno loco, semel, *ne sis mihi patruus*: alibi in ea, *Ibam fortè via sacra*: *Omnes composui felices nunc ego resto*: qui locus ambiguus interpretibus ex hoc loco Persij facile potest declarari.

Perge) eiusdem verba cum omnino medicus vellet aliquid dicere.

Tacebo) verbum Medici iam illum dimittentis.

K O L S C P S.

INSPICE) Multorum crapulam notat, qui licet videant mortem ante oculos prius ad mortem decurrunt, quàm à crapula velint cessare. Inducit ergo segnem illum ægrotare & cum medico loqui.

Sodes) Cicero in *Oratore* tradit, veteres libentius copulando iunxisse verba, ut *sodes*, pro si audes: quod Plautus significat in eo loco, cum ait: *Dic mihi si audes, quæ est ea, quàm ducere vis uxorem?* Verum apud Comicos interdum blanditias exprimit, ut illud Terentij in *Andria*. *Dic sodes*, & hoc loco per blanditias Persius usurpavit: blanditur enim Medico æger.

In faucibus) meis: duò signa posuit præcipua, quæ futuram ægritudinem significant: spiritus gravitas & dolor pectoris cum trepidatione: sed Celsus & tertium addidit, præcordiorum dolorem: est ergo ille æger qui sic dicit medico.

Requiescere) A crapula cessare usque ad quartum diem: nam ut, inquit Varro, Medici maximè quantum diem observant.

Venas) arterias vel ut isti dicunt, pulsus.

Compositas) satis mitigatas, & validas: hoc est, ubi æger vidit se tertia nocte ex aliqua parte convaluisse, non expectavit quartum diem.

Lenia) tenuia: nam Surrentina vina, ex vinis maximè probata sunt propter tenuitatem & salubritatem: Tiberius Cæsar dicebat, confensisse Medicos, ut nobilitatem Surrétino darent, alioqui esse generosiorum

rosam acetum: Surrentum oppidum Campaniæ in montibus, qui Surrentini dicuntur.

De domo maiore) hoc est, de præstantiore apotheca.

Lagena sitiente modicè) hoc est, quod esset ad summum plena. *Perge*) permissio est.

E N G E N T I N V S.

INSPICE) Intemperantiam desidis arguit, qui modica primùm ægritudine affectus, medici consilia ad dies duos vel tres temperantius agit: postea verò ad assuetam crapulam redit. Tam sunt quidam voluptatib. dediti, ut cù vitæ etià periculo fortiter genio indulgeat.

Venas) Plinius lib. 14. cap. 6. hunc locum explicat.

Sitiente) quæ modicum vini capit: In illis autè modicis cupis preciosa vina solent servari.

Lutea) luteus color, *Bleich farb.* *Restas*) sepeliendus.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lauatur

Gutturè sulfureas lentè exhalante Mephites.

Sed tremor inter vina subit, calidumq; trientem

Excuti è manibus: dentes crepuère retecti.

Vncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.*

**Hinc tuba, candelæ, tandemq; beatulus alto*

Compositus lecto, crassisq; lutatus amomis

In portam rigidos calces extendit: at illum*

Hesterni capite induto subiere Quirites.

*triental
*hinc
*Heic
*rigidas
Pestilentiõr
animi quã
corporis
morbus,
quo qui laborant sanari
esse nõ possunt, etiã
si corpore valeant.

V A L E N T I N V S.

TVRGIDVS) Modò sequitur illius deterioratio & mors medicum contemnentis.

Albo ventre) ut Horat. *Albo corpore languet*, & illud, *crudi tumidiq; launur*: *Crudum pavonem in balnea portas* Ex indigestione enim sequitur *xuxoxquia* & hydrops, quam indigestionè ex gravi halitu subindicat.

Sulphureas Mephites) non quòd illæ egrotorum ex indigestione sulphur oleant, sed quòd in locis sulphureis Mephites esse soleant.

Sumptum ex Virg. *Sæuantiq; exhalat opaca Mephitim.*

Sed tremor) repente versanti inter sanos, morbus se prodit tremor febris scilicet.

Trientem) erant Trientes (ut Martiali) & quadrantes vasa ad

bibendum pro mensura: calidum autem ait, quod non minus calida quam frigida secundum tempora temperaret vina.

Dentes crepuere) hoc enim accidit in febris rigore, & reiectos ponit, ut vim ingentem monstrat.

Hinc tuba) iam mortuus est, sed mirum de candelis. Vnde noster mos fluxisse videtur: at illis fortè quod noctu efferrentur: at nobis avaritia Vespillonem exclusit, candelas tamen retinuit.

Lectio) Feretro, qui & nobis *cadiletto*, quasi cadaveris lectus. Mortui autem & compositi, ut compositus pace quievit: & positi & siti dicuntur: unde siticines Gellio.

Crasis) .i. multus: sed quid litatus nisi mortuus: sicut Galli *tuer* & *tuere* occidere significat: sed quod illis victimæ humanæ essent fortè. solebant autem odoramenta in sacrificijs misceri.

In portam) Efferi enim pedibus, capite in lucem ingredi solenne, ut Plinio notatur.

Rigidus) unde porrectus haud semel pro mortuo Horat. mirè autem hoc expressum: & intellige rigidus, dum vivebat: nam propter crapulam solent talia pati pedes. Horat:

Illusq; pedes vitiosum ferre recusant corpus.

Hesterni) in induto capite morem nostrum demonstrat: sed quid nam per hesternos Quirites intelligit, an cives viles, vel heri civitate donatos, ad quos hæc officia relegari debebant. Vnde hoc honori datur, cum honestorū humeris deferuntur: vel intelligit de orcinis libertis suis, quos testamento manumisit pridie quam efferretur.

POLSCVS.

TVRGIDVS) inflatus epulis, multo cibo: atque cum ventre albo: nunquam antiqui indigesto cibo intrabant balnea.

Lauatur) it in balnea cibo indigesto, quod perniciosissimū est.

Mephites) graves spiritus propter incoctos cibos.

Sulphureas) foetidas. Varro & Plinius tradunt, in Hirpinis esse Amfancti & Mephitis eundem locum, adeò pestiferum spiritum exhalantem, ut qui hiatum intraverint, moriantur. Vnde ad inferos aditum putarunt: hic pro graveolentia oris usurpatur: & est locus sumptuosus ab Horatio in Epistolis.

Calidum) lautum & sumptuosum. Nam calida pocula & vasa dicimus lautissimis rebus referta: frigida verò vilissimis: Triens est assis tertia pars, habetq; quatuor uncias: As duodecim habet uncias. Deunx undecim. Dextans decem. Dodrans novem: Bes octo: Septunx septem: Semissis sex: Quincunx quinque. Triens quatuor. Quadrans tres. Sextans duas.

Pulmentaria) cibi. Pulmentum & pulmentarium, à pulte dictum tradit Varro.

Candele)

Candele) Funera tubis & cereis efferbantur ad rogam: funera à funalibus dicta.

Alto) Superbo: nam in funere vestem stragulam adhibebant.

Lutatus) unguentatus.

Amomis) unguentis ex amomo.

In portam) Quoniam cadavera prælatis pedibus efferuntur ad rogam.

Cum capite induto) Hoc est raso & pileato. Servi cum liberantur, pileum accipiebant, quibus & caput radebatur. Vnde & servus Sofia apud Plautum in Amphytrione ita loquitur: *Quòd ille faciat, ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum.*

Subière) Extulerunt cadaver domini sui ad rogam. Nam consuetudo fuit, ut liberati servi domini funus curarent, & ad rogam efferrent.

ENGENTINVS.

MEPHITES) id est, teterrimos odores. Mephitis putor est putrefactæ terræ.

Trientem) poculum.

Pulmentaria) omnia esculenta minutim concisa, sic dicuntur.

Lectio) pheretro. *Lutatus*) alij litatus. De Amomo Plin. lib. 12. capite 13.

Induto) Quod erat libertatis signum.

Quirites) Servi eius, qui nunc nacti sunt ius Quiritum ad libertatem.

Tango miser venas, & pone in pectore dextram.

Nil cadit hic, summosq; pedes attinge, manusq;.

Non frigent, visa est si fortè pecunia, si ve

Candida vicini subrisit mollè puella,

Cor tibi rite salit, positum est argente catino

Durum olus, & populi cribro decussa farina.

Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore.

Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.

Alges, cum excussit membris timor albus aristas:

Nunc face supposita fer vescit sanguis, & ira

Sciltillant oculi: dicisque, facisque, quod ipse

Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

Cum febris laboras, tã levi occasione offenderis, ut insanus videri possis.

TANGE) Nunc exagitat eos, qui non modò medicum contemnunt, sed omnino se illo indigere negant, cum tamen morbus subfit, tempore se proditurus. Morhum autem per calorem & frigus, quibus febris contineatur, explicat. Et duo ponit signa medicorum, tactum pulsus, & præcordiorum pro calore, & extremarum partium pro frigore.

Pone in pectore) Nobis proverbiale, *Mettersi la mano in seno, Tirarsi la barba al petto, & anche, Toccarsi il polso: guardar si le unghie,* & similia. Intellege autem Metamorphicòs, non calet, non friget, id est, sanus sum, nullo laboro vitio.

Visa est) Eoce iam cales, iam friges: morbus se prodit.

Cortibi ritè salit) Quod erat, pone in pectore dextram. Ritè autem videtur ponere, hoc est secundum ritum, & de more febrientium.

Positum est) à febre ad ulcera transit, ita tamen ut omnino frigoris supra positi non obliviscatur, dum dicit: *argente Catino*, id est, frigidò: sicut è contrà *calidum fumen* supra dixit.

Durum olus) Hesternum, iam a refectum & inunctum.

Populi cribro) vulgaris, plebeius panis.

Tentemus fauces) videamus an sint sanæ.

Plebeia beta) Cibo vulgi insipido, de quo Martialis: *Fabrorum præandia: & alludit, quòd tales herbe soleant purgandis & malaxandis ulceribus adhiberi: sic radendi verbo in auribus supra in prima usus.* Hic in palato: *Ecce & febril laboras & ulcere.*

Alges) Redit ad frigus, quod in se esse ignorat quod adesse convincit ex timore: sicut calorem ex vitio iræ utrumque vitiosum.

Timor albus) qui pallidos efficit homines.

Excussit aristas) Horripilationem ex timore indicat, & horridos pilos vocat Metaphoricè aristas. Excussit autem non extra omnino abiecit, ut in histrice, sed ut in Echino.

Fervescit sanguis) Iræ definitionem ponit.

Scintillant oculi) Virgilianum, qui dicit:

— totoq; ardentis ab ore

Scintilla absistunt, oculis micat acribus ignis.

Non sanus) Magnæ insanie argumentum, quæ Orestis iuramento asseratur: Orestis autem insania omnibus poetis posita, & non semel Horatio.

TANGE) Transit iam ut à comparatione egroti incontinentis & mortui ad castiganda animi vitia illius, qui legnis iacebat in lectò: quæ vitia si non maturius, ante quàm validius invalescant tollantur:

ad

ad perniciem, & ad quod vis inducunt flagitium. Arguit igitur eundem puerum inertie, libidine, ganea & invidia, & tandem insaniam: & est Satyræ conclusio, & loquitur iam diligens ad segenem.

Venus) Salientes in brachijs & in temporibus.

Visa est) Arguit illum libidinis & avaritiæ.

Salit) Hoc est, statim excitatur, horret animus & concutitur propter novos affectus libidinis & avaritiæ.

Positum est) Notat illum Ganea, & dicit statim, quòd si vilis apponitur eibus, dicit se habere ulcus.

Catino argente) Sordido & vili: dicimus ea vasa calefcere, quæ sunt lautis cibus referta: illa verò frigefcere, quæ vilia fercula continent.

Per cribrum populi) Quod rarius est: unde panis vilior & secundarius efficitur. In Gallia primùm facta sunt ex setis equorum cribra: in Hispania verò ex lino excufforia & pollinaria.

Radere) Tergere & polire: respexit ad putredinem ulceris.

Beta plebeia) vili cibo, hoc est, tui oris & gutturis morbus non potest sanari vili cibo.

Cum excussit) Invidia & superbiæ segenem accusat.

Tumor) Superbia & livor.

Albus) Qui te pallidum facit.

Aristas) Hoc, est aculeos in tuis membris. *Aristæ* sunt spicarum summitates è gluma eminentes. Vsurpavit pro aculeis qui superbia & invidia nos compungunt.

Dicis & facis) Notat illum insanie.

Orestes) Orestes Clytemnestræ & Agamemnone filius interempta matre insanus effectus est.

TANGE) Inquit Medico.

Farina) panis secundarius. Plin. lib. 18. cap. 11.

Eace) Materia iracundiæ oblata.

REmpopuli tractas? barbatum* hoc crede magistrū
Dicere, sorbitio tollit, quem dira cicutæ.
Quo fretus? dic* hoc magni pupilli Pericli.

Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda, tacenda que calles.

*hæc

In eos qui rerum humanarum imperiti temere se ad gerendum magistratū ingerunt: in primis autem in Nerone, qui juvenis per scelus imperium occupavit, imperio inestimabilissimus.

Sicut superiore Satyra in principio carpsit ignaviam, in alia tamen deinde delapsus Satyricorum more: idem hic facturus in principio carpsit temeritatem eorum, qui in idonei capeffunt Reipubl. quod vitium tunc erat frequens in Romanorum moribus, utpote maximæ orbis parti imperantibus. His deferebantur Magistratus habito solo divitiarum, aut nobilitatis respectu, licet aut imperiti essent, aut etiam ætatis, ut nec pennerum naturam scire possent. Est autem mirè efficax hæc Satyra: etiam reprehenses reprehendēs, & satyricum in Satyricos stylum stringens.

BARBATVM) Id est, sige Socratem alloqui Alcibiadem adolescentem, rebus se publicis præproperè immiscentem: & ita conformat hæc Persius fati: etiam aptius quàm quæ Horatius in persona Tyresæ & Vlysis, vel (crede) quod ego dixerò, perinde verum effeac si Socrates loqueretur, sapientissimus omnium hominum habitus vel ex Apollinis oraculo. Prior tamen omnia magis conveniunt, præter verbum (*Quirites*) paulo post positum. Socratem autem circumscribit per Magistrum barbaturum, id est, sapientem philosophum, pro quibus & ipsi Persius supra, & Horatio barba ponitur: & in eo bellè lusit Dantes cum dixit: *alza la barba*). Cætera de nece Socratis, ebibita cicuta iussu Magistratus fati superque sunt vulgata.

Dira) immitis, & ad deorum iræ ethymon potuit respicere. Nam illi mors inflicta, ex hac causa, quod deos novos introduceret. & ferè alludit ad id, quod sibi etiam mors sit danda ex bonis præceptis, ut supra dixit in prima imitatione Horatiana.

Pupille Pericli) Non dubium de Alcibiade intelligi, à Pericle principe Reipub. Atheniensis alto. Et non carent hæc verba magna vi & artificio. Primò enim illum adhuc pupillum demonstrat, & sic administrandæ Reipub. inhabilem. Tum mentio Periclis honorifica illum admonet, an illis sit artibus fretus, quibus ille, qui & tonare & fulgurare dicebatur. Postremò in verbo *Pericli* admonet periculi imminentis, prout etiam illi evenit, & à quodam prudente fuit comparatus leunculo, quem aut occidere oportet, aut postea tolerare. Et Pericles quidem in genitivo potest Periclis facere, sicut Vlysis.

Scilicet) ut Virg. *Scilicet is superis*.

Ingenium) Scimus naturam significare: aut hæc etiam venit ante pilos, & semper elucet: licet postea institutione quasi perficiatur, & colatur, ut bellè per Quintilianum libro primo: ideo sumendum hic ingenium pro perfectione naturæ, arte & doctrina completæ.

Ve

Velox) Nunc contra morem suum, ut nobis in proverbio: *Dove non è il tempo, non puo essere il senno*, sed hic: *Dove non son anni, non è senno*: ut adfit aliqua figura.

Dicenda, tacenda) In quo tota Oratoris gravitas, ut solum dicamus quæ profunt, taceamus quæ obsunt, aut nec obsunt nec profunt, idque secundum mentem auditorum docendis illis, delectandis & movendis, quod Rhetores docent.

Calles) Verbum respiciens usum & prudentiam, ut nobis: *Scale trito*.

Ante pilos) Nam sapientia à barba, ut supra: & sic illum redarguit ab ipso coporis habitu, sic infra: *Ante diem*.

V O L S C V S.

REM) Nulla Respub. potest crescere, aut diuturna esse: nisi quam bene instituti homines moderentur: aut quæ sapientum consilio regatur. Nam (ut Plato scribit) quales fuerint in civitate principes, tales in Reipub. cives esse necesse est: & ideo eas Respub. beatas esse putavit: si aut docti & sapientes homines eas regere cepissent: aut hi qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent. Id cum optimè Persius calleret, illos naso versutissimo insectatur, quicum nullam rerum experientiam haberent: sed omni contempta sapientia vitijs omnibus imbuti sint, ante annos ad curam Reipub. sese traducunt, cum qui sint, aut quales esse oporteret non existiment, sed de se turpe assentantibus fidem adhibeant. Loquitur igitur cum Romana iuventute, ac si cum Alcibiade Socrates loqueretur. Alcibiades enim (ut Thucidides scribit) ipsa natura animus ad omne vitium proclivem habuit: adulantium amatorum excitationibus ad Reipub. maturius inhiabat: diu illum Socrates cohibuit: cui si obtemperasset, ad perniciosum & funestum bellum civitatem suam nunquam excitasset.

Barbatum) Philosophum, qui promissa barba utebantur.

Cicutæ) succi ipsius herbæ cicutæ, quæ pœna erat Atheniensium infanda, ut Plinius meminit. Socrates ab Anyto tyranno Atheniensis accusatus, ut Plutarchus meminit, quod iuventutem Atheniensem malè erudiret, & corrumpere: adactus in carcerem, missum sibi à Tyranno ex Cicutæ succo poculum hausit, & extinctus est.

O Pupille) ò Alcibiades.

Magni) Nobilis civis Atheniensis Alcibiades filius fuit Cliniz Atheniensis. Is cum perisset Imperator in bello, quod pro Atheniensibus gefsit contra Bæorios, tutores Alcibiadi reliquit Periclem & Arphronem nobiles cives Athenienses.

Scilicet) Ad iuventutem Romanam ironicòs loquitur Persius.

Ingenium) Animi solertiam.

Prudentia) Rerum inquisitio.

Velox) quoniam ante ætatem vel præmatura.

ENGENTINVS.

REM) Huc pertinent ea quæ Politianus scribit in Miscellaneis cap. 4. hanc videlicet Satyram ad Platonicum dialogi, qui primus Alcibiades vocatur, exemplar veluti delineatam. Sanè in ea notare videtur quempiam, qui ante ætatem Reipubl. gubernacula adit, in quo rerum prudentia vel sequendarum vel fugiendarum esse non potest.

Magistrum) Socratem.

Cicutæ) Plin. lib. 25. cap. 13.

Pupille) ð. Alcibiades.

Scilicet) Ironia.

Ergo ubi commota feruet plebecula bile,

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ

Maiestate manus: quid deinde loquere. Quirites,

Hoc, puto, non iustum est, illud malè, rectius istud.

Scis etenim iustum, gemina suspendere lance

* verum *Ancipitis libræ, rectum discernis, ubi inter*

Curva subit, vel cum vallit pede regula varo,

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Quin tu igitur summa ne quiquam pelle decorus

Ante diem blando caudam iactare popello

Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?

VALENTINVS.

ERGO) Qualem virum describit Virg. in I. Æneidos.

Fervet) Aptum verbum iræ & bili & commotioni ipsius plebis, ut Virg. — *et fervere littora flammis.* Vnde infra (*calidæ*) iratæ, commotæ & agitatæ.

Plebecula) Quæ concitatur, ut Virg. *Ignobile vulgus*: utroque alludente ad morus Tribunitios Romæ.

Fert animus) Sic nos, *bastar l'animo.*

Maiestate) Egregiè illum adhuc pusillæ manus propter ætatem, & in quo non possit esse Maieestas, redarguit. Illa enim à maioritæ quadam, de qua Titulus penes Valerium cum exemplis, qualem in

ado-

adulescente Scipione Æmyliano, in titulo de Indole refert: qualis fuit in Octaviano iuenculo.

Quid deinde) Sicut ipsum ostendit deficià pronunciatione maxima Oratoria parte (ut per Demosthenem penes Valerium) & gravitate vel iudicio, quod omnia præstat: ita nunc Inventionem & Elocutionem, & per consequens, dispositionem. Nam Memoria in pueris vegetior.

Hoc puto non iustum) Apparet de genere deliberativo loqui: quod ab honestate, utilitate & facilitate maximè oritur. Hoc autem Honestum duplici Metaphora exponit, Lance: ad quod iustum refertur. Et regulæ, ad quod rectum: & utroque vocabulo iusti & recti vocatur, communiter honestum, & sic nos iustitiam cum lance pingimus, & ita proverbio usurpatur, *Tener dritta et giusta la bilance.*

Gemina) Nos elegantius *bilance.* Petrarcha, *Librare in giusta lance.*

Suspendere) Notat morem eorum, qui exactè pendere volunt, ne hanc vel alteram inclinent partem, quod in illo momento accipiat libram (ut ipse vocat) difficile est, nec impuberi obvium.

Discernis) Bellè verbum elegit commune corporeis & intellectus oculis.

Curva subit) Duplex vitium regulæ vel in curvitate, vel in instabilitate, quam per varium, id est, varium pedem exprimit.

Et potis es) Sic Virg. *nec potis Ionios fluctus*, ab hoc potior deduci videtur.

Nigrum) Haud dubiè alludit ad morem iudiciorum.

Quin tu) Quandoquidem, scilicet tam necessarijs rebus destitueris.

Pelle decorus) introsum scilicet turpis, Horat. *qui et detrahere pelle,* dixit opus Satyricum: uti nos, *Cavar la maschera.*

Ante diem) ut supra, *ante pilos.*

Blando caudam iactare popello) ut supra, *plebecula*: & scio quidem Horat. usurpatum satis obscure, *caudam trahere*, sed ferè pro eo quod est sibi blandiri: sed hinc sumpta metaphora videtur à catis & canibus, & similibus animalibus.

Sorbere) morem exhauriendi pharmaca indicat, ut supra *Sorbitio.*

Anticyras) Nedum Helleborum in illis nascens: adeo illum stultum indicat, ut si solo vivat mero helleboro, quod in Anticyris nascitur, vix purgationi insanæ sit suffecturum, & numero plurali posuit, quod plures essent.

VOLSCVS.

PLEBECVLA) Diminutio à plebe, plebs ipsa.

Fervet) indignata.

Bile) id est, ira. Nam nil aliud est ira, quam commota bilis.

Manus) quæ non parum potest in tumultu ad sedandum furorem.

Calidæ) Ira incensæ.

Quirites) inducit verba quæ potuisset iuvenis ad populum dicere.

Iustum) Id quod est iustum: Hoc est scis tu æqua trutinam iustitiam ponderare? & Metaphora est à pendente in bilance pondere, quæ ad æquam lancem deducitur.

Regula) id est, lignum transversum, quo appenduntur lances, quæ si curva est, aut si altera pars sit ponderosior, nunquam pondus rectè æquari potest.

Varo) id est torto. Varus tortus dicitur: unde vari dicuntur homines tortis plantis: unde & varices venæ sunt in furis inflexæ vel obtortæ.

Quin tu igitur) Arguit eos Persius, qui ante diem cupiunt captare populi favorem.

lactare caudam) blandiri, & Metaphora est à blandiente cane, qui caudam agitat.

Meracis) ebrius: quoniam Helleborum ebrietatem generat, & per hoc notat insaniam.

ENGINVS.

QUIRITES) Quiris lingua Sabinorum hasta dicitur. Romulus ergo cum frequentius uteretur hasta, Romani à Romulo Quirites sunt dicti.

Pede) examine libræ. *Varo*) obtorto.

Vitio) vitioso homini.

Præfigere) in tabulis tuis suffragatorijs.

Anticyras) In Anticyra insula helleborum tutissimè sumitur. Plin. lib. 25. cap. 5. Gell. lib. 17. cap. 15.

Quæ tibi summa boni est: unctæ vixisse patella

Semper, & assiduo curata cuticula Sole.

Inunc & ob nobilitatem & fortunatè vendita. cum alioqui nihil sapias. → otia

Exspecta, baud aliud respondeat hæc anus. i nunc.

Dinomaches ego sum. suffla. sum candidus. esto,

Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,

*Cum bene discincto cantaverit *ocyma vernæ.*

*Vt nemo in sese tentat descendere, nemo:
Sed* præcedenti spectatur mantica tergo!*

*præcedētis

VALENTINVS.

QUÆ TIBI SUMMA) Vult eum in idoneitatis manifestò argue- re Reipub. administrandæ & rei populi tractandæ. Certè illud in pri- mis ad populi rectorem pertinet, ut civitatem quoad fieri potest po- litica felicitate beatam faciat, quod bellè docet Aristoteles: at quo pacto id efficiat, qui in bonorum & malorum finibus errat? Et ea in re summum reponat bonum in qua non sit, ut hic imperitus iu- venis in voluptate quadam crassa id reponens.

Assiduo) scio solem pro exercitatione & labore poni, sicut umbrâ pro ignavia: tamen aliter hic capitur, & ut infra, figas in cute solem. Videtur autem de sole intelligere applicationis, qualis in delitijs re- ponitur Petrarchæ, Tepidi soli, et giuoco & cibo & ocio lento che i simpli cetti cuori inuischia: vel de levibus exercitijs capi.

Exspecta) mirè illum perstringit, qui velit alijs moderari, eum nihi- lo plus sapiat quàm anus delirans: tum nò quælibet selecta, sed rustica.

Inunc) sic nos: hor ua: cum nos victores volumus ostendere.

Dinomaches) verba illius ostendit se nobilem & fortem quem- piam. Illud enim nomen à potentia pugnæ compositum, indicat nò nisi nobilibus convenisse: quasi dicat nobilitate me convenit & deliciari & populo moderari.

Suffla) aut proverbiale, quale audivi Gallos deridentes dicere, suffla: vel perinde quasi dicat, ut Horat. infla tumidum sermonibus utrem: extolle te.

Sum candidus) adhuc in sua persistit commendatione, quòd nò tan- tum sit nobilis & fortis, sed etiam pulcher. Nam hoc sibi vult candi- dus ac nescio quid maius: nullum ferè excludens bonum.

Esto) concedentis.

Pannucia Baucis) electum nomen vile, sicut Pyrrhiæ ab Horat. eo loco annotavit interpres. Et certè pannucia vestis indicat vilitatem, quasi pannosum dicas, & Baucis nomen non à bibendo, cantando & saltando Græcis abhæret.

Cum bene discincto) mira exaggeratio, delirè semper anus, vilis & vi- nosæ, sed tum maxime cum lascivit ex tempore & societate, videtur autem alludere ad morem cuius agriculturæ scriptores meminere: Ocymum cum maledictionib. fieri solere arbitrantur, eo modo opti- mè provenire. *Vernæ*) servo.

Discincto) ignavo, in delicias resolutio: ut Virg. discinctos Mulciber Afros.

Vt nemo) Reprehensus arguit carptorem suum à vitio omnibus re-
re communi, ut se ipsos non inspicientes aliena carpaat, & sic invicè
ab alijs carpatur, ita ut nec ferè vivere aliquo pacto possis, quin præ-
beas inaledicendi occasionem. *In se*) in pectus & secreta sui cordis.

Mantica) verbum Horat. Et huc facit proverbium nostrum, *de ba-
tatte nella coppa, & vuol dic d' altrui.*

V O L S C V S.

QVAE TIBI SVMMMA) Quod tibi est summum bonum?

Patella) id est, vivere luxuriosè & uti bonis corporis, & etiam ha-
bere cutem nitidissimam, id est formam pulcherrimam.

Sole assiduo) hoc est, unguento & medicamento ad solem in illam
delibutis.

In uno) cum indignatione legendum est, ac si Alcibiades sibi ani-
culam comparari esset indignatus, & ideo se à genere commendat:
nam Alcibiadis paternum genus ab Aiace fuisse traditur. Maternum
verò ab Alcmeonide, quem ex Dinomache genitum ferunt, ut Plu-
tarchus meminit: nutrix fuit Amycla Lacedæmonia, Pædagogus
Zopirus: quæ fuerit mater Alcibiadis non traditur.

Suffla) intumescere, inquit Socrates, nam superbiæ signum est ex
indignatione sufflare.

Baucis) Baucis, & Philemon senes, uxor & maritus habitaverunt lo-
ca Phrygiæ contermina, horto vivebant, Iovem & Mercurium hospi-
tio exceperunt: cum ex loca in lacum conversa sint, eorum casa fa-
ctum est templum, ipsi templi sacerdotes: tandem in arbores pari-
fatis conversi sunt. *Pannutia*) Pannis obsita.

Non sapiat deterius) hoc est non utatur minori sapientia quàm tu,
hoc est, quid mihi est, si tuum genus est clarum, es dives, & pulcher:
si Baucis vetula non sit minus sapiens quàm tu: ac si dicat, ab illa nõ
differs, licet sit turpis & pauperula.

Ocyra) olera: Ocymum est olus quod appellamus basilicon.

E N G E N T I N V S.

PATELLA) id est, voluptuosè.

Dinomaches) vide Ovid. 8. Transfor. de Philemone & Baucide.

Baucis) natus ex genere Dinomaches.

Cantaverit) cum clamore invitaverit ad emendum olus.

Ocyra) vide Plin. lib. 20. cap. 2. *Vt nemo*) Admiratio.

Questeris nostin' Ventidi prædia? cuius?

Dives arat Curibus, quantum non miluus oberret.

Hunc ais? hunc, Dysiratis, Genioq; sinistro,

Homini
more fit, in-
quit, ut ad
aliena vitia
simus ocu-
latissimi,
ad nostra
planè cæcu-
tiamus. Nã
divitis cu-
iuspiam a-
varitiam &

Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit:

Seriola veteris metuens deradere limum,*

Ingemit. hoc bene fit: tunicatum cum sale mordens:

Cepe, & farratam pueris plaudentibus ollam,

Pannosam facem morientis sorbet aceti.

V A L E N T I N V S.

QVAESIERIS) Perseverat idem ostendens quàm proni sint ho-
mines aliorum reprehensionis: omni captata occasione, & ut nullo ge-
nere vitæ morsus possis vitare, additurus etiam reprehensores vi-
tios non carere, licet ipsi ea non curent ac solum in alienis sint solli-
citi, ut inquit dominus noster bellè de trabe & festuca.

Ventidi) vide quod nec ipsum nominat, sed prædia sua: fortè ali-
quid volens vel de eorum fertilitate aut vicinitate subdere: & tamen
hinc utrique nascitur maledicendi occasio.

Arat) notat suam forditiem, qui ad eò dives, tamen ab aratoris of-
ficio non absteineat.

Curibus) loco caro propter soli bonitatem & Romæ vicinitatem,
in Sabinis nimirum, ut etiam tetrica illa morum natura non nihil fa-
ciat ad verisimile.

Milvus) talis enim horum animalium natura. Vnde nos Vulturio
addimus *avoltoio* dicendo: *da avolgersi* aliquid sonaret: & aliud *agi-
rone* vocamus.

Genio) Genius Deus naturæ est, ut Horat. & voluptatis, unde ge-
nialis, & fraudare genium.

Sinistro) infelici, sicut & lævum capitur: ut dextrum profelici, vel ab
augurijs & omnibus vel quod ea pars nobis potentior aut saltem
agilior videatur & aptior rebus agendis.

Iugum pertusa) morem notat feriarum, in quibus (ut Horat.) Vacat
ocioso cum bove pagus. Verisimile est enim tunc in compitis à pa-
tribus familiarum suspensa fuisse iuga, ut indicarent, scilicet non a-
randum, sed feriandum, sibi que necessitatem imponerent, nõ aran-
di etiam si vellent.

Metuens deradere) mirè expressa Parsimonia à vasis parvitate, & ge-
nere, & ætate.

Hoc bene fit) id est, indulgeamus genio: indicans victū eius qualis
profectis esset dieb. si festis tali utēs cibo sibi depauperari videbatur.

Mordens) vel mordet potius quàm comedat, satis sibi pulpa-
menti credens: vel in solo morsu & odore maxime addita
salis acrimonia. Tunicatum autem licet Epitheton aptum

parsimoniã
facile obler-
vamus, in
nobis maie-
ra flagitia
non anim-
advertim.
*veterem.

Quis

cepæ ut nobis in proverbio: *Tu hai piu spoglie che la cipolla*, tamen non abs re utpote elegans pulpamentum, quod natura in plures dividi potest, Parsimonie aptissimum.

Pannosam fecem) quod supra litum videtur dixisse, sed ibi in vino fortè precioso: hinc in aceto moriente.

Aceti morientis) vel vini quod moriens ferè in acetum fit versus, vel acetum iam evanescens.

VOLSCVS.

QVÆSIERIS) Exemplo ostendit nos esse aliorum vitiorum, nō nostrorum indagatores.

Vectidij) Vectidius vir Sabinus fuit, agrorū ditissimus, sed avarus.

Curibus) locū designat, ubi esēt prædia. Cures oppidū Sabinorū est *Genio*) Deo domestico adverso, hoc est, qui natus est adverso genio, quoniam ad eō avarus est, ut diebus singulis crucietur.

Ad compita) Ad loca deorū Compitaliorū qui Lares sunt. Compitalicij Dii Lares sunt, quibus dies attributi sacris, Compitalia dicuntur: quoniam ut Varro tradit quotannis in compitis his sacrificetur. Sunt compita in quæ multæ viæ competunt, ubi erant ædificia, quibus rustici fracta iuga, aratraque dedicare solebant, veluti elaborati operis & emeriti indiciū facerent. Tanta inquit avaritia fervet Vectidius, ut etiam diebus festis quibus agricolæ lætitiā agunt, ingemat aperire feriolam veteris vini, sed acetum: & vilem poticam sorbet. *Limum*) argillam & lutum quo illinuntur dolia.

Seriolæ) vasis vinarij, & est diminutio à seria: nam est apud Terentium, omnes exhausti serias.

Ollam farratam) id est far decoctum in olla. *Pueris*) hoc est, servo.

Fecem pannosam) spissitudine quadam coherentem: quod accidit cum in dolio vile vinum asservatum est.

ENGENTINVS.

QVÆSIERIS) Quærat aliquis. *Cuius*) respondentis.

Dys iratis) qui non audet vel aliquando indulgere genio. i. voluptatibus. *Pertusa*) protrita, conculcata.

Limum) id est, vas vinarium, quod limo oblinebatur.

Farratam) farre plenam.

Plaudentibus) ob lautio rem (ut ipsis videtur) cenam.

Pannosam) mucidam. *Morientis*) languentis, pereuntis.

Cedimus, inq̄ vicem præbemus crura sagittis.

Vivitur hoc pacto: sic novimus ilia subter

Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro

Protegit.

Protegit, ut mavis, da verba, & decipere nos

Si potes, egregium cū me vicinia dicat,

Non credam? viso si palles, improbe, nummo,

Si facis in penem quidquid tibi venit amarum,

Si puteal multa cautus vibice flagellas,

Nequiquam populo bibulas donaveris aureis.

Respue, quod non est, tollat sua munera cerdo.

Tecum habita, ut noris, quam sit tibi curta suppellex.

VALENTINVS.

CEDIMVS) Proverbiale videtur.

Vivitur) ut Horat. *non isto vivitur istic quo tu vere modo.*

Ilia subter) hæc omnino verba sunt primi illius carptoris, cuius morem attingit, qui à vitiorum infectione non desistat propter recriminationem, si fortè posset aliquid lucrifacere. Aptæ ergo Metaphora redit ad indicandum illi morbum suum, quem dicit esse subter ilia in loco non patente scilicet: & videtur respicere ad cupiditates, propter quas iecur dicitur vulnerari, ut non semel Horat.

Sed lato) sicut balteus auratus fulgore suo perstringens oculos spectantium, non sineret videri vulnus in ilij: ita vult demonstrare divitias ipsius & splendorem nobilitatis, morbum animi sui obtegere, iuxta illud Horat. *Stultitiam patiuntur opes.*

Vt mavis) Proverbiale videtur, sicut nos cum volumus disputationem abscindere, dicentes, *sia comē vuoi: conciam la come vuoi: la cosa sta così.*

Decipe ne vos) tuos scilicet si potes: quasi dicat: potes quidem alijs imponere, & te magnum quippiam ostentare, sed te ipsum vulneris, id est morbi & vitij animi tui consciū nequaquam potes fallere, nec te decipere.

Egregium) verba reprehensi, testimonium de suis virtutibus vicinæ afferentis.

Viso si palles) verba reprehensoris suum ipsius iudicium iudicio vulgi & conscientiam propriam, aliorū adulationi, præferentis, qui contra blandiloquētiā vulgi se & rapacem, & intemperantem, & parum experiatur.

Palles) ex ingenti affectu & desiderio acquirendi.

Si facis) convincit intemperantiæ.

Si puteal) hoc ad tenacitatis signum pertinet: quasi dicat, multis

Si conscius es tibi sceleris alicuius non credes vulgo magnifica de te prædicati, sed potius conscientie tuæ.

adedo gravibus percussioibus, ut nota possit restare: nam percussiois notam vibicem vocant: causam autem huius flagellatiois satis aperit in verbo *cantus*, in quo maximam custodiendi diligentiam ab alijs ac à se ipso indicat, ut ita arctè puteal operculi puteo capsæ cohæreat, ut nihil inde vel à volente possit hauriri, tanquam ex festiore quodam erario qualem curam & in primo sermone exprimit Horat. & est satis propinquum illi, quo nos proverbialiter utimur, *gacciar grandi scudi nel forcier col martellino, & lasciar gli venir la muffa ad offo*: in inferno nulla redemptio. & non ab similitè dixit Martialis: *ceius multas arca flagellat opes*: nam illud indicat exuperantia rerum in arca, quas flagellari oporteat.

Aures bibulas) laudū avidas: sic dixit Horat. *densum bibit aure vulgus*.

Respice) ne tibi imponi sinas, tibi potius quam alteri de te credito: quo sensu supra satis dictum prima, *nec te quæsieris extra*.

Tollat sua munera cerdo) nil cimumtius dici poterat, unde & Arist. in Ethicis dicit, summum bonum nequaquam in honore posse consistere: quando quidem is nō sit in nobis situs, sed ab aliorum pendeat arbitrio, & sit cerdonis munus. quam in sententiam non semel locutus Horatius. Cerdonis autem voce miratus, speciem quidem sellularij opificis pro toto genere usurpans: Nam cerdones ex utroque pellibus utentes in opificio: ex Græco à lucro descendit, quod maius his in vilibus & sordidis opificijs affluit.

Tecum habita) beile, ut supra *descendere in se, quærere extra*:

V O L S C V S.

CREDIMVS) concedimus quod invicem reprehendamus.

Vivitur) alludit ad illud quod dixit, *sed precedenti spectatur mantica tergo*.

Baltbens) cingulū militare est, quo maximis ornamentis, (linea gemmarum scilicet & auri) compacto utebantur gladiatores, atque in arena vulnera intuebant.

Egregium) verba sunt increpati adolescentis: cum vicinia tota dieat, me egregium, nobilem & sapientem, non credam?

Viso si pallas) Consilium poetæ est quo claudit Satyram ex ea sententia quæ erat in templo Apollinis Delphici aureis literis superioribus lininis in marmore sculpto, hoc est, *COGNOSCE TE IPSVM*.

Vibices) sunt verberum plagæ.

Puteal) hoc est, creditores in puteali, hoc est, si scenerator es.

Locus erat in Vrbe in porticu Iulij ad arcum Fabianum, ubi scenatores observabantur à creditoribus scenus exigentes: unde apud Horatium est, *forum putealq; Libonis*.

Quid non es) hoc est, nolite facere sapientem aut probum, cum in sanus & improbus sis.

Tollat

Tollat sua munera cerdo) hoc est, cerdo non laudetur ultra suum officium: nec etiam ultra illud laudet: & videtur inde acceptū, quod in satorem Apelles dixit, qui cum prius calcei ansam in Apellis, pitura damnasset, ea emendata postridie illius diei rediens, cum nihil ansæ posset opponere ad vestem conversus rugas damnavit: Apelles indignatus: in cerdonem Adagium hoc protulit: *non licet futuri ultra ansam iudicare*.

Habita tecum) hoc est, te non extra quæras: sed te ipsum colligas: & quid valeas intelligas: illi enim non secum habitant, qui non de se, sed de alijs iudicant.

Supellex) universa sic appellantur, quæ domi ad usum habemus

SATYRA QUINTA AD AN.
N A E V M C O R N V T V M.

VATIBVS *hic mos est, cētum sibi poscere voces, Centum ora, et linguas optare in carmina cētum Fabula seu mæsto ponatur. bianda Tragædo, Vulnera seu Parthi ducentis ad inguine ferrum.*

V A L E N T I N V S.

VATIBVS HIC MOS) Verba Persij, quasi dicat, si hoc ex more vatium, sibi etiam hoc posse concedi, ut hoc faciat: Virg.

Non mihi si lingua centum.

Ponatur) iuxta illud Horat. *Scriptor honoratum si forte reponis Achille.*

Bianda) Bellè, propter magniloquentiam Tragicam:

Ampullas & *sesquipedalia verba*, ut Horat.

Parthi ducentis) imitatione quadam Horatij dictum videtur, cum ait: *seu fracta pereuntes cuspide Gallos*. Ex uno autem actu speciali, in genere totum heroicum carmen intelligit.

V O L C V S.

VATIBVS) Deridet Persius varia mortalium studia: qui varijs curis impediti, se liberos esse existiment, cum nulla sit vera libertas, nisi quam pariat sapientia. Incipit à poetarum reprehensione: quoniam dum inania scribunt, centum voces & centum sibi linguas expetunt: nec eam vident scribendi rationem: quæ ex sapientia profiscitur: in quo Cornutum suum præceptorem commendat: quem secutus ait posthabitis poetarum magis, ad scribendas Satyras, id est carpenda hominum vitia traduxisse.

Inducit hæc Satyra Cornutū Præceptorem suum mirantem, quod cum Satyrā scribere institisset poeta, materiā non perinde arduam, tam tragico initio uteretur, ut cētū linguas sibi optaret.

Centum ora & centum) Primus suis carminibus & in principio operis Orpheus centum linguas & totidem ora optavit. quem postea imitatus est Homerus: Ennius id ad Latinos, traduxit: Virg. idem in Georg. posuit. Solent hoc poetæ facere aut in invocatione propter rei difficultatem: aut propter amplitudinem: solum concessum est scribentibus Tragedias, aut res gestas maximorum virorum: in Comædijs vitiosum est: aut in Elegia.

Hianda) hoc est gravi stylo scribenda: & sublimi carmine: nam Tragedia omne genus scripti superat gravitate: ut Ovidius in Tristib. scribit: & in hoc distat solum à Comædia, quæ in humili genere dicendi versatur:

Parthi) populi sunt ad Orientem: utuntur sagittis. & in fuga post terga sagittas in hostes mittunt.

ENGENTINVS.

VATIBVS) Ad Cornutū suum in Philosophia præceptorem, hæc scribit Satyrā. Est autem tota philosophica, ut quæ animi libertatem abundè doceat. In principio ad demerendam Cornuti benevolentiam carminis scribendi vires anxius petit, sic faciens ingressum: ut statim præceptorem respondentem introducat.

Hianda) altius pronuntianda.

Tragedo) qui repræsentat personam alicuius mœsti.

*quoque. Cui respōdet Persius se id nō ad nugas petere, sed ad animū suū erga præceptorē exprimendū: qui alioqui, tā est vehemēs, ut vix centum linguis possit exprimi: neque ulim merito, nā ubi, inquit, è pueritia excessivem me dedi tibi in disciplinā & vitam meam

Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas:

Ingeris, ut parsit centeno gutture niti?

Grande locuturi, nebulas Helicone legunto,

Si quibus aut Procnēs, aut si quibus olla Thyestæ.

Fervebit, sæpe insulso cenanda Glyconi.

Tu* neque anhelanti, coquitur dum massa camino,

Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus:

Nescio quid tecum graue cornicaris ineptè:

Nec sclopo tumidas intendis rumpere buccas.

Verba togæ sequeris, iunctura callidus acris.

Ore teris modico, pallenteis radere mores.

Doctus, & ingenio culpam defigere ludo.

Hinc trabe quæ dicas, mensamq; relinque Mycenis.

Cum capite, & pedibus, plebeiaq; prandianoris.

VALENTINVS.

QVORSVM) Verba Cornuti interrumpentis Persium, magistrati nempe autoritate, indicantisque id Satyrico suo stylo non convenire.

Aut quantas) Aptā metaphora in verbo, offas, qui quidem cibus & tumens, quales fortè, quæ per diminutionem nobis offelle invocatae in Insubria, & panes nobis dicti, crescente, qualem fingit Virg. Sybillam Cerbero porrexisse: cui cibo (gutturē) tumori & magnitudini (centeno) respondit, quam magnitudinem in offa per directionem (quantas) etiam auxit, & per verba robusti carminis eleganter metaphoram aperuit & aptavit, quod qui fecerit nunquam in ænigma incidet, in quod persapè solet ducere metaphora.

Grande locuturi) Suprà legunto, Horatij imitatione usus imperativis antiquis, ut apud ipsum Trebatium.

Nebulas) id est, alta poetiarum materiarum, sicut dixit ipse Horatius:

Aut dum vitat humum nubes & inania captet.

Aut Procnēs) Materix Tragicæ, & pares quòd ita his humana membra apponantur, ut:

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.

Fervebit) Aptè ad ollam & ad carminis & ingenij concitationem, ut Petrarca ha:

Et fra caldi ingegni ferve il suo nome: de quo suprà.

Sæpe insulso) Elegans Satyrica derisio Glyconis Tragedi pauperis, ita ut sæpe cœna destitueretur, qui Tragedias scriberet ineptè.

Tu neque anhelanti) Triplici Allegoria perbellè & consequenter tumorem dicendi Tragicum ob oculos ponit, quale (ut suprà diximus) in alio sensu dixit Horat. allegoricè:

— Tumidis infla sermonibus utrem.

Prima ergo Allegoria in ordine est quasi eius qui magnum carmen edicat se facturum, & quasi famam sibi compareret, sicut faber folle ventos premit:

Anhelanti) Aspirante, & solùm ferè hoc verbum coniungit anagracam præpositionem cum verbo Latino halo.

Nec clauso murmure) Nunc prosequitur cum opus incipit informari, non tamen adhuc incudi imponitur, & murmur illud (quod faciunt poetæ meditates verborum structuram) à confuso sono cornicationem vocat; ut nos, gracchiare, nec à sumpta fabrili allegoria discedit.

Verba togæ) Hic toga prætextæ opponitur, sicut & cū Martiali & alijs illius temporis sæpe ponitur, pro salutationis officio, quæ pæ-

textæ nimirum fieret, id est, magistratibus.

Iunctura) Duobus ex locis Horatij, ambobus in Arte, hæc desumpsit Persius: primus cum ait,

Dixeris egregie si notum callida verbum

Reddiderit iunctura novum, sumpsisse videtur. Alius est unde & verbum iuncturæ potius, quam ex primo & sensum desumpsit, cum ait:

Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis

Speret idem: tantum series iuncturæq; pollet:

Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Modico) Non sclopo rumpis buccas, no n bias ore.

Et ingenuo) Ingenuum ludum pro ioco vel dicto (quod urbanum appellat Horatius) videtur posuisse:

Scimus in urbano lepidum seponere dictum.

Videtur tamen tracta metaphora à ludo iaculandi vel sagittariorum, qui solum ingenuorum esset: culpam ergo defigere idem videtur, quod nos dicimus: *Toccar la brocca, imbroccare, investire nel segno*. Come disse il Boccaccio della cattivita de preti.

Hinc trabe) Horatius:

Respicere exemplar vitæ morumq; inbebo,

Doctum imitatorem & veras hinc dacere voces.

V O L S C P S.

GRANDE) Res grandes.

Nebulas) Fumum Mularum: & fontis Caballini.

Prognos) Quæ filium Ithym apposuit devorandum patri Tereo: quam fabulam alij gestam esse in Thracia referunt.

Olla Thyestæ) Ex Pelopetes filij nati sunt, Plisthenes, Atreus & Thyestes: Plisthenes iuvenis decelsit: Atreus obraptam à fratre uxorem illius filios trucidavit, & patri epulandos apposuit.

Fervebit) Hoc est, illis qui describent Tragœdiam, quemadmodum Progne decocta filij membra apposuit epulanda patri.

Tuneque) Commendat Cornutum à vera sapientia.

Camino) Hoc est, in ingenio anhelante, fervente: & metaphora est sumpta ab officina fabri ferrarij, in qua tam diu coquitur ferri massa, donec mollita in formam redigitur agitatione follium.

Cornicari) Fictum verbum est à cornice, quæ non ore, sed gutture vocem exprimit.

Scloppo) gravi & horrendo sono. Est enim scloppus crepitus ex inflata bucca: hoc est, non vis deformare pronunciationem ampullositate verborum.

Vcy.

IN V. PERS. SATYRAM. III

Verba Togæ) Hoc est, iniuria iucunda, qualia togati patres expriment.

Mycænis) Mycænæ urbs Peloponessi, regia Thyestæ & Atrei, ubi gesta est fabula: cum dicitur, solem facinus abhorrentem sese iterum in orientem convertisse: quod ideo fictum est, quoniam Atreus primum Solis eclypsim deprehendit.

E N G E N T I N V S.

QVORSVM) verba sunt Cornuti.

Thyestæ) Vide Ovid. lib. 6. Metam. *Cananda*) representanda:

Folle) Translatio à fabricantibus; qui ut ferrum emolliant, follibus utuntur: transfertur ad carmina scribentem.

Intendis) id est, non effers te propter tuos versus.

Verba togæ) ea quæ in pace fiunt, scribis.

Mycænis) ubi Atreus & Thyestes vixerunt.

Plebeia) id est, vitia vulgi & Romanorum describe.

*Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis:
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc hortante Camena,
Executienda damus præcordia, quantæque nostræ:
Pars tua sit Cornute anime, tibi dulcis amice
Ostendisse iuvat: pulsa dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, & pictæ te etiora lingua:
Heic ego centenas ausim deponere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumq; hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.*

V A L E N T I N V S.

NON EQUIDEM) Excusatio Persij.

Bullatis) Bullatæ sunt, quæ Horatio ampullæ vocantur quasi ampullæ, circum bullatæ. Bulla autem quid tumidum & inane, qualia illa poetarum scripta, qui nebulas legunt, & ideo inquit (*Turgescat pagina*) in quo tamen fortè respexit ad formam turgidam umbilicorum, qui libris addi solebant, in quorum locum hodie successerunt, quas fortè inde *borchie* vocat, quibus & tanquã phaleris multè or-

teneram ad
huc opti-
mis morib.
formasti, &
convictu
tuo, quo ita
suaviter te-
cui sũ usus,
ut providẽ-
tia quadam
divina vi-
deamur eos-
dem inge-
nio nati, cõ
tamen vul-
gõ tanta ei
veritas sit
studiorum,
ut vix mil-
lesimõ quis-
qu. cu n al-
tero conven-
niat in vita,
sed diversa
sequatur
studia.

nantur, sicut libri Borchie quasi Bolchie, à bullichie bulliculæ. Vnde bullicare Danti fortè: *Ma che le bolle che el bollor levava*, nisi fortè quæ si umbelliculæ ab umbilico dicantur.

Præcordia) Intima viscera & mentis recessus, & ipsa penetrabilia animæ.

Pulsa) Allegoria à Vasis, quæ ita explorantur, futilia ne sint. Pulsum autem dixit etiam ad Medicorum morem respiciens.

Et picta tæctoria) Sumpta metaphora ab incrustationibus etiam pictis, quæ parietibus inducuntur, quale bellè domino nostro dictum vel Paulo potius: *paries dealbate*, pro ficto.

Sinuoso in pectore) Respicit ad (*præcordia*) quod supra dixit. Tunc pectus semper sinuosum & abstrusum, tot tunicas, tot recessus vel ab ipsa habet naturam.

Vocet trabam) Quasi ex illis abditis. Sed ad aliud potius videtur respexisse, quod in sequentibus utrumque est expressum, ut ad iconem respiciat, quam nos *ritratto* & *ritrarre*, & Galli *pourtraicte* vocant, haud dubiè verbo trahèdi, quo hinc usus Persius. Vnum enim, id est, exemplum trahitur ab exemplari.

Pura) Non turgida, ut supra: vel pura, id est, expressa, quæ omnino referat purè sensum mentis.

Totumq;) Quod obscurius dixerat & strictius, nunc & declarat & diffundit.

Resignent) Aperiant, & ad id respexit, quod verba siena sunt animi. Horatio dicta indicia: *Inditq; monstrare recentibus abdita rerum*, quod ad aliam partem, ad Iconem scilicet pertinet.

Fibræ) pro intimis posuit, ut supra: *Cornuæ fibra*.

VOLSCVS.

TURGESCAT) Hoc est, sit ampullosa & turgida, ut genus scripti sit & grave & magnum.

Pullatis) Pullatorum regum: qui nigro syrimate, hoc est, funebri veste in Tragedias inducuntur.

O Cornute) Amplificatione ostendit, quantum Cornuto debeat.

Pulsa) inquit, hoc est, percute & examina scripta mea: & est translatio ab his qui pulsantes vasa, sinceritatem deprehendunt.

ENGENTINVS.

NON EQVIDEM) verba Persij, *Fumo* digna quæ comburatur.

Camæna) Muta, dicta quasi cantet amœnè.

Excutienda) examinanda.

Pulsa

Pulsa) explora. Translatio ab eo qui probat vas fictile.
Trabam) Translatio à nentibus.

*Cum primum pavidò custos mihi purpura cecit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit.
Cum blandi comites, totaque impunè Suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo:
Cumque iter ambiguum est, & vitæ nescius error
*Deducit trepidas ramosa in compita mentis,
Me tibi *supposui teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. * tunc fallere sollers
Apposita in tortos ostendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.*

*Deducit
*seposui.
*cum

VALENTINVS.

CVM PRIMVM) Commemorat beneficia ab ipso recepta, ut persuadeat amorem. Facile enim persuadeas esse, quod scilicet esse debet.

Purpura) prætexta puerilis vestis.

Custos) Pudicitie & morum. Aiunt enim tales habitus datos pueritiae, ut cum se ita ornatos conspicerent, puderet eos inanium illi ætati consuetorum. Præterea donec purpuram ferebant, adhibebantur illis prædagogi & custodes. Vnde Horat.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto.

Cecit) Abijt, locum dans Togæ virili.

Bulla) Aliud ornamentum, & repetè, custos. Nam ideo cordis figura formatæ, ut admoneret cordis, cuius rei vestigia adhuc remanent in illis æmuletis, quæ puerorum collo suspenduntur contra fascinationes, cordis figura ut plurimum licet ab insculpta forma in cera: qua à Romano Pontifice consecrata, ibi includitur, Agnus Dei dicantur.

Succinctis Laribus) Quare ita vocet, nil habeo quod dicam: an quod militari forma essent, quæ vitæ fuit maiorum: sicut & aliæ statuæ: an quod ea parte qua succingimur revincti à lecto penderent in arario: Quid autem Lares essent, satis notum. Sed de origine non

ita an forte quasi hilares, cum apud ignem colerentur, ut Virg.

— *bilarans convivia Baccho* — *Ante focum* —

Cum blandi comites) Loco scilicet custodis & severi pedagogi: & supple. adierant.

Impune) non ut prius pavendo obiurgationem & ferulam.

Suburra) Lupanari nobiliori Romæ.

Sparfisse oculos) Avidum norat. inruitum & impudicum & immodestum & damnosum: ut illud Virgil. *disperdens carmen*. Petrarch. *In rime sparfe*.

Iam candidus) id est, ætas licentiosior designata per togam virilem, quam à toga candida auspicabantur, vel nomine magistratuum capessendorum, vel servandæ puritatis puerilis, quæ suprà per purpuram prætextæ demonstrata est. Et hæc clara. At quid sibi velit hinc umbo, non adeo: & potest morem togæ ferendæ demonstrare, quæ ne impedimento esset, suspendebatur ad pectus collecta in sinum, eo ferè loco quo umbilicus, qui est ab umbone diminutivum, & quo loco scutum ferri solet, in quo umbo, ut paulo post: & sinus ipse ab umbone non dissimili forma.

Cumq; iter ambiguum) Nam quid est ambigere, nisi ampli circumagere: pulchrè quod expressit Salomon per illa quatuor adeo incerta: Itinera avis in aere: navis in mari: serpentis in petra: & super omnia viri in adolescentia.

Et vita nescius) Et ideo error: quia nescius vitæ, ut nos dicimus, *non sa viver, non sa che sia il mondo, ne ben ne male*: & appositisimè erroris verbo usus. Nam est quidem omne peccatum, sed maximè in itinere, in cuius hinc insistit metaphoræ.

Deducit) Dupliciter potest intelligi, vel error est qui deducit incompita ramosa, id est, loca aperta, plateas: quæ deinde se in multas vias scindant, tanquam truncus in ramos, ut sic in illa metaphora itineris persistat, cum à recta nunquam debuisset deflectere, de qua dixit Dantes in principio suæ Comœdiæ.

Trepidans) Intellige pro incertis, & ex ea incertitudine (sicut in motu trepidationis) nunc hanc, nunc illam viam amplectentes: vel aliter ad literam Pythagoræ. respexisse videtur, de qua suprà in tertia dictum.

Me tibi suppositui) Cacemphaton in verbis, quod etiam remotius solet reprehendi.

Sinu) Bella metaphora quod teneros dixerat, materno quodam affectu, qui vehementior.

Tunc fallere solers) Pro facilis ad fallendum: quod ad Cornuti laudem pertinet, quod bene rexit regulam, qua multi in dinoscendo.

do inter vitium & virtutem; falli solent. Valde enim angustum est illud medium, quo loco virtus moratur, & exiguum inter vitium & virtutem ambiguumque discrimen: de quo quodam loco bellè Valerius. *Id enim est quod sola prudentia percipitur, sine qua ipsæ virtutes non sunt virtutes: & ideo quidam illam non virtutem, sed virtutum moderatricem potius voluere.*

Apposita) Docendi facilitatem indicat, qui regulas quasdam generales non traderet, sed illas, ut dicimus, applicaret specialibus: in hoc enim omnium vis scientiarum.

Et premitur) Alludit ad metaphoram, qua usus est Plato: quod animus sit tanquam equus, & ratio vice sessoris fungitur, qui illum premit & fatigat, donec vincat.

V O L S C P S.

CUM PRIMVM) Incipit narrare Cornuti in se beneficia, sed primum errorè suum ponit, ut illius diligentiam augeat, & in dustriam in instituendis iuvenibus.

Suppositui) Tradidi me tuæ doctrinæ.

Cum primùm) Hoc est, post quartum decimum annum.

Purpura) Prætexta purpurea.

Custos) quæ pueritiam custodit: nam pueri tamdiu prætextam ferebant, donec erant sub aliena tutela.

Pavido) pudibundo: nam ideo prætexta purpurea concessa est pueris, ut purpuræ rubore ingenuitas tegetetur. Prætexta vestis est purpurea magistratibus concessa. Bulla verò aureum ornamentum, aquæ ampullis simile, datum triumphantibus: & in bulla remedia includebant contra invidiam & fascinationem, quæ ornamenta pueris dari Tarquinius Priscus instituit, qui essent filij eorum, qui curulem magistratum gessissent. M. Lælius Augur tradit secundo bello Punico etiam libertinis concessum pueris, dum modò lorum in collo præ bullæ decore gererent. Verrius Flaccus primùm hæc ornamenta concessa esse tradit puero, qui sacra in Circusibus revelarat. Alij verò primùm concessa Osco Hostilio nato ex Osco Latino & filia Heriliæ, quæ prima ex omnibus Sabina peperit, ideoque bullas aiunt pueris concessas, ut cordis figuras ante pectus gererent, & tunc se homines existimarent cum corde præstarent: licet aliam causam Plutarchus in problematibus afferat.

Laribus) Dijs domesticis.

Succinctis) velatis. Bullæ suspendebantur Laribus, ubi illas pueri deponebant. Erant Lares succincti, hoc est, velo ornati.

Umbo) Est scuti pars media, globosa & eminentior. Hic est Tyrocinium. Tyrones albo scuto utebantur. Hinc Virg. *Scutoq; inglorius albo.* fecus veterani habebant scuta picta: quoniam quicquid gessissent, illis depingebatur. Tyrones, verò qui nihil gesserant, candidum ferebant. scutum, ut veteranorum æmulatione ad virtutem excitarentur.

Tota Suburra) Hoc est omnia libera Suburræ iustria, ubi degerent: scorta.

Ramosa) Bifidas vias, ad iter sinistrum & dextrum: & alludit ad id quod dixerat de Pythagoræ litera.

Socratico) Socratica integritate, more Socratis, qui ut Plutarchus tradit, sanctissimè iuventutem Atheniensem erudit: licet Tyrannus Anytus aliter sentiret.

In tortos) Hoc est, vitiosos: & est metaphora ab his que linea rectam regulam ducunt: hoc est, disciplina tua me reduxit in viam.

Sub pollice tuo) te instruente & formante. Et est translatio ab his qui pollice tractantes ceram, effigiem ducunt.

E N G E N T I N F S.

PVRPVRA) Prætexta: quæ est vestis puerilis.

Bulla) Insigne puerile quod pendebat à pectore.

Laribus) Ita enim simulacra Larium succingebant caninis pellibus, ut vel promptiores essent, vel ut canes domesticos defenderent.

Umbo) Sicut olim novi milites scuta habebant non picta, sed pura: ita insinuat Persius, se tunc fuisse virilis ætatis militem, & proinde liberio rem, quando in Cornuti disciplinam concessit.

Vinci) salubrioribus præceptis. *Pollice*) Translatio.

Tecum etenim longos memini consumere Soles,

Et tecum primas epulis decerpere noctes.

Vnum opus, & requiem pariter disponimus ambo,

Atque verecunda laxamus seria mensa.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo

Consentire dies, & ab uno sidere duci:

Nostra vel equali suspendit tempora libra

Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora

Dividit in geminos concordia fata duorum,

Sa

Saturnumque gravem nostro Iove frangimus unâ.
Nescio quid certè est, quod me tibi temperat astrum.

VALENTINVS.

TECVM) Versus Virgilianus, quod licet Satyricis facere, maxime si aliquando non nihil deflectantur: id enim iucundum, ut aliquo loco Horat. de versibus Ennij: *Audire est operæ præcium.*

Primas) Nam omne aliud tempus luxuriet, si vel citius incipias vel longius protrahas.

Epulis) Nimis sumptuosum videtur pro cibo.

Decerpere) Sicut de re fructuosa, non tantum propter cibum; sed & propter alias convivij utilitates.

Vnum opus) Nobis scilicet erat vel studiorum vel exercitationis.

Et requiem) Animi relaxationes, quod dicit, nunquam à latere tuo discedebam.

Pariter) Non tantum simul, sed æqualiter, quod mirum amorem indicat & coniunctionem.

Atque verecunda) Id est, quæ vulgi amorem vereatur; frugali scilicet, nec luxuriosa, nec avara.

Laxamus) Seria enim mentem intendunt.

Non equidem hoc dubites) Nunc hunc amorem ferè mutuum (ut inquit Horat.) perpetuum concludit ex eo, quod vi fati obortum sit ex horoscopi similitudine.

Dies) id est, tempora vivendi.

Nostra vel equali) Ad æqualitatem demonstrandam eligit sidera æqualia vel eadem & benigna & iusta: Libram nimirum, Geminos, & cum Saturno Iovem: quæ omnia (& maxime ultimum) ab Horatio sunt sumpta, cum se eiusdem horoscopi cum Mæcenate asseverat.

Suspendit) Tempora vitæ scilicet, quæ ferè in suspensio esse videntur: sicut dixit ille, *si è debile il filo, à cui s'attacca la gravosa mia vita.*

Parca) Pro fato positum videtur.

Tenax veri) Virgiliانا verba de fama: sed hic alio sumpta sensu. Nam verum pro iusto positum, quo modo non semel Horatius.

Seu nata fidelibus hora) Mirè attemperata verba. Intelligit autem de Geminis: & horam horoscopum vocat, & natam, id est, aptam naturæ & producendis fidelibus, quasi qui sub illo horoscopo nascantur, sint futuri fideles & æquales. Sic Horat. verbo *nati* sæpe usus est: — *natum rebus agendis.*

In Geminis) in nos amore & moribus geminos ex signo illo Geminorum.

Saturnum (grauem) inimicum senem.

Frangimus) una eodem fato debilitamus.

Iove) iuvante & utili fidere.

Tibi me temperat) modestia discipuli erga præceptorem.

V O L S C V S.

MULTOS SOLES) multos dies.

Decerpere) carpere tecum primas noctes epulis: hoc est cœnare tecum in prima noctis parte.

Non equidem) à fato arguit in idem studium convenire.

Ab uno sidere) ab uno astro: & loquitur ex Chryssippi sententia, qui tradit in libris de Fatis, mortales regi sydere & fato.

Parca) dea fatalis Clotho. *Tenax veri*) .i. severa & immutabilis.

In geminos) Hoc est in rationem Geminorum qui sunt castor & Pol lux, qui vixerunt maxima concordia, ita ut in cœlum translati sint: sub his qui nascuntur, magna concordia vivunt: hoc est natalis no-ster fuit sub Geminis, ita ut vivamus magna cōcordia: licet simus separati in duos.

Grauem Saturnum) Saturni sidus est tardissimum & nocuum: Iovis verò stella humano generi conducibilis, ut Cæforinus meminit, nocet Saturnus nimia frigiditate & segnitie: utilis est Iupiter sua temperie. Est enim inter Martem & Saturnum, ab altero ardorem, ab altero frigiditatem accipiens temperiem efficit, ut meminit Plin.

E N G E N T I N V S.

SOLES) Dies vel annos.

Verecunda) sensus est: rebus serijs ac gravioribus studijs intermissis, nonnunquam inter convivendum iocis atque salibus (qui tamen modestiam atque verecundiam sapiant) utimur.

Sydere) loquitur pro gentiliū opinione, qui ex astrorum cœliq; motu ac influenza cuncta illa terrena, adeoq; humana negotia consistere ac regi putabant.

Nostra vel) translatio sumpta à rebus in libra pendentibus, quæ si eiusdem sint ponderis, æqualis manet libra, lance in neutram partem inclinante. Significat autem ambos fato quodam idem nactos esse nativitatis sydus: unde tanta inter eos morum similitudo extiterit.

Fidelibus) quæ facit ut in ea nati, perpetuò sint fideles.

Geminos) ad Castorem & Pollucem alludit, quorum concordiam omnes celebrant authores: quo etiam meruisse dicuntur, ut à Iove inter sydera sint relati. Proinde qui sub eorum sydere nascuntur, benigni ac mansueti ab Astrologis dicuntur. Potest etiam generaliter de Geminis intelligi.

Saturnum) sensus est: omnem animi malitiam vitiaque (quæ ob Saturni

turni sydus afferri possunt) Iovis stella (quæ benigna & mitis censetur) repellimus.

Temperet) similem reddat.

MILLE hominum species, & rerum discolor usus.

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti.

Rugosum piper, & pallentis grana cumini:

Hic satur irriguo mauult turgescere somno:

Hic campo indulget. hunc alea de coquit: ille

In Venerem est putris. sed cum lapidosa chiragra

Eregerit articulos, veteris ramalia fagi:

Tum crassos transisse dies, lucemq; palustrem,

Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam,

At te nocturnis iuvat impallescere chartis:

Cultor enim iuvenum purgatas inseris aureis:

Eruge Cleanthea. petite hinc iuvenesq; senesq;

Finem animo certum, miserisq; viatica canis.

V A L E N T I N V S.

VELLE SVVM) Hæc iam in proverbium abiire: horum autem variorum comparisonem monstrat excellentiam ipsius exercitij Cornuti.

Discolor) diversus: diversi coloris, sic discolor Indus sortè.

Mercibus) varia studia recenset, mercaturam, ocium, campestria exercitia, aleam, venerem, ut sæpè apud Horatium, maxime in r. Oda & i. Sermonè.

Sub sole recenti) in oriente: quo nobis sol recens videtur. & loquitur secundum vulgi opiniones poetarum more, qui vel quotidie novum solem autumant oriri, vel ex ea potius parte qui nobis sit. oriens cum verè ipse semper idem circumagatur, nec aliquo loco recens dici possit, nisi secundum loca hominum opinionem.

Hic satur) non solum cibo, sed & vino. *Turgescere*) pinguescieri. Somnus enim & potus calidam humiditatem pinguescunt maxime.

Somno irriguo) quod corpus vino irrigando provocatur, ut Horat.

Somno quibus alto irriguumq; mero sub noctem corpus habento.
Campo indulget) Ex studio scilicet, & in id propensione plus nimia: nã omnes ferè à campo non abstinabant: & intelligo vel exercitia, vel de comitijs & Magistratibus, qui in campo fiebant. Vnde sepè campus capitur pro magistratuum suffragijs: in quod in clino, ut confor mis fit Horat. in oda: *Hunc si nobilium turba Quiratum.*

Alea) Poeticè: decoctorem facit, suorum bonorum consumptorè.

In venerem putris) verbum Horatianum, omnes in Damalin putres.

Sed cum lapidosa) iniusta chiragra contudit articulos, dixit Horat. & intellige illam duritie sua frangere articulos, ideò lapidosam duram interpretor, licet etiam viderim quandam chiragram, quam gypseam appellabant, quòd scilicet erumpebant è fractis articulis frustula materiæ cuiusdam, densitate glutinosa & colore gypsum referentia.

Veteris ramalia fagi) appositivè lego, ad articulos adeò arefactos, ut ferè possent censerì ramalis veteris fagi arboris, natura satis friabilis, nec admodum condensæ tenacitatis.

Tum crassos dies) Eo modo dictum quo *candidos soles*, pro felici vita dixit Catullus.

At te) studio longè diverso, qui ut alijs prosis, etiam vix tuam cures valetudinem.

Nocturnis chartis) Eo modo dictum quo Horat. *Nocturne versate manu.* Virg. de lupo: *nocturnus obambulat.*

Cleanthea) pro philosophica posuit: sed non sine ratione, ut eius exemplo iuvenes admoneat, qui gratia virtutis parandæ tot labores etiam victum parandum puteis exhauriendis exantlarit: ut meminit Valerius.

Finem animo certum) hoc enim imprimis docet philosophia.

Miserisq; viatica canis) id est, senectuti (pro qua passim cani sumuntur) miseræ futuræ sine viatico. licet & illius sit perpetuum epitheton. Viaticum autem non solum à via (quæ tota nostra est vita, unde aliquibus viatores vocantur, & in sacris literis peregrini: Petrarca, *in quel brieve viaggio che ne puo far*) sed ex græco *σιντακτ*, quod ad victum vel vitam sustinendam pertinet.

VOLSCVS.

MILLE) A diversitate aliorum, concordiam suam in eodem studio demonstrat.

Velle suum cuique) hoc est, quisque sua voluptate trahitur.

Mercibus) incipit narrare varia hominum studia.

Mutat) antea sum æris per rerum commutationem vivebatur, ut Plinius tradit.

Turgescere)

Turgescere) Glicere & inflari: nam somnus post crapulam inflationem facit.

Irriguo) serpente: nam dicitur somnus artus irrigare apud Virg. *sapor irrigat artus:* quoniam paulatim per membra serpit.

Campo) Agriculturæ indulget: licet alij ad ambitionem referant, & Martium campum intelligant, ubi creabantur Magistratus.

Decoquit) decoctorem facit. Est enim decoctor qui dilapidatis bonis, creditoribus fidem servare non potest. Adrianus decoctores sui iuris in theatro catamidiari instituit, ut Spartianus tradit.

Putris) Solutus.

Lapidos) nodosa, quoniam nodos facit in articulis.

Fregerit) contuderit & dissolverit fluente humore.

Cleanthea) Cleanthis philosophi: qui finem in virtute ponebat ex Stoicorum sententia,

Hinc) ex Cornuto, qui Stoicus est.

ENGENTINVS.

DISCOLOR) varius.

Mercibus) Ad veterum consuetudinem alludit, qui nondum invento pecuniæ usu, emptionem ac venditionem rerum permutatione contrahabant. *Recenti)* Oriente.

Piper) Siliquæ piperis priusquam dehiscant, decerpæ tostæque sole, faciunt quod vocatur piper longum: paulatim verò dehiscentes per maturitatem, ostendunt candidum piper, quod deinde tostæ solibus, colore rugisque mutatur. Plin. lib. 12. cap. 7.

Pallentis) ab effectu comedentes enim pallidos facit.

Cumini) Cuminum tritum & cum pane sumptum, vel potum ex aqua vinoque, tormina & intestinorum dolores discutit: verumtamen omnem pallorem bibentibus gignit.

Campo) cum otiosorum hic ferè mores carpat, hoc heimistichio eū intelligendum censeo, qui præ nimia desidia urbanarum rerum pertæsus, voluptatis percipiendæ gratia, campum agrosque petit. Sunt qui campum Martiū intelligat, quæ Magistratus petitori frequetabāt.

Fagi) senilis corporis veluti ramalia existentes articulos.

Crassos) ignavos. *Cleanthea)* Cleanthes Phanij filius, Zenonis discipulus fuit, cuius quoque scholæ successit. Is adeò philosophiæ studiosus fuit, ut ob inopiam noctu quidem in hortis aquâ pro mercede hauriret, interdium verò liberalibus studijs operam daret. Valer. Max. lib. 8. cap. 7. *Finem)* modum vivendi.

Viatica) Per viatica virtutis ac philosophiæ præcepta intelligit, iuxta Biantis Prienei symbolum, quo dicebat: senectuti parandum viaticum: virtutem intelligens, quæ ut omni ætati, maximè tamen senectuti accommoda censetur.

Exhortatio ad iuventutē, ut ex philosophia sibi virtutē, viciū ad beatam vitam cōparet.

Cras hoc fiet. idem cras fiet. quid quasi magnum, Nempe diem, donas? sed cum lux altera venit, Iam cras besternum consumpsimus. ecce aliud cras Egerit hos annos, & semper paululum erit ultra. Nam, quamvis propete, quamvis temone sub uno, Vertentem sese frustra sectabere canthum, Cum rota posterior curras, & in axe secundo.

VALENTINVS.

CRAS HOC) Magis placet ipsam sibi met dialogum confingere ex verisimili communiter accidētium, quam verē dialogisimum intelligere: siquidem supra dixit, *secreti loquimur*. Solet enim à dilatoribus ita responderi, *cras se facturos*. Vnde procraftinandi verbum natum.

Idem cras) subobscurus est hīc sensus, sed sunt intelligenda tanquā verba Persij, sicut paulō post subiecta tanquam ex persona adversarij: & est lus quo vidi quosdam opifices aut institores uti in nostris regionibus: ita enim officinæ aut tabernæ inscribunt, *Hoggi non si da à credenz, doman. si.* id est, non hodie quidem possumus, cras fidem emptoris sequemur: quocunque autem die veneris, scriptura de presenti negat, de futuro spem facit, nunquam veniente: quod ipse similitudine currus infra bellē ponit ob oculos, sed prius sibi suppositum adversarium fingit respondentem, tanquam non intellexerit quid sibi voluerit.

Quid quasi magnum) tanquam magnam quandam rem donans, gravis mihi diem concedere rebus meis componendis, antequam me philosophiæ dedam. Potest etiam illud magnum de anno illo Platónico intelligi, quasi dicat: ita gravis mihi dieculam donare, quasi magnum annum donans, vel saltem magnum diem, ea ratione, quā obtinet hic dies in anno nostro.

Sed cum lux) Persius apertē declarat quod subobscurē innuerat, ut proverbio dicimus, *questo doman non vien mai*, quia quilibet dies in ulteriorem rem ampliat: vel quasi dicat, semper potes hac ratione niti, parum esse dieculam donare, qua ratione impudici illi usque ad senectutem usi. & qui singulis diebus vitulum tollebat in humeros: & quo argumento caudæ equinæ pilatim convellendæ utitur. Horat. in Epistola ad Augustum.

Cras besternum) iucundē ab impossibili: nam cras cum transijt, iam incipit esse heri. *Egerit hoc annos*) hoc pacto dietim, & (ut ita dicam) craftina-

craftinatio consumuntur anni. videtur autem sumpta metaphora à sentina, ex qua non tota semel aqua egeritur, sed (ut ita dicam) capedinatio aut sessulatio. Sessile enim non malè appellat nobis vas illud parvum, planum, quo aqua egeritur, ut huic nostro sessilibus obba, & sessiles lactucæ & similia.

Paululum erit ultra) i. semper ulterius paulisper procedendum erit, ut ad tēpus apprehēdas, quale illud Horatij, *curta sepe aliquid rei deest*.

Nam quamvis) appositissima similitudine magis dilucidat rē, quāvis diecula quid minimum videatur, impedit tamē ne rem assequere, ut nostro proverbio, *bella botta*, & sicut in tantali fabula, ita in hac similitudine rotæ posterioris: quæ quamvis minimo distet interstitio à priore tamen illam nunquam æquare aut assequi potest.

Canthum) ferrum rotæ quo fit orbita: pro rota positum.

Rota posterior) perinde ac si te posteriorem fingas rotam esse, ac etiam curras, ut iuxta Apost. *non sit currentis*.

In axe secundo) cum enim quatuor sint rotæ, duobus uti axib. necessesse est. Nam axis lignum longum quod transmissum per polos rotas continet. Nostris rusticis corruptè *la sala* vocant, quasi ab axe, axale lignum scilicet dicant.

VOLCV

CRAS HOC) Mordet eos qui differendo tempora conterunt.

Canthum) canthus est ferrum (ut Fabius scribit) quod ambit rotā: usurpatur pro rota: similitudo autem est currentis quadrigæ, cuius posteriores rotæ primas cōsequi non possunt, licet propinquæ sint: & uno temone trahantur: ita his dicit accidere, qui cum inceperunt, differendo nunquam eam consequuntur horam, licet sit contingua qua virtuti operam dare incipiant.

ENGENTINVS.

MAGNUM) sensus est, perinde facis ac si magnum quid sit, unum alicui remittere diem. *Ultra*) quantumvis negotium differatur aggrediendum, restabit tamen semper aliqua temporis portio, in quā hoc rejiciatur.

Canthum) canthus est ferrum quo rotæ extremitates muniuntur. Author Quintil.

*Libertate opus est, non hac, qua, ut quisque Velina Publius emeruit, *scabrosum tesserula far Possidet, heu, sterile veri, quibus una Quiritem Vertigo facit. hic Dama, est non tresis agaso, Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax. Verterit hunc dominus, momento *turbinis exit*

*scabiosum Libertate quidem opus est ad virtutē, verum ea que animū à vitijs & affectibus pravis liberat, non ea qua donatū ali quis Romanus civis efficitur. *temporis

Marcus Dama papè, Marco spondente, recusas

^{tu} Crede tu nummos, Marco* sub iudice palles!

Marcus dixit: ita est: assigna Marce tabellas.

^{hoc} Hæc mera libertas, *hanc nobis pilea donant.

V A L E N T I N V S.

LIBERTATE) ut possis scilicet tibi imperare, & cras illud projicere: huiusque verbuli arrepta ansula, multa dicit de vera libertate, quod proprium est Satyræ vagari, & lancem varijs cibis referre.

Ut quisque Publius) id est iam factus Publius: & sic assumit unum speciale prænomen pro omnibus: nam, soli liberi prænominibus utebantur.

Emeruit) libertatem, scilicet beneficijs erga dominum, ut Publius prænominaretur.

Velina) tribu scilicet, in qua descriptus erat dominus, & hoc etiam Horatij fecit imitatione, in Fabia hic multum valet, ille Velina.

Possidet) id est tanquam civis habet ius consequendi partem congiarij in largitionibus, quæ ad populum varijs de causis, & varijs de rebus fiebant, ut passim in historijs legitur.

Tesserula) fuit signum quoddam quod solum civibus dabatur, quod ostendentes accipiebant partem, quales qui Bononiæ Saturnalibus in Nâtalem domini mutatis, vel Calêndis Ianuarij pro strena consequenda distribuuntur, vocati Ferlii, quasi ferrulini, quod ex ferrea materia olim fierent, sicut hæc quod ex lignea tessera, unde & tessellæ: ex quo nobis tasselli lignea laqueria, & tarsia tessellatum opus.

Far) pro omni fruge, nam & inde farina, licet sit tritico emollita, dabant autem & sæpè oleum & vinum: unde congiarij nomen: congius enim liquidorum mensura: unde adhuc nobis Bicongio.

Scabiosum) ad farris respexit scabram asperitatem, sed nec contemptu caret, ut nos rognoso dicimus, rem contemnentis.

Heu steriles veri) quasi dicat averi, sine vero.

Quiritem) sunt Quirites cives Romani propriè à Quirino, sed quia omnes cives liberi, hic pro libero ponitur.

His Dama) per exemplum oculis subiectum, ostendit manifestionem meliorem facere non posse, quod vulgus opinatur: ergo nec liberiorem verò, cum solus sapiens Stoicis sit liber.

Dama) nomè servile etiam Horatio, vis ne tegam spurco Damae latus? Vbi etiam ipse loquitur, de Libertino, qui in servitute scilicet Dama vocaretur. Dama autem à *δῆμος* venit, quasi popularis & plebeius.

Non

Non tresis agaso) In servitute scilicet officio asinarijungebatur. Agasones enim ab agendis asinis quasi agasiones dicti. Non tresis, scilicet qui tribus asibus non valeat, ut nos: non vale un ferlino, un quatrino, un denaio, un bagattino. Sic quincussis & octussis, & similia ubique leguntur.

Et lippus) Coniungit vitia corporis vitijs animi, ut illum minoris & denique nihili ostendat.

Mendax) Aliud animi vitium exaggeratum, quod per se turpe est & in tenui farragine, pro farina in parvo illo scilicet demenso, quod pro victu servis assignabatur: præter quod nihil aliud illis erat, ut penes Terentium: Ex demenso genium meum defraudans compar, &c.

Turbinus) Mira metaphorica elegantia. Sunt enim turbines generæ ventorum circumagentia & in altum ripientia, qualis hæc vertigo subita in altum ad libertatem servum extollit: Momentum ergo turbinis quasi ictum oculi, subitum scilicet tempus exprimit,

Exit) à Prætorè scilicet, & quasi ex illo turbine.

Dama) id est, novo prænomine, sed ita ut non exuat Damae antiquos mores.

Papè) Ex Græco, admirantis, quasi novum hominem poetæ, vel Ironicòs de eo quasi re maxima fugente sermonem.

Marco) Spondente iam non amplius Dama, promittente pro se vel pro alio.

Crede) ipsi vel alij illius fidem sequi.

Marco sub iudice) Iam illum in equestrem ordinem assumptum indicat, ad quem iudicia spectarent. Nam statum trepidum rei per verbum, palles, expressit.

Marcus dixit) Respicit ad illud Pythagoreum, *αὐτὸς ἴστω*.

V O L S C V S.

LIBERTATE) Ostendit veram libertatem esse, ubi nullâ sint vitia, & quæ solum ex ipsa virtute nascatur, & est quodammodo propositio.

Publius) Caius, Publius, Marcus, Sextus, Quintus, Aulus prænomena sunt: hoc est, quæ nominibus apponuntur, & notantur aut simplicibus literis, ut M. aut geminis, ut GN: aut tribus, ut Sex. Servi enim cum liberabatur, solebant familiæ prænomena accipere.

Velina) Trib. Velina tribus erat Romæ; ut meminit Livius; & ut puto, à Velia nomen accepit, quæ est urbs Italiæ in Rhëginis. Nam solebant tribus ab urbibus nomen accipere, ut Tarentina: de qua meminit Livius: Nô illa, inquit, est libertas, qua donatus est aliquis Publius in tribu aut Velina, aut Tarentina, aut Stellatina, aut alia.

Scabiosum) inducit aduersarium contendentem secum de falsa libertate: scabiosum autem, id est, rugosum Epitheton est farris: hoc est, donatur publico farre, hoc est, accipit farris modiam à Republica.

Heu sterilis veri) Persius respondet, & eos ignaros dicit, qui eos liberos putant, qui manumittuntur.

Quiritem) Romanum & sua licentia usus est: nam nec patrem conscriptum, nec Quiritem dicimus: sed Quirites & patres conscriptos: sed illud poetæ usurparunt.

Vertigo) Domini (ut Appianus tradit) seruos ad Prætores ducebant eosque apprehendebant & capite conuertebant, dicebantque, volo hunc liberum esse: Prætor illos vindicta, hoc est virga percutiebat, dicens, esto liber: & Dominus tunc è manibus illum emittebat: unde manumissio dicitur, & manumittere. Deinde ibant in Feroniæ templum, quæ à ferendo dicitur, ut Dionysius tradit: estque dea libertatis: illic radebantur, accipiebantque pileum, ut apud Plautum.

Hic est Dama) Dama seruale nomen est apud Satyricos, & ideo ait Horatius:

Tu ne Syri Dame aut Dionysi filius audes

Deicere saxo ciues.

Agaso) est asellorum & equorum agitator.

Tressis) dicitur à tribus asibus.

Vappa) vappa dicitur vile vinum, & quod à sapore degeneravit. Inde viros humiles & abiectos & animi degeneris, vappas appellamus ut Plin. tradit.

Lippus) cæcus & animo & corpore.

Mendax) falsus & fraudulentus.

In tenui farragine) hoc est, in vilissima quaque re.

Verterit) vertendo liberum fecerit, ut sic status commutationem & conversionem indicet.

Momento) momentum est exiguum temporis spaciū: & ut ita loquar minus puncto.

Turbinis) conversionis in liberando,

Spondente) dum facit sponsonem & se vadem promittit.

Tu palles) quia damnatus: pallebant enim quibus dicebatur dies: ac etiam damnati, & quod tristes & luctuosi erant: ideo apud Plautum in Asinaria, tristis es quasi dies esset dictus.

Tabellas) Iudiciarias. Prætores & Iudices tabellas signabant, & præsertim testamenta.

Et pilea) quibus donabantur serui in templo Feroniæ cum liberabantur

E N G E N-

E N G E N T I N V S.

LIBERTATE) Sensus est: Ut quis Philosophiæ ac bene vivendi præcepta hauriat, libertate opus est, non ea sanè: quam serui manumissi consequuntur, atque ita cives Romani facti, ac in tribus distributi, frumentum publicè datum accipiant: verum ea qua animus ab omnibus affectibus ac cupiditatibus est liber.

Velina) Velia collis est Urbis auctore Varrone libro 4. Livio libro 2. Sic dictus, quod ibi pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sint soliti, ex quo vellera dicuntur. Hinc Velina tribus. Præterea serui manumissi in tribus distribuebantur.

Publius) Hoc prænomine liberum & civem Roman. factum esse significat. Servi enim aliàs nullo dignabantur prænomine, sed simplici tantum nomine appellabantur ob servilis conditionis utilitatem. De more manumittendi seruos vide Politianum cap. 98. Miscellan. Feronia libertorum Dea, in cuius templo serui manumittendi, raso capite accipiebant pileum signum libertatis. Valer. lib. 5. cap. 2. Livius decad. 1. lib. 2.

Tesserula) signo frumentario. P. Clodij legem annonariam tangit, quam L. Pisonem & Gabinio Coss. Trib. pleb. tulit, ut frumentum populo, quod ante senis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Prædianus in orat. Ciceronis pro Pisonem. Porro scabiosum frumentum vocat ob siliquas seu folliculos, quibus grana frumentaria instar scabiei conteguntur.

Tressis) Nonne Dama servus, qui manumittendus est, abiectissimo quovis agasone vilior est? Alludit autem ad Damam, quem ut turpem Horatius introducit, Sermonum lib. 1. Sat. 2. & lib. 2. Sat. 7.

Vappa) Plin. lib. 14. cap. 20. *Farragine*) Plin. lib. 18. cap. 16.

Marcus) Assumpto nomine Domini.

*An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere non sum
Liberior Bruto? mendosè colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hæc reliqua accipo: licet, ut volo, vivere, tolle.
Vindicta postquam meus à Prætoce recesti,
Cur mihi non liceat, insit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica* vetavit?*

Syllogismo colligit servum esse, qui cupiditatibus suis serviat, etià si sibi liber, videatur.

* notavit?

Disce: sed ira cadat naso, rugosaque sanna.
Cum veteres a vias tibi de pulmone reuello.

VALENTINVS.

AN QVIS QVAM) Verba ex persona adversarij, & concordat cum definitione libertatis, quæ in legibus reperitur.

Bruto) Primùm illum intellige expulso rem regum.

Mendose colligis) Falsò argumentaris. quid enim syllogismus Græcis, nisi collectio Latinis? sed ratio in ea voce auditur.

Stoicus) Respondet ex Stoicorum autoritate, quos ferè respondentes inducit.

Aurem) Nihil est aliud quàm purgatæ auris & per consequens iudicij.

Accipio) Quasi dicat, definitionem libertatis seu propositionem concedo.

Tolle) Hoc est, nego minorem, quòd tu possis & tibi liceat vivere ut velis: inde nõ potest sequi conclusio, scilicet, Ergo ego sum liber.

Vindicta) Accingit se ad illius minoris probationem, quòd sibi liceat facere, nisi quòd iure prohibeatur, prout etiam in libertatis definitione Iuris consultis continetur.

Vindicta) modo illo manumissionis, de quo supra.

Meus) Mei iuris, non amplius alieni.

A Prætorè) Pro omni magistratu: hæ enim voluntariæ iurisdictiones penes quoscunque exercebantur.

Cur mihi non liceat) Transfert probandi onus in adversarium ex iuris regula, quòd omnia censentur permissa, quæ non prohibita reperiuntur.

Masuri) Masurium Sabinum intelligere videtur, qui de publicis & privatis iudicijs, aut de delictis, aut de prohibitis fortè scripsit. Et puto sanctionibus tantùm impositos sanguinei coloris titulos: unde rubricas dictas: licet usus postea latius manarit, sicut Legulei dicunt secundum digestorum Tomum nigro corio. Tertium rubeo operiri: quòd in eo ultimæ voluntates, in hoc interdicta & criminum tractatio contineatur.

Disce) Vult ipse Persius ostendere ipsum nequaquam liberum esse, licet manumissum, nec vindicta meram affectum libertatem, si quidem non potest facere quod vult.

Ira cadat) Quam concipis fortè, quasi ego nitar te tua tam chara libertate spoliare.

Rugosa sanna) De qua in prima, *postica occurrite sanna*, id est, subfanti-

natio,

natio, quæ corrugatione nasi fit, ut alibi, *naso crispante cacbinnos*. Sedem autem iræ esse in naribus vel Hebræorum lingua testatur & nostrum proverbium.

Cum veteres a vias) id est, inveteratas opiniones, seu potius fabulas & anilia deliramenta.

De Pulmone) Ex intimis penetralibus, ubi radices iam egere.

Revello) Quod magnam vim nec simplicem monstrat conatum: quòd autem inter omnia intestina potius speciem pulmonis elegit, ratione non caret, quòd flatuosior sit & ventosior, quæ res pertinet ad rem, qua de agitur. Vult enim eximere tumorem & inanem instantiam libertatis.

VOLSCVS.

AN QVIS QVAM) Syllogismo adversarius utitur, quo probare nititur, Libertatem esse vivere ex arbitrio: & est prima pars Syllogismi: qui tribus brevibus particulis conficitur, proposito, medio & conclusione: ut puta, Nullus est liber nisi qui vivit ut vult. Scipio vivit ut vult: Scipio igitur est liber: Quòd mendosum est, quia Conclusio proposito non respondet: & ideo Persius tradit Stoicos hoc negare.

Licet vivere) Istud est medium.

Non sum liberior) Per interrogationem exprimit libertatem hanc esse probabiliorem quàm fuerit illa Bruti.

Aceto) Hoc est, vero sapientiæ acumine: quoniam non erat colligendum, sum liberior Bruto, sed: Ergo non sum liberior Bruto, nisi vivam ut velim.

Vindicta) Virga dicta à Vindice servo, ut Livius tradit, qui primus liberatus est post exactum Tarquinium Superbum: quoniam Vindictæ coniurationem detexerat.

Rubrica) Hoc est, Lex, quæ rubrica notabatur. Rubrica enim à minio non distat.

Masuri) Masurius Sabinus iureconsultus fuit, de quo meminit Gellius, hoc est, ubi liber factus sum: cur non liceret ut faciam quæ volo, præter ea, quæ vetat lex?

Disce) prius respondet ad adversarium.

Ira cadat naso) Hoc est, noli irasci, cum tibi verum dixerò: solet enim iracundia nasus crispari.

ENGENTINVS.

BRUTO) De Bruto Livius lib. 1. in fine Florus lib. 1. cap. 9. Vaer. Max. lib. 5. cap. 7.

Aceto) De aceto Plin. lib. 14. cap. 20. & lib. 23. cap. 1. & 2.

Meus) mei iuris.

Rubrica) per rubricam libros Masurij de iure civili scriptos intel-
ligit. *Sapina*) risus qui à tergo fit.

* garrit.

Prætor li-
bertatē ut-
cunq; dare
potest, sapi-
entiam nō
potest, un-
de vera li-
bertas pro-
ficiatur &
vitæ officia.
Nam leges
& sensus
communis
quosvis do-
cēt, quibus
abstinendū
fit in com-
mune, verū
recte sapa-
re, veri spe-
ciem à vero
discernere,
moderatū
& liberalē
cū opus
est, & conti-
nentē esse,
parvoque
cōtentum,
hoc demū
est hominis
ut scias vita
quod si nō
verē ali-
quis, sed fu-
catē boni vi-
ri speciem præ-
se ferret,
multo mi-
nus liber e-
rit, sed man-
cipium.

Non Prætoris erat stultis dare tenuia rerum:

Officia, atque usum rapidae permittere vitæ.

Sambucam citius caloni opta veris alto.

Stat contra ratio, & secretam garruit in aurem,*

Ne liceat facere id, quod quis vitia bit agendo.

Publica lex hominum, naturæque continet hoc fas.

Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.

Diluis elleborum, certo compescere puncto

Nescius examen: vetat hoc natura medendi.

Navim, si poscat sibi perornatus arator

Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse

Frontem de rebus,

V A L E N T I N U S.

NON PRÆTORIS) Nunc incipit dicere non eō auctoritatem

Prætoris pertingere, ut possit ex stulto facere sapientem: si non sa-

pientem, ergo nec verē liberū. Sapientiam autem exprimit per te-

nua rerum officia, id est, exacta, & illa officia quæ Cicero Cato ortho-

mata vocat, quæ ad solū pertinent sapientē: sic tenue, pro exactum

in summo gradu, ut nos, *sottile*: dixit Horat. *Tenui deducta poemata filor*:

& forsā: alibi tenuia aut sibi indulse, ut Virg. per Proceleubmaticū.

Atque usum) Prætoris non est permittere, id est, concedere, ut benē

verē liberi: uti scias vita hac brevi, quod ad solum sapientem ope Philosophiæ

pertinet. Et (*Rapidae*) perpetuum vitæ epitheton, sed hinc non abs. re,

quasi dicat, cum sit a deo brevis, difficilius est ea benē uti.

Sambucam) Difficilis est similitudo, sed calonem pro homine Va-

ri ponere videtur, quales qui ligna ferunt, maximē in exercitu. Et

addit etiam (*alto*) ut id indicet, vel ut inter Calones altum eligat

quendam. Sambuca calceamenti parium genus est, quod ex pro-

verbio illo apparet. *Sambuca in coturno*, de rebus inconvenientibus.

Stat contra) Horat. *Evincit ratio*.

Garruit in aurem) Non audens propter odium & quasi crimen hæ-

sæ Prætoris maiestatis timorem apertè & palām dicere: garrire e-

niam est confusus sonus, non articulatus, sed quasi ferè caninire.

Pn.

Publica lex hominum) Non solum civile (quo etiam cavetur, malè
privilegio utentem, id amittere) sed ius ip u n gentium.

Vt teneat) Hæc est ferè lex, ut decet, breviter & carmine præscri-
pta ad consulendum memoriæ, sed obscurior, quàm legem esse de-
ceat, nisi dicat, nescio quid obscuritatis illi gratiam conciliare. hoc
ergo est fas, ut inscitia quæ debilis est (siquidem, ut inquit Horat.
ponere totum nescit) teneat actus vetitos, id est, abstinere ab actibus o-
mnibus, ipsi scilicet inscienti vetitos.

Elleborum) Exemplo magis oculis subijcit quod dixerat, & pe-
rinde est ac si dicat, Tu te liberum asseris, & ideo tibi licere quic-
quid non est prohibitum: quæro à te, An liceat tibi medicum a-
gere, licet medicinæ operam non dederis: aut rei nauticæ imperi-
to, ita ut potius agriculturæ incumbas, nauticam exercere: certè re-
spondebis, non licere, licet hoc Masuri rubrica nō vetet, sed solū fas
naturæ: eodem modo non licet tibi tuo iure vivere: quoniam viam
bene beateq; vivendi ignoras, nec philosophiæ studium id docens
amplexus es. iam si non licet tibi tuo iure vivere: sequitur vel ex tua
definitione te nequaquam liberum esse: & hoc est quod dixit Ari-
stoteles: *Insctios peritorum natura servos esse*.

Certo compescere puncto) Hæc ut intelligas, sciendum, pharmaca om-
nia sui natura venena & mortifera esse, quod aliquo loco dixit Iurif-
consultus: siquidē à natura & corporis cōstitutione nō mutantur, sed
mutant potius & alterant: ideo si magna in quantitate propinētur,
lethalia sunt: sed vel ea dantur quantitate, ut non possint conficere,
aut antidoto addita compescuntur, quod infrenare vel refrenare re-
centiores medici vocant. Et in hac (quam ipsi dosin vocant) græca
voce, tota ferè maior vis peritiæ medicinalis consistit. Igitur huius
puncti imperitiā pro omni imperitiā elegit, sicut infra in re nauti-
ca imperitiā Astrologiæ.

Vetat hoc natura) Non Masuri rubrica, & sic tibi non licet facere:
Ergo non es liber, ut ais.

Navem si poscat) Secundum exemplum in aratore nauticam affe-
ctante. Sunt enim hæc valde diversa, ut in prima Oda Horatij, & in
i. Sermonem.

Peronatus) calceatus.

Luciferi rudis) Addit aliam qualitatem, quam longè à re nautica
illum distare ostendat: quod scilicet sit ignarus Astrologiæ. Et hoc
maximè elegit inter multa nautæ requisita, non tanquam magis ne-
cessarium, sed habito respectu ad aratoris personam, qui talium re-
rum rudes esse non solent, ut ait Virg. *Præterea tam sunt Arcturi, &c.*
Luciferū autem per quandā excellentiam ponit pro omnibus stellis.

Exclamet) Hoc desumptum ab Horat. in Epistola ad Augustum:
 — *Clamet perijisse pudorem.* *Cuncti penè patres* —, sed
 proverbialiter frontem pro pudore posuit, ut in alijs dicendi modis
 apparet.

Melicerta) Dea marina olim Ino dicta, ad quam rerum maritimarum
 cura pertineat: licet & in nomine non nihil iocosè possit allu-
 sum videri ad incertitudinem & imperitiam illius aratoris, quasi
 malicerta sonet.

VOLSCVS.

NON PRAETORIS) Infert rationes quibus ostendit falsam li-
 bertatem esse, quam isti veram existimabant.

Sambucam) Sambuca est musicum instrumentum: unde Sambu-
 cistæ, cuius verbi meminit Livius. Est & instrumentum bellicum
 auctore Pompeio, dictum quod quemadmodum voces in Sambu-
 ca, ita funes huic instrumento disponantur. Calones dicti sunt mi-
 litum ministri & lignatores. Citius, inquit, ineptum calonem apru-
 feceris, ad intorquendam Sambucam, quam stultum sapientem.

Alto) inepto propter longitudinem.

Publica lex hominum) Aggreditur probare quod etiam iure natu-
 ræ qui stulti sint, rectè vivere debeant.

Natura) Hoc est, ius naturæ & civitatum, quod hominū est: nam
 omne ius duplici ratione partitur: alterum naturæ est, quod cuique
 æqua ratione convenit: alterum est civitatum, hoc est, quod quæ-
 que civitas distribuit & constituit, ut rectè vivatur.

Diluis Helleborum) Exemplo ostendit esse vitia fugienda etiam per i-
 gnorantiam, iure naturali, & utitur hoc argumento, si tu velles tem-
 perare Helleborum, &c.

Puncto) Ad stateram refert, in qua punctis pondera distincta
 unt.

Certo vero) ut Medicinæ ratio postulat.

Natura medendi) Lex naturalis Medicinæ vetat, hoc ne immodi-
 cè Helleborum.

Peronatus) Qui calceatus sit peronibus: Perones calceamenti ge-
 nus est, quod ex crudo corio conficitur, & loris, aut funiculis pedi-
 bus alligatur: & ideo apud Virg.

— *vestigia nuda sinistri*

Instituere pedis: crudus tegit altera pero.

Luciferi) Rationis astrorum: quorum peritissimus debet esse nau-
 ra: & rusticus a deo ignarus est, ut Luciferum etiam non intelligat,
 cum sit omnibus notissimus.

Melicerta) Numen marinum: est filius Athamantis Thebarum.

regis & Inus: Hermiones & Cadmi filia.

ENGENTINVS.

SAMBUCAM) Sambuca instrumentum est musicum, vel machi-
 na bellica. Daniel 3.

Caloni) Calo servus apud antiquos dicebatur, qui militibus palos
 afferebat. *Puncto*) Gell. lib. 17. cap. 15.

Melicerta) de Melicerta Vergil. 1. Georg. & ibi Servius. Ovid. 4.
 Metam. & 6. Fausto. Gellius lib. 13. cap. 25.

— *tibi recto vivere talo*

Ars dedit, & veri speciem dignoscere calles,

Ne qua sub ærato mendosum tinniat auro:

Quæq; sequanda forent, & quæ vitanda vicissim,

Ille prius creta, mox hæc carbone notasti.

Es modicus voti, presso Lare, dulcis amicis:

Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes,

Inq; luto fixum possis transcendere nummum,

Nec gluto sorbere salivam Mercurialem.

Hæc mea sunt, teneo, cum verè dixeris: esto

Liberq;, ac sapiens prætoribus, ac Iove dextro.

VALENTINVS.

TIBI RECTO) Sic Horatius aliquo loco officia prosequitur:
 qui didicit patriæ quæ debeat.

Ars dedit) Philosophiam ni fallor, intelligit. Nam licet moralia na-
 turam benè dispositam, requirunt, tamen & præcepta & leges bo-
 nas & secundum eas institutionem plus facere, sententia est Aristo-
 telis: quod & Plato assensit, & Lycurgus exemplo suis civibus, pro-
 ductis canibus monstravit.

Vt veri speciem) ut veritatis, quàm à falsitate non cuivis obvium est
 discernere, vel iustitiam iniusto.

Calles) longum usum & experientiam indicat, præter artem.

Sub ærato auro) quæ aurea videatur, sed intus æs habeat, postea pul-
 su dignoscatur, cum non sonuerit solidum. Tribus enim maxime
 aurum, ut in proverbio, cognoscitur: *al peso, alla piega, al suono:* cui ad-
 de & indicem.

Creta) tanquam bona, ut omnia candida dicuntur, sic mala ea bene. Nam omnia mala nigra Horat. *in festo nigra*. Diligentem curam insinuat, non levem quandam observationem. Videtur autem respicere ad morē Cretenisium, de quo Horat. *pulchra nō careat creffa dies nota*.

Et modicus notus) comprimis cupiditates, frenas affectus, maximē cū animi perturbationes & *passiones* sunt, quibus qui trahitur, agitur & impellitur, vix est ut in officio esse possit.

Presso lare) Persimoniam & frugalitatem commendat. Sunt enim luxuriosi inepti munij & officij, quod sunt nimis delicati: profusiq; ut sint avari, necesse est.

Dulcis amicus) non austerus, maxima hæc virtus obeundis muneribus, quæ & bona amicorum extollit & vitia fert.

Astringas) pertinet astrictio granarj ad officium, ne largitionis incurramus suspicionem, & regni affectati, ut in historia de Sp. Melio legitur. Et laxatio manifestè pertinet eò, ut annonam levemus, laborantibusque fame auxilio sumamus autem ex publicis calamitatibus commoda nostra aucupemur.

In gulo) ad morem respicit quo etiam hodie utuntur pueri, ut fordidos agnoscant, ad viam vel vitia causa nummi se demittentes.

Sorbere) Metaphora in verbo Mercurialem, demonstrat immanem cupiditatem cuiuscunque vilissimi lucelli, cui Mercurius præest: unde & Mercurialis hoc sensum meminit Horat. in Damascippo. Metaphora autè sumpta à guloso, quæ glutonem vocat, sicut & nos *gbiotone*. Tales sunt glutones quibus si vel vident cibum vel odorantur, vel audiunt ex ingenti cupiditate illis oboritur saliva, qua tanquam concupitum cibum deglutunt, quod etiam nobis de qualibet insigni cupiditate pro verbo usurpatur, *Tu mihi veni l'acqua in bocca della tal cosa*: id eò saliva vocatur quòd etiam ferè rem illam sapiat. Notandum autem virtute poetica infractum carmen, ut ferè sorbitionem exprimat. Sorbemus ergo non solum ut nos citò liberemus ab iniucunda potione, ut supra, sed etiam ex maxima gustus voluptate.

Esto liber) cum eris scilicet sapiens & per consequens liber, & vera manumissione manumissus.

Prætoribus & loue dextro) quasi dicat, dijs hominibusque faventibus: & dextro Iove dixit, ut supra, *dextro Hercule*.

V O L S C V S.

TIBI RECTO) Per ironiam Persius in adversarium notat ea quæ facienda sunt ut rectè vivamus.

Recto talo) recto pede: hoc est, cum iustitia & æquitate, ut bonos viros docet.

Sub auro erato) hoc est in quibus illito: allegoricè locutus est: intelligis, inquit,

inquit, ne vitia tegantur virtutis demonstratione.

Granaria) locum frumentorum.

Iam laxes) aperies: uteris parsimonia & liberalitate, pro temporis conditione.

Transcendere) hoc est sine avaritiæ nota superare & transire.

Nummum fixum) seu qui casu delapsus & fixus est: seu quem ad depræhendendos captandosque avaros, & pauperes, pueri in luto, hoc est in pulvere affixerunt. *Gluto*) Ganeo.

Mercurialem) appetitu lucri defluentem. Mercurius lucro præest: & mercatoribus & nuncijs, ut in *Amphytrione* notat Plautus in Prologo. Translationem sumpsit à ganeonibus, qui dum discumbentes vident lautius, salivam gulositate quadam absorbent: ita & hi qui alios lucro augeri vident nimia avaritia cruciantur: ita ut seipsos rodant & absorbeant.

E N G E N T I N V S.

TIBI RECTO) Ironia.

Mercurialem) interpretes hoc versu avaritiam aut lucri cupiditatem significari volunt. Nam per salivam lucrum intelligunt, cui cum Mercurius præsit, Mercurialem dici putant. Magis autem quadrat, si per salivam Mercurialem sicum Mercurialem accipiamus: ex veterum consuetudine, qui sicum repertum tãquam Mercurio sacrum, suspendebant: hunc quòd cuilibet liceret tollere, saliva nonnunquã oblinere solebant, ut hoc pacto qui eum caperet risui & ludibrio exponeretur. Vide Eras. in proverb. Ficum Mercurio.

*Sin tu, cū fueris nostræ paullo antè farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Astutam vapidò servas sub pectore vulpem:
Quæ dederam supra, *repeto, funemq; reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas.
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis.
Hæreat in stultis byenis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas: nec, cū sis cetera fossor,
Treis tantum ad numeros satyri moneare Bathylli.*

*relego,

V A L E N T I N V S.

SIN TV) Nunc è converso ostēdit stultum & insipientē nō posse liberum dici.

Paulo ante) quàm manumitteris. Vnde non est verisimile te ita effectum sapientem ut possis liber dici, cum ea res (ut est ostensum) & artem & experientiã requirat, quæ brevi comparari non possunt.

Nostræ farinae) Proverbiale, sicut & monetæ, quod hæ res in suo genere (ut inquit iurisconsultus) per similitudinem functionem recipiant. Et modesta locutio est cum dicis, est insipiens ut nos.

Pelliculam) iuxta illud proverbium, *chel lupo muta el pelo, ma non il mezzo*. Ergo pelliculam intellige pro ipsa vulpe, parte pro toto sumpta, & nescio quid pelli cum ipsa vulpe commune, ut in illo dicitur: Quo non sufficit leonis, assuendam pellem vulpinam, & nostro proverbio *delle pelli, delle volpi in pellizzeria*. & diminutio in voce pelliculæ nescio quid subdole, quale in vulpe, minuit: quod est ingenium servile retines licet manumissus.

Fronte) externæ scilicet apparens liber, à quo nec abludivox poli ti à poli, id est, urbe descendens, quod solum liberis convenit, qui cives sunt & quibus solis dari potest civitas. Frontem autem pro exterioribus poni illud vulgatum indicat, plus in recessu quàm in frôte.

Astutam vulpem) Cautam Horat. secundum iocum vocavit: & ipse in hac sententiam in arte. — *numq; te fallant animi sub vulpe latentes.*

Vapido) fortè pavidò legendum errore in versis syllabis. Astutia enim vulpina à timiditate nascitur, quod servile est: unde & timor servilis, pertinet autem magnanimitas ad libertatem.

Quæ dederam) concesseram, quæ dixi, esto liber & sapiens.

Repeto) ut amplius non te liberum pronunciem: & sunt verba Horatii quodam loco, sed ferè per contrarium Meccænati, *quæ dedisti, cum ita resigno.*

Funemq;) proverbiale videtur: sicut nos cum dicimus, *chi gli ne dà un dito, ne vuole un braccio, cio e della corda*. Et non semel fune proverbialiter usus Horatius videtur.

Nil tibi concessit) hoc ad illud pertinet, ut se omnia penitus auferre dicat, & nihil penitus libertatis relinquere ne fortè somniaret sibi quendam medium statum inter liberum & servum qualis ferè erat deditiorum & quorundam aliorum, de quibus per Iustinianum in Institutionibus. Hoc non ita se habet, sed si nō es sapiens, sed adhuc servilem naturam retines, te adhuc penitus & omnino servum iudico. Nil enim potuit tibi concessisse ratio, quæ ita demum concessit si præditus esses illis quæ supra posui.

Digitum exere) coniunge, & quid tam parvum quàm digitum exerere, & tamen peccas: quod dicit, haud omnino sine peccato es cum liber es, omnia bene agens aut totus in peccatis, adhuc sub servitute peccati existens. Quod simile est nostro proverbio: *che l'buomo non si*

pno

metter la mano alla bocca senza peccare. Exerere autem digitum vel exalijs vel è manica nudare & movere: sicut exere ensem. Videtur autè hoc ad Stoicorum opinionem accedere, imò ipforum esse.

Nullò iure) Proverbiale, iudico notandæ impossibilitati rei, quæ nedum ab hominibus fieri nequeat, sed nec à dijs impetrari.

Litabis) impetrabis. Nam litare dicebantur, quibus extra felicem successum promittebant, & fortè etiam tale quid erat in iure, quod pro omni ponit sacrificio, ut pote puriore & gratiore, sicut & thymia ma in lege, quod sacrificijs sacratius videbatur, quod an fuerit non est præsentis inquisitionis,

Nec cum sis) sensus videtur esse, ut subiecto exemplo ostēdat quod dixit, hæc misceri non posse: sicut fossor quidam ignarus modulationis, ne quidem ad trēs tantum Musicos modos excellentis cuiusdā ea in arte (ut Batylus) rectè se movere poterit, & si hoc tentaret ineptus haberetur, risuque exciperetur, sed aut omnino bellè saltaret, aut omnino à saltu abstineret.

Mouere) saltet, Horat. ut *festis matrona moveri iussa diebus.*

Satyri Batylli) Musicū hūc fuisse oportet iam notū tempore Augusti histrionem, amatum à Meccænate, ut testatur Suetonius, ad quem volunt aliqui respexisse Horatiū, cum dixit, *Non aliter samio dicunt avisse Bathyllo*: in quo & ad Bathyllum & uisionem pulchra allusio, ut alibi per eum, *primæque Bathyllum*, & fortè usq; ad tempora Persij descendit, aut omnino eò respexit.

V O L S C V S.

NOSTRÆ FARINÆ) Compositionis nostræ quæ corrupta est & vitiosa: & est à pistore translatio, qui ex corrupta farina præstantiorem panem facere non possit.

Vulpem astutam) hoc est vulpinas astutias.

Vapido) corrupto. Nam à vappa, hoc est corrupto vino vapidum dicimus. *Ego repeto*) ego refumo.

Quæ supra dederam) quæ supra concesseram: nullam scilicet esse libertatem ubi sint vitia.

Et reduco funem) Redeo à diverticulo: & translatio à bestiarijs, hoc est, ab alētibz bestias, qui interdū alligatas lōgo fune lasciverè permittunt: interdum reducunt ad se, retrahuntque ut ad idem redeant unde discesserint. *Exere*) .i. fateare te victum. Gladiatores cum victos se profiterentur in harena, digitum exerebant.

Peccas) hoc est non rectè vivis, & ideò non es liber: quia libertas est in sola virtute. *Batylli*) mimi. Batyllus fuit (ut in Horatio exposuimus) Anacreontis puer: fuit & Meccænatis libertus: fuit & Tertius Neronis tempore optimus Mimus. Vide Iuvenalem saty. 6.

Servitus ab avaritiaque hominē mi-
rè distrahit ad fordes, & parsimoniā, & pericula subeūda sollicitat, contra, luxuria ab omnibus illis dehortatur, ad voluptates exhortatur hac occasio.
ne, quod mortuo nihil proderit divitijs, vult autem miserimū servitutis genus vitij inter se contrarijs laborare.

*Liber ego. unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,
Si increpuit, cessas nugator? servitium acre
Te nihil impellit? nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet? sed si intus, & iniecore agro
Nascuntur domini, qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?
Mane piger stertis. surge inquit, avaritia: eia,
Surge negas. instat. surge, inquit, non queo. surge.
En, quid agam? rogitas? en, saperdam aduehe Ponto,
Castoreum, stipas, ebenum, thus, lubrica Coa:
Tolle recens* primus piper estitente camelo.
Verte aliquid: iura. sed Iupiter audiet. eheu.
Varo, regustatum digito terebrare salinum.
Contentus perages, si vivere cum Ioue tendis.

VALENTINVS.

LIBER EGO) Ex persona manumissi: & mirè exprimit morem insipientiū, qui nullis argumentis & rationibus se victos ostendunt, sed subinde id repetunt de quo controversitur:

Vnde datum) respondet Persius iam crassius, volens ostendere illū nequaquam liberū esse, imō plurimos dominos pati & sava imperia cupiditatū, quibus parēre (velit, nolit) cogatur. hæc autē verba sunt Horatij.

I puer) vult ostendere cupiditates, quod intus regnent, graviore servitio premere, quā dominos hos manumissores qui tātum imperant extra: & subiecit oculis servitium & imperium extrinsecum, subiecturus deinde intrinsecos: & id facit per Dramaticum modum quod maximè delectabile & poetæ cōveniēns, ostendit Arist. dicēs, idēd Homerū alijs præstare: & idēd etiā frequens est in dialogis misis.

Strigiles) quibus in balneis utebantur.

Crispini) tunc famosa esse oportuit: certè nescio quid Horat. cōtra Stoicum regem de balneis & comite inepto Crispini mētionē facit.

Cessas nugator) verba increpationis. unde cessatores servi dicebātur ut Horat. *cessator servus.*

Nihil

Nihil impellit) nisi scilicet scuticam arripuerim.
Quod nervos) hoc est, te intus commoveat & frangat. Nervos enim pro potentia & vi interna posuit, quod illi intus lateant, pelle, cute, carne operi.

Et in iecore) Iecur sedes cupiditatum, ægrum autem affectibus intellige, ut nos proverbio, *bauer guasto è marcio il fegato.*

Domini) cupidines. *Exis*) eximis te, liberas ab illis.

Mane) nunc inducit per poeticam Prosopœiam imperium intrinsecum cupiditatum, earumque diversarum inter se, quasi qui duobus dominis contra dictum domini servire cogatur, & hoc certamē inter avaritiā & luxuriā, vide per Poggijū in suis facetijs descriptum.

Castoreum) Virg. *virosaq; Pontus castorea.*

Hebenum) non replicatur ponto: nam Virg. sola India nigrum fert Hebenū, cuius speciei fortè est Guaiacum, nobis *legno santo* vocitatū.

Sed Iupiter) verba pigri simulantis se periuriam timere, ne cogatur surgere. Est autem de necessarijs concōmitantibus mercaturæ non solum mendacium, sed & periurium, ideo vocavit Horat. *Thusci vitia impiam turbam*, in quo mercatores negociabantur.

Varo) nomen vel periuri mercatoris, vel fictum.

Regustatum) pauperis & sordidi notatio est. Sicut enim Salinum symbolum munditiarum & lauti hominis non semel Horatio, *ut purum & sine labe salillum: Splendet in mensa tenui salillum*, ita hic ponitur pro sordibus si regustatum sit, vel digito terebretur. Videtur autem ad formam quandam salillorum respicere oblongam, ore angusto, cui solet immitti digitus ut concretum sal dissolvatur: aliās terebrandi verbum non videretur satis aptum.

Vivere cum Ioue) perseveras Deum timere, & putare ipsum auditurum, & puniturum. Et videtur respicere ad illius sapientis dictum, ita vivendum tāquam sub Dei oculis: qui certè omnia replet sua presentia: certè nostrum proverbium huic Persianæ sententiæ conformē est, *Non fa Roma che la paura del diavolo, & attacca l'anima al caueccchio.*

VOLCVS

LIBER EGO) Pulcherrima irrisio, qua ostendit nullo pacto liberum esse posse qui vitiosus sit.

I puer) confert servitia corporis & animi, ut ostendat maiorem esse animi servitutem quā corporis.

Strigiles) hoc est, fricandi & eliciendi sudoris instrumenta: & est verbum Hispanicum. Hispani enim strigiles appellāt (ut Plin. tradit) auri globulos in massa inventos: unde & aurum massam dicimus, qua similitudine strigiles appellarunt instrumenta quibusdā dentib.

peccinatim feriata, quibus in balneis corpora defricarentur ad eliciendum sudorem & extergendum: licet alij velamenta dixerint, quibus sudantes abstergerentur: & ut opinor, aurea ea erant instrumenta: quoniam inquit Horat. *vuam occulta mutat strigili.*

Crispini) Crispinus is est, de quo meminit Tacitus, qui præfectus prætorio Asiaticum traxit ad Claudium, unde præturam emeruit. Vir fuit luxuriosus & inquinatissimus, in quem iuvenalis invehitur, & monstrum appellat.

Scutica) lorum, quo verberantur pueri.

Mane piger) aperit quanta solitudine animi vitia mortales afficiant: inducit avaritiam contra luxuriam pugnantem.

Saperda) scemineo & neutro genere dicitur, & est genus vilissimi piscis.

Castoreum) Fiber ponticus (qui & Castor dicitur) lutræ similis: præter caudam, quam piscis habet: pilus quam pluma mollior. Testiculos urgentibus, venatoribus sibi amputat, conscius ob eos se peti: unde est id odoramentis genus quod medici Castoreum vocant: Virgilius, *virosq; pontus Castorea*, dixit in Georgicis.

Pontus) pars Scythiæ.

Stuppas) stuppas pro lino usurpavit: & de Ægyptio intelligit, ut opinor, cui licet sit parum firmitatis, ut scribit Plinius, plurimum tamen est lucri: pars lini cortici proxima, stuppa dicitur.

Hebenum) Hebenus arbor est generis duplicis, alterum fruticosum est more Cithysi: alterum nodosum colore nigro placet: primum in urbem adduxit Pompeius post Mithridaticum bellum. In India provenit.

Thus) ex Arabia: advehe castoreum ex Põto, stuppas ex Ægypto, hebenum ex India. *Coa*) vina ex Co Insula.

Lubrica) soluta & optima: nam cohærentia vina mala sunt.

Camelo sitiente) multum bibente: sed rarius: nam in quatrimum sitim differt, semelque haurit, ut quotidiano potu satisfaciat.

Lura) tuas merces esse bonas,

E N G E N T I N V S.

VINDICTA) virga prætoris.

Strigiles) ad balneum ferendos. *Scutica*) flagellum ex loris.

Saperdam) saperda genus piscis vilissimi.

Castoreum) Sbergeit. Plin. lib. 8. cap. 30. & lib. 12. cap. 2.

Stuppas) lina deteriora.

Hebenum) de hebeno Plinius lib. 12. cap. 4. Eam arborem Virg. 2. Georg. solum in India nasci testatur.

Lubrica) lubrica vocat aut quod alvum mollire soleant, aut quod mitia & lenia sint. *Coa*)

Coa) Vina. Plin. lib. 8. cap. 18.

Camelo) Plin. lib. 8. cap. 18.

Varo) stultè. Varus propriè qui tortis pedibus est.

*Iam pueris pellem succinctus, & œnophorum aptas:
Ocyus ad navem: nihil obstat, quin trabe vasta
Ægeum rapias, nisi sollers luxuria antè
Seductum moneat. quò deinde, insane, ruis? quò?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.
Tun' mare transilias? tibi torta canabe fulto
Cena sit in transtro, Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice fessilis obba?
Quid petis, ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, peragant avidos* sudore deunces?*

*sudare

V A L E N T I N V S.

IAM PVERIS) Coactum ab avaritia domina ostendit, iamque parere parat imperio, ut inquit poeta: mirè autem apparatus ad navem properantis depingit.

Pellem) vel tu succinctus pelle, vel aptas pellem: pellium autem varius usus. maximè in navigando & arcenda intemperie aeris, & susternendo. Succinctus autem paratum & expeditum notat.

œnophorum) verbum Horatij:

Ocyus) velociter. Et sunt verba vel pigri ad pueros, vel ironia poetæ ad ipsum, quasi paulò post nihil sit futurum ex tanto apparatu.

Nihil obstat) iam scilicet pares dominæ avaritiæ, idq; contra tuam primævam intentionem.

Nisi sollers) aliam dominam ostendit, superioriq; (quod molestius est) adverfantem.

Seductum) Consilia avaritiæ sunt aperta, non remotis arbitris: quia nescio quid laudis continere videtur: at luxuria solam seipsam adhibet in consilium.

Moveat) à priore proposito & sententia.

Quò deinde insane) Trepidans versus pulchrè illius insanam ostendit trepidationem.

Calido) verba luxuriæ, se valde iratam & commotam ex hoc suo proposito ostendentis.

Intumuit) ut supra turgescit.

Vrna cicutæ) Magnum vas frigidissimæ materiæ & lethalis, & sic bili purgandæ idoneæ.

Tun' mare) Obijcit incommodorum speciem, & primò pericula in mari transiliendo.

Cannabe) De funibus nauticis intelligit.

Veientanum) Vile vinum (cuius & ineminit Horat.

Qui Veientanum festis potare diebus

Campana solitus trulla) & ex colore rubellum iuxta proverbium: *Il pane al sapore, il vino al colore.*

Exhalet) Quod ad sessilem obbam respicit. Nam solent vasa vinaria rotunda fieri, ut angusto ore auram non admittant: & sic exhalationi locus non detur. At fortè in mari sessilia sunt aptiora, ne agitatione concutiantur.

Pice) vel vasis (vasa enim solent picari) vel navis, quæ etiam picatur.

Petis) Post persuasionem, id est, incommodorù vitiationem: nunc ab honesto suadet, usuram legitimam commendans super lucrum ex mercatura immodicum & laboriosum, & avarum.

Quincunce) Quasi habito respectu ad assem, quem 12 unciarum esse scimus, & secundum quem omnes fiunt divisiones etiam hereditariæ, si Iustiniano in Institutionibus de hæredibus instituendis fidem non abrogamus: quæ usura quina pro centenis annua reddit. Quincuncem vocavit: quòd eam rationem obtineret ad centesimam, quàm quincunx ad assem. Modestum autem Quincuncem vocat, quod & olim legibus probaretur.

Sudare) Non tantùm fructum ex eis proficiscentem, sicut sudor ex corpore, sed etiam laborem signans: potest & peragant pro perferant, perseverant, accipi.

Avidos) Avaros: nam & ab aveo & ære avarus, quasi avidus æris.

Deunces) una scilicet uncia minus asse & centesima: undena, annua scilicet pro centenis.

V O L S C V S.

IAM) Persuasus ab avaritia.

Pellem) sacculum. *Oenophorum*) vas vinarium.

Transro) id est, navigio. Synechdoche est: utitur parte pro tota.

Veientanum) Arguit ab incommoditate cibi & potus.

Obba) poculi genus vel ligneum vel ex sparto, quod est lini genus. De obba meminit Varro, cum ait: *Calenas obbas & Cumanos calices.*

Sessilis) fundo lato, ita ut sedere videatur.

Pice) vasis vinarij quod picabatur, ut Cato meminat.

Quid

Quid petis) Solvit quæ potuisset avarus obijcere, non timendâ esse paupertatem. Ostendit divitias non esse quærendas per difficultates, sed vivendum esse cum lætitia, quando nobis ad aurem sit mors, quæ persuadeat se quamprimum esse venturam.

Avidos) quos ex avaritia cumulari & augere cupis.

Modesto) sine avaritia nota.

E N G E N T I N V S.

CICUTÆ) veneni, quod frigidissimû est Plin. lib. 14. ca. ultimo. *Cannabe*) rudente. Cannabis (antore Plin. lib. 20. cap. 9.) ferulacei generis est, funibus utilissima.

Veientanum) Veientanum vinum ut utilissimum notatur. Est autem Veij oppidum Latij in cuius regione tale nascitur vinum.

Pice) De pice Plin. lib. 14. cap. 20. *Sessilis*) latum fundum habens.

Hic) Romæ.

Nutrieras) acquifieras.

Avidos) quos tu avidè petis. *Sudare*) multis sudoribus acquirere.

Indulge Genio. carpamus dulcia: nostrum est.

Quod vivis: cinis, & Manes, & fabula fies.

Vive memor lethi. fugit hora: hoc, quod loquor, inde est.

En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.

Hunc cime, an hunc sequeris? subeas alternus oportet.

Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.

Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris.

Parère imperio, rupi iam vincula, dicas.

*Nam luctata canis nodum abripit: * ast tamen illi,*

Cum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.

V A L E N T I N V S.

INDVLGE) Nunc à voluptuosis adhortabitur, & philosophicis quibusdam rationibus, quarum magister Horatius. Genius autem est nostræ naturæ Deus, ut idem ait Horat. Ipsi ergo indulgere est facere quicquid nostræ naturæ collibeat.

Carpamus) Metaphora sumpta à pomis.

Vivis) Vivere (ex illo Catulli, *Vivamus mea Lesbia*) est lautè vivere.

Manes) Sic Horat. *Iam te premet nox, fabule & manes.*

Fugit hora) Virgil. *Interea fugit irreparabile tempus.*

Hamo) Metaphora sumpta à piscibus. Nam & avaritia & luxuria hamo suo alliciunt, illa divitiarum, hæc commodorum.

attamen

Ancipiti) Subire dominos, est illis se subijcere: obsequium autem anceps vocat, non solum duplex, sed periculi plenum: & fortè respicit ad morem servorum, quorum est circa dominos oberrare & versari: unde & ancillæ à circum movendo dici videntur, sicut Græcis ἀμφιπόροι: tum id maximè servi industrij faciunt, cum alterius obsequio timent alterius offensioem.

Nectum cum) Tertium subdit incommodum, quòd ab his dominis nulla sit manumissio, licet te offirmes & obdures, ut inquit Catullus: id probat exèplo subiecto, sed prius similitudine canis cõfirmat.

Luctata) eluctata è vinculis.

Catena) Propriè dicitur à cane tenendo. Ostendit autem quòd licet velint se liberos iactare, tamen vincula illos sequantur: quod belè expressit Petrarca:

*Et come vero prigioniero affitto
de le catene mie gran parte porto
el cuor, ne gli occhi & ne la fronte ho scritto.*

V O L S C V S.

MANES) Umbra. Nam corpora resolvuntur in duas partes, in animam & corpus: anima immortalis est, corpus verò putrescit. Sunt qui & umbram addiderint: aiunt quæ loca inferiora umbras petere, anima verò cœlestia.

Fabula) id est, tantum sermo de te supererit, nihil aliud.

Nectum cum) Anthypophora est. Solvit enim quæ adversarius obijcere potuisset, quòd aliquando sese à vitijs redimeret.

Nam luctata) Similitudine ostendit nõ posse quàm primùm à consuetis vitijs mortales restitui.

Argumèto ex comòdia sumpto, ostendit eum, qui meretricio amore captus sit, liberum non esse, nisi illum ex animo totum excutiat, cum demum liberiores futurum, quam is qui à pretore manumittitur.

Dave, citò, hoc credas iubeo, finire dolores

Præteritos meditor, crudum Chærestratus unguem

Abrodens ait hæc, an siccis dedecus obstem

Cognatis? an rem patriam rumore sinistro

Limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas

Ebrius ante fores exstincta cum face canto?

Euge, puer, sapias: Dijs depellentibus, agnam

Percute, sed censen plorabit, Dave, relicta?

Nugaris: solea, puer, obiurgabere rubra.

Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses,

Nunc

Nunc ferus, & violens: ac si vocet, haud mora dicas.

Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum arcessar, & ultrò

Supplicet, accedam? si totus & integer illinc

*Exieris. * nunc nunc hic hic, quem quærimus hic est,*

Non in festuca, licetor quam iactat ineptus.

V A L E N T I N V S.

DAVE) Exemplum huius simulatæ aut potius affectatæ libertatis ponit, ex Terentio sumptum, & eodem modo iam ab Horatio expositum.

Chærestratus) Nomen Terentiano non absimile.

Abrodens) tanquam meditatus quid. Horat. *vivos sibi roderet ungues*, Persius: *demorsos sapit ungues*.

Crudum) Ulteriore partem prope carnem monstrare videtur. Nam crudus, ni fallor à *argia* carne.

Frangere) Horatius vocat stringere & dilapidare rem.

Chrysidis) Nomen ut reor, Terentianum, aptum meretrici, quæ blandulè appellatur auro inhians.

Udas) vel aqua deiecta, ut molestantiam abigat à scorto, ut Socratica Xantippe: vel vino, quòd ebrius vel lotio: ex longa mora.

Euge) Verba servi Ironicos prolata.

Sed censen) Iam mutatus animus fatuitatem adolescentuli indicat, qui illam ploraturam credat.

Solea) Alludit ad morem aliquem vel maternum castigantem filiolos: vel meretricium castigantem iuvenes amatores. Soleam autem pro crepida ponit.

Ne trepidare) verba servi, id est, ne sis sollicitus: *datti pace, non ti metere affanno*.

Casses) Cassis quasi capsis à capiendo: quasi frustra & in cassum. Sumpta metaphora à captis animalibus, quæ rosione in cassum excassis tentant evadere.

Si vocet) verba Terentij & Horatij.

Totus) Totum intellige, ut tui vel tuarum divitiarum ibi nulla pars remaneat. Integrum autem cassum intelligo, ut illi non commiscearis, nec commisceri velis, omnemque eius memoriam abijcias.

Exieris) Non è domo, quam nequaquàm ingressurus est, si Persium audierit: sed ex illo periculo. Respicit enim ad casses. Nam qui ex angustiis locis exire volunt, vel vestes linquunt, vel membris officunt, ut vulpes illa Horatij.

* ne tunc heic heic, quod quærimus, heic Liberos nõ esse ait, cum ambitiosos omnes, tum superstitiosos, & in primis Iudaicis sabbathinis & ceremonijs deditos.

Nuncium) Concludens suam sententiam, intelligit hunc liberum dicendum, qui hæc possit agere, non vindicta manumissum à prætore.

Festuca) Intelligit virgam illam prætoriam, quæ in manumissionibus prætor utebatur.

Lictor) Verisimile est lictores (ut hîc Tiguri & alij in locis multis) virga hac, quam fortè unam ex fascibus prætorum ferebant, superbisse. Ad deprimendum igitur eius factum manumissionis, lictori illum æquat, qui festuca & re nihili tumeat illam iactando.

VOLSCVS.

Dave) Menander Eunuchum fabulam fecit: eam Terentius imitatione totam reddidit, mutatis personis aliquot. In ea apud Menandrum Chærestatus adolescens à Chryside amica eiectus, queritur cum Davo servo: apud Terentium Phædria cum Parmenone à Thaide eiectus admisso Thrasone. Davorum autem nomina servorum & Getharum Athenienses sumpsisse Strabo testatur à Dais, qui aliquando Dai appellati sunt, & Gethis: quoniam his servis maximè utebantur.

Crudum) usque ad vivum.

Mordens) propter dolorem & amoris insaniam: quoniam à Chryside erat eiectus.

Extincta) ob diuturnam moram consumpta.

Vilas) unguentatas. Solebant ianuas amicarum ornare floribus, & odoribus perfundere.

Depellentibus) Cupidini & Veneri, qui hunc amorem depellant & extinguunt. Habent enim potestatem accendendi & extinguendi amorem.

Sed censens) Commutatio Chærestati, qui licet paulò antè dixerit, se ab amore restitutum, iam iterum immerfus, quid egerit amica sciscitatur, veluti in amore sollicitus.

Nugaris) Vacillas, non es firmus in proposito.

Solea) Calceamento rubro.

Sis ferus) Feritas est corporis, violentia & animi & corporis.

Casses) amoris laqueos. Metaphora à ligata fera, quæ laqueos arripit.

Quidnam) Locus est in principio Eunuchi Terentij.

Totus) totus ad corpus refertur: integer ad animum.

Festuca) id est, virga prætoris. Festuca est parvus bacillus. Prætor sex lictores habebat. Vera, inquit, libertas est, cum te à vitij restitueris, non in eo qui est liberatus vindicta prætoris.

E N.

E N G E N T I N V S.

UNGVEM) Per hoc de mutanda antea vitæ ratione cogitantem significat. Nam caput scabere & ungues arrodere, gestus sunt cogitabundi, & de mutando, cuius prænitcat, secum agitantis. Proverb. *Caput scabere.*

Siccis) sobrijs.

Puer) serve: nam qui amat, servit.

Depellentibus) tibi hanc amoris ægritudinem.

Percute) macta.

Non in festuca) Hoc versu hominem manumissum ex veteri consuetudine significat. Nam moris fuit apud Romanos, ubi quempiam manumitterent, ut eius corpori tenuem festucam iniicerent. Porro quoniam & circumagabantur, qui libertatem nanciscebantur, & à prætore plerumque vindicta liberabantur: propterea & iactat, inquit Persius, & lictor. Nam lictores seni prætoribus apparebant. *Po- litian. cap. 98. Miscell.*

*Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? vigila, & cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes, quid pulchrius? at cum
Herodis venere dies, uncta que fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrum que amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recitata que sabbatha palles.*

VALENTINVS.

Ivs) Interrogativè legendum, quasi dicat, minimè.

Palpo) Palpones à palpando dicuntur, qui blandiuntur. Vnde obtrudere palpum, sumpta ab equis metaphora. Horat.

Cui malè si palpè, recalcitrat undique tutus: quasi dicat, res adeo clara est, ut sine manifesta adulatione hoc nequeas negare: ut cunque in alijs blanditus tibi, te ipsum fallere potueris, liberum te tibi conatus persuadere: ut nos eleganter dicimus: *dandoti, o facendoti crederi coss.* Palpo etiam potest sextus casus esse, à palpus palpi, quod pro adulatione dicitur: & hîc non inconcinne pro prensatione illa, quæ in ambitu fiebat, in qua & vera palpatio interveniebat.

P 2

Sui iuris) De his qui sunt sui iuris, extant tituli in iure. Videtur autem nescio quid magis quam libertas, & proprie ad mentem referri, ut filiusfamilias & pupillus liberi sunt: non tamen sui iuris.

Cretata) Cretatum pro albo posuit, alludens ad mores albę vestis, cum qua magistratum petitori in campum descendebant, unde & candidati dicti. Vel cretatam ambitionem pro servili posuit. Albi enim pedes creta illiti, signum erant servorum in catasta venalium.

Hiantem) cupidum. Eo enim oris habitu solent esse valde avidi. Vnde nobis pro immodica cupiditate alicuius rei proverbium, *andare à bocca aprta: andare à sbadaglio*.

Vigila) Adhortatio ironica ostendendę servituti, cum ita servimus, ut etiam eius iussu vigilare oporteat. Et vigilatio quidem studium & attentioem curam indicat in omni re adipiscenda.

Cicer) Hęc enim largitionis species erat: quod & sine illo (large) verbum lingere satis per se notabat: eodem sensu dixit Horatius: *Ingere mi calices amariōres*.

Rixanti) Semper, ut idem Horatius: *— depugnare parati, Si discordet eques —*: & maxime in munerum distributione.

Floralia) Adilitiam dignitatē pro omni magistratu posuit, quod ea ianua magistratum sibi edendis muneribus in posterum populum conciliarent. Pro omnibus autem muneribus Floralia posuit, quod ad illa avidius à populo concurreretur, magisque in animum penetrarent, illique longius hęrerent ob suavitatem obscenitatum in illis celebratarum.

Aprici) Senes aprici dicuntur, quod iam propter frigiditatem sole gaudeant, licet fortę iam tempore Persij vela in theatris arcendo sole obduci & obtendi cepissent: & fortę respicit ad id, quod in sole solent confabulari senes & longę pręteritorum meminisse. Apricus autem quasi sine frigore, ab *α* & *φ* *γεν*. Vnde Africa.

Quid pulchrius) Ironicos.

Aicum) Pendet à superioribus, quasi dicat: Pulchrum quidem honoribus fungi, nisi & munera edenda essent in Deorū festis, puta Floralibus: & nisi superstitione esset annexa, magna animum premeus servitute.

Dies Herodis) Sabbata Iudęorum intellige.

Vinctę fenestra) Videtur loqui de festis Iudęorum, quibus cum ab omni servili opere ex Lege ipsis sit abstinendum, fortę lucernas ornantes accendebant: & ut sufficerent, & ut lætitiā indicarent, in fenestris disponebant: certę nunc talia sunt nobis signa lætitię lumina in fenestris: & ideo dicit (*vincta*) propter oleum, quo in lucernis

cernis utebantur. Nam usum eius frequentem fuisse potius quam candelarum, aut cereorum, indicant illa quę apud Horatium sunt.

Violas) ornamenta lucernarum indicat.

Rubrum) innuit Iudęos die Sabbathi non solum culinę opere nō abstinuisse, sed etiam maiore lætitiā adhibuisse propter festū: nam pisces, maxime thynnus, in delicijs erant. Hinc est quod hodie quoque semichristiani quidam Iudaizantes Sabbatho piscibus vescuntur, idque propter lætitiā, & ideo illam ceremoniam in quibusdam nationibus (ut Hispania) non adeo religiosę observari videmus. Rubrum autem dicit forę propter crocum infusum iusculo in quo pisces natarent: aut fortę genus argillę est, rubrum, ex quo tunc fictilia confierent.

Cauda) pars pro toto: natatio autem piscium maxime cauda fit.

Natat) respicit ad pręceptum Horatij, Pisces magno catino poni debere.

Alba) vel pro albo vino, utpote tanquam puriore, diebus sacris aptiore: vel alba propter festum nitida.

Recutita) id est, Iudęorum: qui recutiti dicuntur, quasi cuticula aut pellicula pręputij carentes. *Palles*) id est times.

VOLSCVS.

Ivs HABET) Ostendit eum non esse liberum, qui ambitione aut superstitione tenetur. *Ius sui*) id est, est ne liber?

Cretata) aut sordida, propter occulta dona quę ambitiosi dabant: vel ad id respicit quod ad magistratus inhiantes candidati, in campum Martium descendebant.

Hiantem) ad magistratus anhelantem & aspirantem.

Palpo) palpare est quadam dulcedine percutere & commovere. Hinc apud Iuvenalem, *quem munere palpat*. Inde & palpum dicimus, dulcem quandam percussioem & incitamentum, & ideo est apud Plautum, *palpo percutit*, id est dulci incitamento commovet.

Cicer) legumina, id est, da munera.

Floralia) ludos Deę Florę. Ediles curam ludorum habebant: sed eos ludos hic intelligit, quos edebant ambitiosi petitori magistratū. *Herodis*) hætenus ambitiosos notavit: nunc supersticiosos irridet: idque ex Herodis superstitione, qui Iudęorum Tetrarcha fuit, & 24. regnavit annos.

Lucernę) quas Iudei in templo accendebant in candelabris, ut Iosephus meminit.

Vincta) propter oleum.

Rubrum) rubricatum & colore rubro tinctum. Nam catini fiunt ex

tasconio, ut meminit Plinius. Est enim tasconium terra alba sim-
lis argillæ, ignem & ardentem materiam maximè tolerat.

Labra) clam benè precaris.

Recutita) quoniam Iudei recutiti sunt, id est pelliculâ non habent,
quæ pueris abscinditur ex institutione Moysi: unde & Apellæ dicun-
tur, quasi sine pelle, & recutiti, quòd cute virilitatis careant.

E N G E N T I N V S.

PALPO) adulator.

Cretata) quia candidati, i. albis induti vestibus solebant descende-
re in Campum Martium, qui magistratus erant, petitori.

Rixanti) iurganti, contendenti in legendis leguminibus, vel super
dandis suffragijs.

Floralia) ludos qui maxima luxuria celebrantur in honorem La-
rentiæ Romanæ meretricis, quam mutato nomine Floram Deam
appellarunt Rom.

Aprici) locis apricis & tepidioribus gaudentes.

Herodis) id est, dies festi Iudæorum.

Thynni) his verbis Iudæorum significat ieiunia. Tunc enim vilio-
ribus esculentis uti solebant, ex quibus & Thynni sunt. Plin. lib. 9.
cap. 15. *Sabbatha*) Festa Iudæorum.

*Tunc nigri Lemures, ovoq; pericula rupto,
Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos
Incussere Deos inflanteis corpora si non
Prædictum ter mane caput gustaveris hali.
Dixeris hæc inter varicosos Centuriones,
Continuò crassum ridet* Vulpenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.*

V A L E N T I N V S.

TUNC NIGRI) Alios timores superstitionis & sic servitutis in-
dices, addit superioribus præter Iudaicas observationes. Timorem
scilicet manium, licet manes bonæ animæ defunctorum dicantur,
quod nomen indicat, nam bonum manum dictum olim. Le-
mures autem mali dicti à Remo, & ideò hic addit, nigri, vel pro ma-
lis, vel propter noctem qua solent apparere.

Ovo) nobis tales fabulæ sunt de ovo ascensionis, de basilisco ex o-
vo Galli veteris.

Galli) superstitionem Gallorum Cybeles matris magnæ Deæ Pe-
sinuntiae

sinuntiae notat, qui insaniebant, dicti sic à Gallo fluvio Phrygiæ,
ferro brachia secantes, & testa genitalia. Grandes autem dicere vi-
detur, quòd cum propter castrationem Venere abstinere, senesce-
bant valde.

Sistro) Isis sacerdotum superstitionem taxat: de quibus multa ap-
ud Apuleium. Sistrum enim instrumentum Ægyptium, sicut Dea
Isis, Horum sacerdotum stipem emendantium meminit etiam Va-
ler, quum ex proscriptis narrat quendam habitu Isiaci stipem mendi-
cantis effugisse.

Incussere) ad eorum sonitus respicit. Nam & Galli tympanis & ti-
bijs & timilibus utebantur, quæ concutiebant, illaque concutiendo
suorum Deorum incutiebant timorem.

Inflantes) hæc de Ægyptijs quibus multa pro Dijs habebantur,
maximè staturosa, ut cepe & pisces quidam.

Varicosos) varicosi sunt, qui varices, venas scilicet crurum, ex viri-
& sanguinis abundantia tumidos habent.

Centum) .i. multos sapientes philosophos. Numerus finitus pro-
in finito. Nota autem Cappasimū in hoc carmine, ubi c. quinquies
repetitur. Curtum autem pro parvo hic sumitur non pro mutilato.
Centum autem philosophi Græci pro centusse: ergo unus pro assè:
ut indicet tales homines non pluris assè fieri, ut sæpè Catullus loqui-
tur. Sic Æsopus tribus obolis venditus traditur.

V O L E S C V S.

LEMURES) Spiritus nocturni, adversi & noxij mortalibus, quos
ut depellerent è domo, quibusdam sacris veteres fabas spargere con-
suevit Varro testatur lib. 1. de Vita patrum.

Ovo rupto) si frangatur ovum in sacris. Nam id veteres magna ex-
piatione lustrabant: nec enim liratam putabant, si ovum fuisset ru-
ptum. Erat & ovum quod anguinum vocant, in Gallia maximè cele-
bratum apud Druidas, quod valere dicebant ad litium victorias, &
ad regum aditus: tantæ vanitatis (ut Plinius tradit) ut C. Cæsar e-
quitum Rom. quòd id in lite haberet in sinu, interemerit.

Galli) sacerdotes Cybeles castrati.

Grandes) venerandi & longævi. *Lusca*) vinolenta vel insana.

Prædictum) id est, nisi ter antea nomines quàm gustes.

Dixeris) concludit satyram à mortalium insania & ignavia: qui cū
sunt insulsiissimi, sapientes derident.

Hæc) quæ disputantur à philosophiæ studiosis.

Varicosos) vitiosos, & militiæ labore corruptos plebeios milites.

Crassum) oratorem.

Vulpenius) magnus centurio.

Ov o) Veterum opinionem tangit, qui credebāt eum malè habiturum, cui ovum in expiationibus igni impositum rupto putamine effluxisset.

Galli) Cybeles sacerdotes, sic dicti à Gallo, quem accolunt Phrygiæ fluvio. Hi Samia testa virilitatem sibiipsis amputabant: unde & descendere & corpore fieri crassiore. Quamvis sint qui ad dignitatem hoc referant, eo quòd isti ob Deæ reverentiam cæteros sacerdotes præcedebant. Strab. lib. 10. Fenestel. cap. 12. Camers super 6. & 15. cap. Solini.

Varicos) varix vena in cruribus grandior propter laborem.

SATYRA SEXTA AD CÆ.
SIVM BASSVM.

ADMOVIT iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ,
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,

Atque marem strepitum fidis intendisse Latine,
Mox iuvenes agitare iocos, & pollice honesto
Egregios luisse senes? mihi nuuc Ligus ora
Intepet, hybernatq; meum mare, quâ latus ingens
Dant scopuli, & multa litus se valle receptat.

VALENTINVS.

SVPERIORIBVS quinque Satyris sermones Horatianos est imitatus: nunc epistolam: Sumpta autè occasione (de qua infra) dialogismo concludit inter se & hæredem suum quicumq; is deniq; sit futurus. Sabino) quòd ea regio frigida sit.

Lyra) .i. Lyricum né opus meditaris. Dicuntur autem vivere chordæ cum moventur & sonant: quòd mortui non faciunt. Respicit tamen etiam augurium vitæ & immortalitatis suis operibus.

Tetrico) severo: sicut supra marem strepitum.

Mire opifex) à peritia artis Lyricæ illum commendat.

Numeris) ad intensiorem nervorum videtur respexisse, unde numeri oriuntur. Interdixisse autem respicit ad excellentiam: nam intensum dicimus, quòd eò deductum est, ut altius trahi vix possit.

Marem)

Marem) fortè, robustū sonū, severū & antiquis illis vocib. consonū. Fidis) singulari etiam usus Horatius, Fide Cyllenia & Teia. Mox iuvenes) mitiores lyricas materias intelligit, quales in arte describit Horatius. Et iuvenum curas, & libera vina referre Pollice) ut Horatius, meiq; pollicis ictum.

Ludere) ludere, licet perpetuum Poetarum sit: magis tamen his ludicris congruit. Luserunt autem & quandoque egregij senes, ut de Scipione, Lælio, Catone & alijs memoriæ proditum est.

Mibi nunc) tu quidem canis & Musis operam das in Sabinis: ego autem ocior. Et locum indicat.

Intepet) teper valde & opponitur foco Sabino: vel intepet, non teper, quòd suadent sequentia. Meum) ligusticum.

Latus) recessum illum littoris ostendit se receptantis multa valle, quòd scilicet frequentia promontoria ibi in mare procurrant. Multa autem valle dixit, sicut Horat. multa cane.

P O L S C V S.

ADMOVIT) Cæsius Bassus poeta Lyricus, quem Fabius, Horatio proximè dicit accedere, hyeme in agrum Sabinum secesserat: Persius verò in agrum Lunensem, qui mari Ligustico imminèbat, ad Sabinū igitur amicissimū sibi Persius scribit, excitans illum ad Musas: deinde frugalitate laudata eos mordet, qui cum sint ditissimi, nō cessant fœnerari, & mercaturā exercere, ut divites relinquunt hæredes.

Sabino) Sabinæ villæ. Sunt Sabini inter Umbros & Latinos.

Peterum) quoniam ante carminis inventionem fuit lyra: & veteres non voce sed sono carmina exprimebant. Nam lyra inventio Mercurio tributa est: carmen verò heroicum vates Phemonoe in templo Apollinis Delphici longè postea invenit, ut autor est Strabo. Carmè Lyricum Sappho Lesbia reperit, à qua Sapphicum dicimus.

Marem) virilem, non effœminatam.

Tetrico) severo: à Tetrico monte Sabinorū, qui difficilis est, quemque ideo Virgil. severum appellat.

Ligus) ligustica, quæ est inter Galliam & Hetruriam in ipso Apennino monte, ut Strabo.

Mare meum) Mare Ligusticum subiectum meo agro.

Hybernat) more hyberno intumescit. Hybernare dicitur Mare, cū navigari non potest, ut naves in hybernis contineantur, ut milites.

Latus) amplitudinem Lunæ portus notat, qui multos, ut Strabo scribit, intra se portus amplectitur, magnæ profunditatis universos, ita ut omnes, qui maris imperium tenent, in se commodè possent recipere. Vnde verisimile est exclamasse Ennium in primo Annalium, Lunæ portum est operæ cognoscere cines. Mare Ligusticum dicitur cum

Tyrrheno iungitur: utrumque tamen uno vocabulo Tyrrheniam dicimus, ea parte qua montes in mare exporrecti faciunt ingens latas, ut hic dicitur. Nam celsis montibus (ut Strabo scribit) portus ipse circumcluditur.

E N G E N T I N V S.

ADMOVIT) Ad Cæsium Bassum poetam Lyricum hanc scribit Satyræ, qua paucis quibusdam præmissis, ut sit inter amicos, in eos invehitur qui sordidissime vivunt ut hæredibus multa relinquunt.

Veterum) carmina. Nam versus ante profam fuerunt. Plin. lib. 7. cap. 56. Intendisse) intentis nervis accinuisse.

Tetrico peccine) i. Sabino plectro: à Tetrico monte Sabinorum asperrimo, à cuius asperitate homines tristes atque severi, tetrici dicuntur. Ligus) Liguria. Plin. lib. 3. cap. 5. Strab. lib. 5.

Intepet) innuit Liguriam magis tepidam hybernis temporibus esse, quam sub alio cælo & regionibus.

Lunai portum est opera cognoscere, civis.

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse

Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

Hæc ego securus vulgi, & quid præparet Auster

Infelix pecori: securus, & angulus ille

Vicini, nostro quia pinguior: etsi adeo omnes

Ditescant orti peioribus, usque recussem

Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,

Et signum in vapidâ naso tetigisse lagena.

V A L E N T I N V S.

LVNAI) Facetè versus Ennij adducit, quo ostendat se nobili in loco morari, & maximi portus meminit. Luna autem magna in illa regione civitas fuit, de qua Martialis:

Cæsus Etruscæ signatus imagine Lunæ.

Iam dudum autem deficere cæpit, ut per Dantem: adhuc tamen regio adiacens Lunegiana vocatur: de quo nomine videndus est Annius Viterbiensis: tum quæ illius portus vestigia supersint: nam aliqui ex uno duos factos arbitrabantur porto venere & la Specie, quam nescio cur Spediam vocant, an à mercibus expediendis.

Operæ) subaudi præcium. Videtur autem fortè Ennius hoc carmine uti,

ne uti, quod vellet civis ad mercaturam invitare, ut Horat.

O civis civis, quærenda pecunia primum,

Cor iubet) hoc est propriè testem laudare, quod non satis videtur Valla, ni fallor, percepisse: quasi dicat, Cordatus vir Ennius, qua parte maximè pollebat, corde scilicet, hoc volebat & iubebat. Hoc totum autem iocosè, unde subiicit, hoc Enniū illum dixisse, qui per palin-genesiam Pythagoricam sexies factam, ex pavone, Pythagora, & Homero, Ennius evaserit.

Destertuit) Mira energia, qua innuit somnia hæc fuisse: alludens ad Horatij illud, somnia Pythagorea.

Securus) sine cura, ut Virg. securus armorum Germanæ.

Præparet) serè Virgilij sunt, & numerus: quid cogitet Auster. Huius autem veri meminit, quod ei maximè exposita sit tota illa ora Liguriæ: quæ plerunque infestum experitur,

Usque recussem) ut nos dicimus, non mi voglio mo tuor la vita per questo.

Cœnare) non ne perdere boccone: quod significat illum adeo cura huius rei solutum, ut sine uncto & alijs irritamentis gulæ possit cœnare, non fractus orexi & appetitu edendi, quem solent curæ deijcere.

Signum) quod de cibo dixit, idem de potu dicit.

V O L C V S.

LVNAI) Ennij versus est in primo Annalium, cum describit portum Lunæ. Est genitivus hic. Veteres enim diphthongum Æ solvebant, ut Fabius meminit.

Cor) sapientia. Nam & cordatos homines sapientes dicimus.

Mæonides) Homerus, vel à Mœonia patria, vel à Mœone patre: ut scribit Ephorus: vel à Mœone rege qui illum educavit.

Hic ego) commendat se à frugalitate, & officium suum in agro Lunensi ostendit.

Securus) remotus à vulgari strepitu. Angulus) ager angustus.

Uncta) id est, non utar avaritia, ita ut sicco cibo & paupere cœnem, & vappam sorbeam, in verso vase.

E N G E N T I N V S.

LVNAI) Ennij versus est, quem Persius citans locum innuit in quo hybernat: velit nempe in portu Lunæ. De quo Strabo, lib. 5. Plin. lib. 3. cap. 5.

Cor) i. ipse Ennius, qui dicebat se habere tria corda, quod loquere-tur Oicè, Græcè & Latine. Gell. lib. 17. cap. 17.

Mæonides) stultâ hic Ennij opinionè obiter carpit, qui Pythagoræ palin-genesiam secutus, animasque de corporibus in corpora transire putans: se aliquando Homerum fuisse in principio suorum Annalium

gloriatur. Quòd verò quintam dicit, iuxta Pythagoræ opinionem accipiendum est, qui dicebat, animam suam primitus in pavone fuisse, deinde in Euphorbum belli Troiani tempore transiisse: postea in Homerum, tandem in Pythagoram, postremò in Ennium pervenisse. Ovid. 15. Metam. Lanctant. lib. 7. cap. 23. Laert. de Vitis philosophorum lib. 8. cap. 1.

Securus) significat Perseus se nunquam ita aliena foelicitate angere, ut non capacissima vasa exhaurire velit, tanquam is quem nulla cura moveat. *Vincto*) cibis lautioribus.

Discrepet his aliis: geminos, horoscope, varo

Producis Genio: solis natalibus est qui

Tingat olus siccum muria vasfer in calice empta,

Ipse sacrum irrorans patinae piper: hic bona dente

Grandia Magnanimus peragit puer. utar ego, utar,

Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,*

Nec tenuem follers turdorum nosse salivam:*

Messe tenuis propria viue, & granaria; fas est,

Emole. quid metuas? occa: en seges altera in herba est.

VALENTINVS.

DISCREPET) Nunc sumit occasionem Satyræ à suis, & ab alijs diversis moribus, quos supra posuit: & hanc prosequitur diversitatem, mala carpens & bonum querens.

Varo genio) diversa natura.

Solis natalibus) perinde ac si dicat, alius est sordidus, alius prodigus: & primo sordidum describit.

Olus siccum) tanquam melius: nam, ut inquit Horatius, *Irriguo nihil est dilutius horto.* Vel alias siccum non unctum, non tinctum muria, Tingerè autem pro *Sic seiv, bagnar,* ponit.

Muria) verbum quo per sepe Horat. utitur in obsonijs gulonum.

Calice) modicitatem indicat, qui & muriam emat, & in calice, ne profectis dieb. aliquid superet. *Ipse*) nò alterius ministerio còsilius.

Sacrum) quo tanquam sacro utitur: & illi parcit.

Irrorans) in morem roris minutim spargens.

Hic bona) nunc vitium luxuriæ arripit.

Dente) ex multis, quibus bona consumuntur, elegit illud quo citius patrimonia absumuntur.

Magnanis

Magnanimus) Hoc scilicet magnanimitati tribuens, ut Horatius: *Sordidus atque animi quòd nolit parvus haberi.*

Peragit) Verbo perfectionis etiam rei finem indicat & defectum, ut Latinis consumere & consummare; nobis *affinere.* Sed frangit, quo supra usus est, denti convenientius, fortè fuisse & ipsi gulæ.

Puer) Videtur ad ætatè respicere, quòd adhuc in iuvenili ætate id agat: tum mentè indicat puerilè, quia maximè cibo aluntur pueri.

Iter) Apponit iudicium suum ad virtutem pertinentem in medio positum & in usu rerum non in abusu consistentem.

Rhombos) preciosos pisces.

Libertis) Perstringit aliquem qui hoc agere debebat.

Nec tenuem) Alia luxuriæ significatio, nosse subtiliter salivam, id est, saporem: *tenuem*, hoc est, parvo discrimine constantem, ut vidi, qui inter turdos iunipero pastos, aut non, discrimen nosset.

Messe tenuis) Elegans consilium & utile: *Tanta sia la spesa, è l'uscita, come l'entrata*, ut inquit proverbium: *in capo d'anno tanto il dar come l'ha vere.* Hoc suadet, nec plus nec minus expendendum.

Granaria) pro granorum multitudine posuit.

Fas est) Non tantum humano, sed & divino congruens iuri, ut de Deo bene sperare scilicet videamur, & providentiæ confidere, qui possit & velit sequente anno, quod & præsentis fecit. Ideo subit, quid metuis? quasi utatur improprij voce, qua Dominus noster *ὁ θεός*, modicæ fidei.

Occa) Sic & nos dicimus, invitantes ad largum usum: *nascano: quando io dormo ho chi lavora per me.* Occare autem propriè est frangere glebas maiores.

VOLSCVS.

DISCREPET) Incipit iam transire, ut inducat secum avarum litigantem. *Geminos*) eodem partu natos.

Solis) Notat geminorum diversitatem.

Vasfer) in dusterius ad parsimoniam, vel potius avaritiam.

Siccum) malè paratum & sine condimento.

Muria) Muria est, ut Plin. scribit, *salsugo ex liquore pisciù facta.*

Sacrum) tanquam sacrum & non tangendum.

Hic) alius ex geminis.

Turdorum) an scilicet sint in aviario educati, an sint sylvestres.

Occa) ara & glebas frange: Occare est glebas frangere, ab occidendo, hoc est, contundendo, ut Varro vult: quod fit cum aratrum glebas grandes vertit,

ENGENTINVS.

SICCVM) Muria salsamentum est quoddam, seu liquor ex pisce

thyngo confectus, qui secundum locum obtinet à garo, quod ex Scombis laudatissimum fiebat. Plin. lib. 31. cap. 8.

Sacrum) quo adeo parcè utitur, ac si res sacra esset.

Rhombos) De Rhombis Plinius libro 9. cap. 20. De turdis libro 10. cap. 24.

Salivam) Erasmus in proverbio, *Salivam imbibere*, dicit salivam hinc pro gustu accipere.

Messe tenuis) id est, quantum facultas tuorum proventuum admittit. De Tenuis, vide Vallam lib. 2. cap. 46.

*Asi vocat officium. trabe rupta, Brutia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem, surdaque vota
Candidit Ionio. iacet ipse in litore, & una
Ingentes de puppe Dei: iamque obvia mergis
Costa ratis laceræ. nunc & de cespite vivo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Cerulea in tabula. sed cœnam funeris, hæres
Negliget iratus, quod rem curta veris: urnæ
Ossa in odora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casæ, nescire paratus.*

VALENTINVS.

As r) Verba avari quærentis parsimoniam prætextum, quod scilicet quandoque accidant amicis infortunia, quibus sit succurrendum ex officio: ideo parcendum esse reddituum abusu.

Trabe) Species officij, cum amicus passus est naufragium, quod egregiæ commiserationi movendæ inducit avarum oculis subijcientem. In naufragio autem benè voce trabis utitur: licet etiam pro tota nave ponatur.

Brutia) vicinum locum ponit, ita ut amici miseriam ignorare non possis.

Prendit) Ostendit periculum submersionis: ut Virgilius in 5. presentis verbo usus est.

Surda) id est, ut Virg. *Nulli exaudita Deorum*: ut sint surda fata, quasi surdis facta.

Ionio) scilicet mari.

Iacet) spectaculum derelicti subijcit oculis.

Picti) scil. in puppi. Ostendit autem eius pietatè esse dignam miser.

fericordia, ut qui Deos suos omni diligentia voluerit conservare.

Mergis) avibus aquaticis, quæ ad trabes advolant, & inde prædam captant.

Ratis) Bellè ratem posuit, cuius natura est, ut facilè dissolvatur in trabes.

Nunc) quasi dicat, ex ipsa proprietate aliquid dandum est, non tantum ex messe aut redditibus. Quid amplius nostri possent dicere, cum & sacra vasa & bona templorum volunt divendi his ex causis, non tantum fructus distribui? Ideoque hinc dicitur de vivo cespite dandum, sicut supra vivos ungues. Sicut autem cespes non totus fundus, sed particula est: ita aliquam particulam fundi & prædiorum suadet impertiendam.

Cerulea) in qua sit pictum cœruleum mare.

Sed cœnam) Alius prætextus avari conantis reperire excusationem parsimoniam in fructibus annuis, & multò magis in proprietate, timore futuri hæredis, qui nõ sit diligenter curaturus funus. Cœnam autem funeris aliqui ex nostris vocant, *Co. redo*.

Curta veris) Curtum non tantum quod parvum est, sed cui aliquid desit, vel sit minutum.

Ossa) Sic loquitur de unguentis, quæ cum cadaveribus ponebatur.

Surdum) Quod erat auditus transtulit ad odoratum, ut Horatius ad palatum: *exurdant vina palatum*.

Ceraso) Hoc ad adulterinos odores pertinet.

V O L S C V S.

As r VOCAT) Obiectio adversarij: officium, quod amico debet, vocat me ad parsimoniam, ut possim illi aliquid suppeditare.

Brutia) scopulos maris Brutij. Brutij dicuntur quasi fugitivi Lucanorù lingua: quorum fuerunt pastores, & ab his fugientes, loca habitaverunt, quæ sunt à Lucanis ad Rheginos.

Surda) quæ in tanto naufragio Dij non audiverunt. Ionium mare quod cum Siculo iungitur, ab Ione Naulochi filia, quam Hercules interemit, dictum est.

Puppe) in puppe depicti. Nam in navibus Deos pingebant.

Mergis) avibus marinis à mergendo dictis.

Nunc) in tanto naufragio.

Cespite) Perstitit in metaphora. Nam alludit ad id quod dixit,

— *& seges altera in herba est.*

Cœnam) Avarus causam reddit, quare sit rebus parcendum. Aludat autem ad commestationes, quas in funere curando solebant habere.

In odora) sine odoribus, quos solebant rogis adhibere:

OFFICIUM) Liberalitatis erga amicum.

Brutis) Rupes in mari infero intelligit. Nam Brutij & Lucani finitimi Italiae populi sunt, incipientes à Silaro amne, authore Plin. lib. 3. cap. 5.

Surda) à Dijs non exaudita.

Ionio) Hoc mare in finibus Italiae est ab Ione Naulochi filia, quam Hercules interfecit, dictum auctore Solino.

Ingentes) Magna simulacra Deorum. der gross Gott zu Schafhausen.

Mergis) Plin. lib. 10. cap. 32. & 18. cap. ultimo. Men. b. d. c.

Cenam) Feralem cenam intelligit, in qua epulae ad sepulcrum mortuorum deferri solebant.

Offa inodora) sine odore. De unguentis vide Plin. lib. 12. cap. 19.

De Cinamomo praesertim. De casia lib. 12. cap. 9. De Cerafo lib. 15. cap. 25.

Num sollicitus es, inquit poeta, ne parum magnifice efferatur fenus tui ab haerede; si aliquanto comodius vixeris? certe ego ait, si ob res feliciter à Cesare gestas velim Dijs hecatombem offerre, & populo epulum largiri, nihil morabor haerede meum.
* indico.

Tunc bona incolumis minuas? sed Bestius urget

Doctores Graios ita fit, postquam sapere urbi

Cum pipere, & palmis venit nostrum hoc, maris experts,

Fenisea crasso vitiarunt unguine pulles.

Hec cinere ulterius metuas? at tu, meus haeres

Quisquis eris, paululum à turba seductior audi.

O bone num ignoras? missa est à Cesare laurus

Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris

Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,

Iam chlamydas Regum, iam lutea gausapa captis,

Esedaque, ingenteis que locat Caesonia Rhenos.

Dijs igitur, Genioque Ducis centum paria, ob res

Egrege gestas, * induco. quis vetat? aude.

Vae, nisi connives. oleum, artocreasque popello

Largior. an prohibes? dic clarè. non audeo, inquis:

V A L E N T I N V S.

TVNE) Verba irati heredis.

Incolumis) non infirmus aut captivus: quo casu dignus excusatione esses, si tua causa & tua necessitate hoc fecisses. Nemo aliena causa mis

sa minuisi patrimonium; hoc igitur ultionis habe, ut condaris in odoris.

Bestius) Avari nomen est: qui urget increpationibus, maledictis & execrationibus.

Graios) Arguit philosophiam Graecanicam, quæ omnibus rebus utendum suadet, & ut nobis res, non nos rebus subdamus, ut inquit Horatius: à quo sunt alienissimi avari. Et praecipue Epicureos damnat, qui genio indulgendum docebant.

Ita fit) Tuetur avaritiam suam severitate maiorum, à quorum moribus sit degeneratum.

Sapere) id est, hæc doctrina & novus vivendi modus, antiquis incognitus, tantæ lauticiei.

Urbi) Romæ; nam de ea intelligitur, l. Urbem. De verb. signif.

Venit) provenit in Urbem: sed dativus hic aptus est ad perniciem significandam.

Cum pipere) peregrinis scilicet rebus, parum cognitis antiquis.

Experts) Sic Horatius: Alcon maris experts: quasi dicat: illorum quidem victus elegans transmarinus, sicut vina inde advecta: noster autem crassus, qui vinis maris expertibus utamur. Et sic victus rusticior hic intelligitur.

Fenisea) Postquam hæc doctrina damnavit, luxuries invasit etiam rusticos sub feniseearum nomine designatos, qui pullem, consuetum cibum respuunt, nisi sit unguentatus.

Hec cinere) Persij responsio.

At tu meus) Licet satis responsum sit, has responsiones (licet æque essent) nihil ad mortuos pertinere: tam è si rationibus sit certandum, iam nolo cum hærede delitigare, & iucundo sanè id efficit dialogismo.

Laurus) Laureatas intelligit literas, quæ re bene gesta Senatui ab Imp. mittebantur. Cæsarem autem Neronem sui temporis Imperatorem intel ligere videtur.

Pubis) Pubem dixit, ut Horat. Nec fera cerulea domuit Germania pube: de quorum pubertate videndus Tacitus in eorum moribus. Certè hoc Romanum nomen cum multis alijs retinere videntur, dum adulescentulos bub. vocant, quasi qui puberes sint.

Aris) Hæc publicæ demonstrandæ lætitiæ ponuntur.

Rhenos) vel homines ipsos Rhenū accolentes, qui magni sunt: vel vestis genus. Rhenones vocati, ex quorum magnitudine etiam virorum, qui illis uterentur, magnitudinem indicat: vel Rbenum ipsum fluvium depictum; cum in duo cornua magna scindatur, Batavorum insulam efficiens, unde bicornis Virgilio dicitur: licet & tertium postea à Druso additum opere manufacto dicatur.

Cæsonia) uxor Cæsaris.

Paria) scilicet gladiatorum, qui ad exhilarandum populum solebant exhiberi.

Induco) in theatrum.

Væ) Videtur eo modo positum, quo & nos utimur, *Væ, se non sui lætal cosa, io fero costi.*

Oleum) Talia enim solebant populo donari.

Dic clarè) Iocose: quasi ille submurmurasset tanquam inuitus.

V O L S C V S.

TVNE) Verba sunt hæredis.

Bestius) Cum indignatione hoc Persius dicit in hæredem, qui Philosophos damnabat, quod causam dederint luxuriæ, cum causa fuerit commercium Asianorum. Voce eadem utitur Horatius:

Diceret urendos correptus Bestius idem.

Græcos) Græcos philosophos, quos dicit causam dedisse luxuriæ: cum disputassent de liberalitate.

Expers maris) quod antea simplex erat, nullo habito maris commercio: nondum navigantibus Asianis in Urbem, aut Romanis in Asiam.

Fœnifecæ) rustici qui fœnum fecant.

At tu meus) Persius conversus ad hæredem loquitur sub æmulæ persona.

Obone) Persij sermocinatio est cum hærede.

Laurus) Literæ de victoria & triumpho. *Cæsare*) C. Caligula.

Cæsonia) C. princeps Cæsoniam unice amavit, ut Tranquillus scribit. *Postibus*) templorum.

Chlamydes) regum vestes, quibus utebantur in bello.

Lutea) id est, crocei coloris.

Effeda) vehicula Britannorum & Gallorum.

Rhenos) depictum Rhenum.

Popello) Solebant in triumphis & victorijs uti largitione, & populo dare congiarium.

EN GENTINVS.

TVNE) Avarus hæc secum vel hæres ad avarum.

Palmis) Plin. lib. 13. cap. 4.

Maris expers) id est, quam sapientiam non traiciendo mare, sed nostra sponte in Vrbe accepturus. *Vnguine*) condimento pinguis

Laurus) signum victoriæ: Plin. lib. 15. cap. 30.

Cæsare) Suet. in vita Caligulæ. *Chlamydis*) vestes militares.

Lutea) crocei coloris stragula. *Cæsonia*) uxor Caligulæ.

Rhenos) accolæ Rheni.

Ex.

Exossatus ager iuxta est. agè, si mihi nulla

Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis

Nulla manet patru, sterilis mater tera vixit,

De que a via nihilum superest: accedo *Bouillas*.

Civumq; ad *Virbi*. præsto est mihi *Manius* hæres,

Progenies terræ, quære ex me, quis mihi quartus

Sit pater, haud promptè, dicam tamen. adde etiam unum,

Vnum etiam: terræ est iam filius, & mihi ritu

Manius hic generis prope maior auunculus exit.

Qui prior es, cur me in decursu lampada possis?

V A L E N T I N V S.

EXOSSATVS) Tandem perspicuus Persius hæredem ex animo adduci non posse, ut assentiat ipsi, sumptus pro dignitate & libertate instituenti: minatur se sibi quæsiturum hæredem ignotum: & hoc eo modo facit, quo loco quodam Horatius: *Sume catelle, negat:* cum nos alteri velle dare fingimus, quod puerum renuentem accipere, invidia & æmulatione accendamus. Ideo primò hæreditatè suam commendat, quod continens in suburbano sit & sine saxi. *Exossatù* enim vocat agrum totum terreum, ex quo lapides & saxa tanquam ossa in corpore: ut in oraculo Pyrrhæ sint eiecta,

Si mihi) pro, quando quidem mihi nulla est successio, nedum per lineam masculinam.

Bouillas) videntur fuisse loca, ubi expositi infantes nutriebantur.

Progenies) verba hæredis iam destinati, qui hunc hæredem arguat, quod sit terræ progenies: quorum enim parentes ignorabantur (ut in his expositis) ij filij terræ vocabantur.

Quære) Iocunda responsio per quam Persius ostendit terræ illam progeniem sibi sanguine esse iunctam: ideoq; iure ad hanc successionem vocari.

Auunculus maior) Avunculum ponit pro patruo.

Propè) Iocose: indicans non ita exactè se hæc nomina & gradus iureconsultorum more ponere.

Qui prior es) Proverbium sumptum à currentibus in ludis cum lampadibus, in quibus præcedens rogabatur à sequente, ut ei lampada tribueret.

V O L S C V S.

EXOSSATVS) id est, lapidibus (qui sunt terræ ossa, ut Ovid. scribit) purgatus.

↓ 2

Age) Solvit ea quæ hæres potuisset obijcere.

Bovillas) quæ non multum ab Vrbe distabant.

Clivum) convallem & templum. quod erat inter montes in cava regione in nemore Aricino.

Virbi) id est, Dianæ, quæ Virbium, id est, Hippolytum in eo loco occultavit. Dianæ lucus, quod Artemisium vocatur, est in sinistra viæ Appiæ regione conscendentibus ex aricia in Aricinam viam, ubi erat Dianæ templum & adiacens lacus. Illic fervorum multitudo erat & mendicantium. Bovillæ enim proximæ erant, ut ex Pediano licet cognoscere.

Manius) unus ex his servis aut mendicis, qui sunt in Aricina sylva.

Terræ) cuius pater & origo nescitur. Livius tradit Urbis conditores appellasse universos cives terræ filios, ut omnibus æqua esset gentis origo: eos quoque terræ filios dicimus, quorum ignorantur parentes.

Prior) scilicet natu maior.

Lampada) facem quam primus solet dare sequenti.

EX OSSATVS.

EX OSSATVS) bene cultus.

Bovillas) vicum inter Romam & Ariciam in viâ Appiâ, ubi plerumque sedebant emendicantes stipem. Cicero pro Milone.

Virbi) intelligit Aricinum clivum, per quem ad Dianæ Aricinæ templum iter erat, ubi propter frequentem hominum eò confluentium multitudinem, mendici passim mendicandi gratia iacebant. Sic dictus ab Hippolyto, qui ab Æsculapio, Diana impetrante, vitam restitutus, Virbius, quasi bis vir fuisset, appellatus est.

Terræ) Proverb. *Terræ filius*. Politianus cap. 18. Miscell.

Ritu) habita ratione cognationis.

Sum tibi Mercurius: venio. Deus huc ego, ut ille

Pingitur. an renuis? vin' tu gaudere relictis?

Deest aliquid summe. minus mihi: sed, tibi totum est,

Quid quid id est, ubi sit, fuge querere, quod mihi quondam

Legerat. Stadius, neu dicta reponere paterna.*

Fœnoris accedat merces: hinc exime sumptus.

Quid reliquum est? reliquum? nunc nunc impensus unge,

Vnge

Tadius, nec
An parcè et
foridè, in-
quit, me vis
vivere, ut

Vnge puer cauleis. mihi festa luce coquatur

Vrtica, & fissa fumosum sinciput aure,

Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis,

Cum morosa vago singuliet inguine vena,

Patriciæ immetat vulvæ? mihi trama figura

Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter?

VALENTINVS.

SVM TIBI) Hæc pro Persij verbis interpretor, qui, tanquam nō audierit quod hæres concesserat, Manium alloquitur audiente hærede destinato.

Mercurius) iuxta illud, *Homo homini Deus*, Deus nimirum lucri.

Pingitur) videlicet ad celeritatem, Nam, ut ait Virgilius, cum talaribus pingebatur.

An renuis) vertit se ad destinatum hæredem: quasi dicat, es ne adhuc eius animi ut renuas?

Deest) verba hæredis.

Minui) responsio poetæ elegans, licet & superiora in eius persona intelligantur. legendo interrogative.

Fuge) verba Horatiana: non ad te pertinet mecum inire rationem quid factum sit de hac vel illa re, & in quem usum consumpserim legatum mihi à Stadio factum.

Neu dicta) id est, ne patrem agas. Sumptum à parentibus, qui voluit scire ab ephēbis, quid de pecunia egerint quæ ad eorum manus pervenit. *Repone* autem, videtur eo sensu dictum, quo Horatio.

Scriptor honoratum si forte reponis Achillem:

& aliàs sæpè de repositione fabularum.

Fœnoris) verba proculdubio hæredis, exaggerantis tanquam in re sua sumptus: quasi dicat: consumpsisti non tantum rem ipsam, legatum scilicet Stadianum, sed etiam tot fructus, quos mercedem fœnoris rectè vocat. Nam fœnus sicut fœrus, & eò magis quòd fortè in pecunia numerata ad usuras collocata, erat illud legatum.

Exime) verba Persij dicentis: tu quidem hæres sollicitè meministi eorum, quæ ad manus meas venire: sed exime & subtrahere sumptus necessarios, & rebus ipsis & victui meo. quasi dicat: hæc ego infumpli, quid ad te? & solet etiam hoc modo apud nos ludi, dicendo, *canis me le spēse.*

Quid reliquum) verba hæredis, computatis sumptibus, tandem petentis, quid reliquum sit.

Reliquum?) ex more indignantium, qui verba repetunt, hæc Persio attribuenda: quam indignationem subiecta duplex repetitio mirè auget.

Vrtica) vilis herba ubique nascens.

Extis) opponit, sinciputi sumoso. Hæc autem in magno censu fuerit, ut, ficis pascum iecur anseris albi: & meminit Horat. Magna autè vis in verbo satùr, quâsi patinam Æsopi exprimat.

Trama) eo modo quo nos in proverbio, *non mangiar per non cacar: non esser se non pelle & osso*. Ex abstinentia ab esu maximam indicat gracilitatem: sumpta metaphora à tela, in qua trama est pars subtilior à transmeando dicta.

Omenta) partem pro omnibus intestinis ponit.

Popa) popa victimarius, qui in sacrificijs macabat: unde popa, venar quâsi multorum animalium & suum macator,

V O L S C V S.

MERCVRIVS) Deus lucri.

Pingitur) cum sacculo pecuniarum.

Paterna) quæ solent parentes luxuriosis filijs obijcere.

Fænoris) ponit verba quæ pater in filium solet habere.

Quid reliquum) verba hæredis.

Reliquum?) repetitio est cum indignatione sumpta ab avaro.

Festa) quando est lautius accumbendum.

Sinciput) pars anterior suilli capitis, quæ vilissima.

Vt tuus) Persij irrisio est in avarum.

Nepos) luxuriosus hæres.

Anseris) Conditum lacte anseris iecur, optimū est: ut scribit Plin.

Trama) Metaphora à tela, in qua stamina sunt & trama: trama peior semper est quàm stamen.

Popa) pinguedine turgidus. Popa enim ventrem nimia pinguedine inflatum & tumentem significat.

Omento) pingui panniculo. Omentum est panniculus qui ambit intestina.

E N G E N T I N V S.

MERCVRIVS) Author opum.

Pingitur) alatus & talaria habens in pedibus.

Decet) verba hæredis. *Paterna*) quibus pater administratæ ac expensæ pecuniæ rationem reposcere solet.

Accodat) sum Hauptgut.

Quid reliquum) hæredis verba.

Reliquum)

Reliquum) legatoris verba. *Vrtica*) Plin. lib. 22. cap. 11. aure) qua suspensum fuit ad fumum.

Nepos) hæres luxuriosus & ingluviei deditus.

Extis) Plin. lib. 10. cap. 28. *Trama*) subregmen der eintrag:

Popa) pinguis. Omentum autem est pingue illud seu membrana: qua intestina conteguntur.

Vende animam lucro, mercare, atque excute follers

Omne latus mundi, ne sit præstantior alter

Cappadocas rigida pingueis panisse catasta.*

Rem duplica feci: iam triplex, iam mihi quarto;*

Iam decies redit in rugam. depinge, ubi sistam,*

Luventus, Chrysippe, tui fenerator acerua.

*clausse
*duplex
*depunge,

V A L E N T I N V S.

VENDE) verba avari seipsum increpantis, quòd talia fecerit: neficius deinde, cui sit illa raliçturus.

Præstantior) Horat: *ne sit te ditior alter*: sicut & *omne latus mundi*.

Cappadocas) nam multi servi ex illa regione: nam æris indigens, illis abundant, Horat.

Catasta) locus in quo nutriebantur, à stando, ut puta in quo disciplinam adhiberi decebat, ideo rigidam vocat: vel fortè quia lignea essent tabernacula: nos etiam, *un gran monte di legna* catasta vocamus, & catastro magnum librum: licet & illa ligna etiam cavalla à magnitudine vocentur.

Rem duplica) ironica exhortatio ad divitias comparandas. Est imitatio Horatij cum de rotundandis talentis loquitur.

Rugam) pro, in plicam, quâsi decuplex sit.

Chrysippi) Proverbiale, *Chrysippeus aceruus* pro re infinita.

Tiguri. die 6. Novemb. anno. 1560.

V O L S C V S.

VENDE) Concludit satyram per Ironiam: concedit enim quod negandum est. Vendere autem animam dicuntur, qui peierando, ut auctius vendant, bona commendant.

Cappadocas) pueros & servos ex Cappadocia adveçtos, quæ est Asia provincia, unde venales servi advehebantur.

Rigida) difficili propter horridos servos.


Catasta) locus ubi servi erant venales, quorum pedes notabantur vilissima creta, quæ argentaria nuncupatur, nitore argenteo reddes.
Rem) patrimonium & peculium auge. Responso avari.
Ruga) Metaphora à vestibus.
Chrysiptus) Chrysiptus Apollinij Solensis sive Tarsensis filius, audivit Cleanthem & Zenonem Cyttiazum Stoicæ sectæ autorem. Ingenij solertissimi fuit: Epicurum in scribendo imitatus est. Nam volumina trecenta & undecim de Dialectica scripsit.

ENGENTINVS.

RIGIDA) Aspera.
Catasta) ergastulum seu officina in qua servi vincti suas artes exercere cogebantur.
Acerui) tuorum voluminum, quæ accumulasti in maximos acervos.
Cappodacas) Cappadocia regio Armeniæ finitima.
 Anno 1525. Cal. Angusti. Friburgi Brisgoiæ.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA IN SATYRAS PERSII PER IOAN. THOMAM FREGIUM. I. C.



SATYRA

SATYRA I.

Exordium, quo scribenda Satyra ratio proponitur, & introducit per profopopaiam Monitoriam dissuadentem.

Prima Satyra habet tres partes

Reprehensionem

Poetarum

- I à fine: quod scribunt ad captandum applausum populi: ubi introducit per profopopaiam vanam poetarum: ibi, Scribimus inclusi, &c.
- II quod Græca Latinis misceri: ibi: Ecce modo heros, &c.
- III quod affectant antiqua verba, & imitantur veteres poetas: ibi, Est nunc Brisei.
- IIII quod nimiam soni & concinnitatis, nullam sententiæ subiectionem habent: ibi, Sed numeris decor est, &c.

Oratorum: in quibus eandem vanitatem exagitat, ibi: Nilne pudet capiti, &c.

Conclusionem, ubi

- I Est rursus profopopæia Monitoris à scribenda Satyra deterrentis, ibi: Sed quid opus teneras, &c.
- II Est decretum Persij de Satyra scribenda: exemplo Lucilij & Horatij, ibi: Secuit Lucilius, &c. & desinit idoneum satyræ auditorem: ibi, Audaci quicumque, &c.

SATYRA II.

Secundæ Satyræ questio est, An Macrinus genio indulgere debeat: quod confirmatur duobus argu-mentis:


Adiunctis temporis, quod sit natalis eius dies. Hunc Macrine diem, &c.

Disimili, quod non ut vulgus impia vota faciat. Ostendit i- gittur quæ vota sint

Stulta, ut

- Avarorum, ibi: Ille sibi introrsum, &c.
- Muliercularum pro liberis & nepotibus, ibi: Ecce avia, &c.
- Intemperantiam, ibi: Pofcis opem nervis, &c.
- Agricultorum, ibi: Rem struere exoptas, &c.
- Pia, ibi: Quin damus id superis, &c.


SATYRA III.




Tertie Satyræ dicitur sunt partes:

SATY.


SATYRA IIIII.



SATYRA V.



SATYRA VI.



FINIS.

Auli Persij VITA.



VLVS Persius Flaccus, Olympiade 203. anno ab Vrbe condita 785, Imperatoris Tiberij 22: patre Flacco, matre verò Fulvia (vt anthor est Eusebius & P. Crinitus lib. 3. de Poetis Latinis) Volaterris Hetruriæ oppido natus est, quod idem ipse Satyra sexta videtur indicare cum ait:

Mihi nunc Ligus ora

*Intepet, hybernatq; meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle recepat.*

Hic cum moribus (vt Probus Grammaticus scribit) esset lenissimis ac virginali ferè verecundia, formaque modesta & pulchra, adolescens Rhemmio Palemoni in Grammatica, Verginio Flauio in Rhetorica, tandem Cornuto Stoico in philosophia operam dedit: quem vt omni officio ac pietate potius coluit & obseruauit, sic singulari beneuolentia & vitæ consuetudine in reliquum vitæ spatium sibi coniunctum tenuit, vnde sunt ista; Satyra:

Tibi nunc hortante camæna

*Excutienda damus precordia, quantaq; nostra
Pars tua sit Cornute anima, tibi dulcis amice
Ostendisse iuuat, pulsa dignoscere cantus, &c.*

Et paulò post:

*Tecum enim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis consumere noctes:
Vnum opus & requiem pariter disponimus ambo:
Atq; verecunda laxamus seria mensa.*

Prætextatus librum scripsit, & paucos vxori Traseæ & in Arriam matrem versus, quæ se ante virum occiderat, quos authore Cornuto magistro suo postea damnauit. Iuuenis verò Satyras sex, ingenij, solertiæ, acuminisque sui testes ædidi, plures fortasse emissurus, nisi in ipso ætatis flore, annum agens circiter trigessimum secundum,

Imperij Neronis 10. immatura morte oppressus interijc-
set. scilicet (vt ait Poeta)

*Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris,
Implentur numeris deteriora suis.*

Neque tamen sepultos Poetae manes sperata Satyricæ
virtutis sefellit gloria, cuius poema (ait Fabius) tantum
laudis apud omnes veræque commendationis habuit,
vt de eo passim illud vulgaretur, quod annis post aliquot
versibus persecutus est Martialis:

*Sapius in libro memoratur Persius vno,
Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.*

Satyra quid, & vnde.



SATYRA (vt Diomedii Grammatico placet) poema est procax
& maledicum, ad notanda & perstringenda vitia comparatum.
Huius etsi duo genera perhibentur, alterum quidem antiquius,
nec à Græcis modò, sed etiam Romanis vsurpatum: alterum verò
recentius, idque Romanorum proprium: tamen antiquius quid-
dem illud, fabule cuiusdam Atellanæ potius, quàm Satyræ speciem habuit.
Cuius origo & initium quò facilius intelligatur, rem totam paulò altius repe-
tam. Vetus illa fuit in Græcia & Italia consuetudo, vt agricolæ festis diebus ab
omni opere rustico soluti, cum genio indulgere, & sese iucunditati dare vellent,
iocularia quedam inter se conuitia funderent, & dicacibus scommatis inter se
lasciuirent: sic enim est apud Horatium epist. 1. lib. 2.

Agricolæ prisca fortes paruoque beati,
Condita post frumenta, leuantes tempore festo
Corpus & ipsum animum, spe finis dura ferentem:
Cum focijs operum, pueris & coniuge fida,
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant:
Floribus & vino Genium, memorem breuis æui.
Fescennina per hunc coniuncta licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit:
Libertasque recurrentes accepta per annos,
Lusit amabiliter, &c.

Quæ quidem consuetudo paulatim in pompas & solennes deorum ludos irre-
psit, in quibus veteres plaustris & carpentis per urbem errantes, obuios quosque
scommatis mordacibus consuebant, & extemporanea in vnumquemque poe-
mata summa libertate effutiebant, vt vetus Græcorum & Ægyptiorum, id est, è plau-
stro prouerbum declarat: vnde tandem factum est, vt poetæ facerisimi ho-
mines

mines (quorum opera plerique ad hoc genus conuitiandi abutebantur) hanc to-
tam maledicendi libertatem summa spe impunitatis sibi assumperunt, suisque
versibus ad carpenda populi vitia publice priuatimque intemperanter abuti ce-
perunt. Sic enim de Græcis poeta loquitur Satyra quarta, 1. Sermonum:

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poetæ,
Atque alij, quorum comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quòd mæchus foret, aut ficcarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Quos deinde secuti & imitati Latini veteres, fabulas amarulentis sepe salis
bus & dictis in nobilissimum quemque iocularibus plenas edere & publice re-
citare non prius destiterunt, quàm (vt ait idem poeta epist. 1. lib. 2.)

Iam sæuus apertam

In rabiem cœpit verti furor & per honestas
Ire domos impunè minax, doluere cruento
Dente lacesit, fuit intactis quoque cura
Conditione super communi, quinetiam lex
Pœnaque dicta, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi: vertèrè modum formidine fustis,
Ad bene dicendum delectandùmque parati.

Itaque huius legis seueritate extincta est & plane sepulta veteris illius Saty-
ræ, vel potius, vt antè dixi mordacis & Satyricæ fabule memoria; non in
Græcia modò, sed etiam tota Italia: cuius scriptores egregij celebrati apud Græc-
cos fuerant, Æschylus, Achaëus, Cratinus, Cratinas, Lycobron, Demetrius
Tarsicus, Xenocrates, Timon, Philiastus: apud Latinos verò Liuius Androni-
cus, Ennius, Pacuuius, Varro Romanorum doctissimus, qui Cynicas, vt non-
nulli vocant, vt ipse Menippeas scripserat fabulas. Atque hic veteris Satyræ
cursus fuit. Noua verò quæ dicitur, tota Romanorum fuit propria, Romæ pri-
mum à Lucilio edita, vt circa finem primæ Satyræ dicitur. Lucilius enim acer-
rimi ingenij & miræ urbanitatis poeta, cum corruptos & deprauatos ciuium
suorum mores diutius ferre non posset, veterem illam propè iam antiquatam &
obsoletam maledicendi scribendiq; libertatem reuocauit, Scipionis & Lælij æta-
te, circiter annum Urbis 600. mutato tamen poematis genere: nouum enim
commentus est, quod & ipse, & qui eum imitati sunt, velut proprio & peculiari
nomine Satyræ appellarunt. Cuius nominis rationem alij à quodam lanceis ge-
nere deducunt, quo primitiæ ad sacra Cereris inferebantur, quod vt in ea lance
diuersorum generum fructus disponebantur: sic in Satyra variæ res & diuersæ
tractarentur, quibus Satyra expleatur, & tanquam saturetur. Alij verò à Sa-
tyra farciminis quodam genere, quod diuersis rebus infarciebatur: quam opinio-
nem secutus est Varro, & Festus Pompeius: de quibus vide Erasmus in Pro-
uerbio, Per Satyræ. Alij verò à Satyris dijs rusticis, sub quorum persona huius-
modi poema in theatro recitaretur, vel quia in huiusmodi Satyris ea plerumq;
commemorantur, quæ Satyros potius, id est libidinosas, lasciuas, & ad omne
genus voluptatis proclines pecudes (quales sunt Satyri) quàm homines deceant

4.
 Vel ut personæ huius nouitate & leuitate gestuq; & motu illo incompofito & ad rifum comparato (qualis solebat Satyrorum eſſe in Scena) audiendæ Satyræ, plenæ ſcilicet reprehentionis & ſupercilij, moleſtia leuaretur & mitigaretur: quod ſignificare videtur Horatius in arte, cum ait:

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum,
 Mox etiam agreſtes Satyros nudauit, & aſper
 Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quod
 Illecebris erat & grata nouitate morandus
 Spectator, functusque ſacris, & potus & exlex.

Itaque hiſtriones ad recitandas Satyras, Satyrorum formam & habitum ementiebantur, villoſis tunicis, perizoniatis, & hircorum pellibus, aut etiam vitulorum marinorum pilis: & ex ætate diuerſa nomina fortiebantur, qualia ſunt iſta apud Iulium Pollucem, Satyrus canus, Satyrus impubis, Satyrus adoleſcens, Silenus auus. Scena autem, ſiue locus in quo Satyra agebatur, arboribus (vt ait Vitruuius) ſpeluncis, montibus, et alijs rebus agreſtibus in topiarij ſpeciem compoſitis ornabatur, cuiuſmodi eas regiones eſſe dicit Plinius lib. 6. capite 30. quas Satyri colunt: ſunt enim reuera Satyri (ait idem Plinius libro ſeptimo, capite ſecundo) ſubſolanis Indorum montibus (Catardulorum dicitur regio) pernicioſiſſimum animal, tum quadrupedes, tum recte currentes, humana effigie, propter velocitatem, niſi ſenes aut ægri non capiuntur: cuiuſmodi cum multi in India (ait Diodorus Siculus lib. 5.) Dionyſio oblatis fuiſſent, propendente ad umbilicum uſque coma, corniculis inſigniti & capripedes, hos poeta paſſim Bacchi comites appellant, vt Ouidius 1. Artis:

Ecce leués Satyri præuia turba Dei.

Hos ſtulta antiquitas, pro dijs coluit: vnde ab Antonio eremita viſum in ſolitudine huiuſmodi Satyrum ſcribit Hieronymus, qui ſe ex eorum numero eſſe diceret, quos vano errore deluſa gentilitas Fauos Satyrosq; appellaret. Sed de Satyra ſatis.

A PER.

A. PERSII FLACCI

IN SVAS SATYRAS

PROLOGVS.



*N*EC fonte labra prolui Caballino:
 Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
 Memini: vt repente ſic poeta prodirem.
 Heliconidasque, Pallidamq; Pyrenen
 Illis relinquo, quorum imagines lambunt
 Hederæ ſequaces: ipſe ſemipaganus
 Ad ſacra vatam carmen affero noſtrum.

ANTONII FOQUELINI

VEROMANDVI

In Perſij Prologum

COMMENTARIVS.



*C*OMMentationis huius meæ conſilium tibi breuiter in præfatione aperui: deinceps attende quæſo, ſatisne tibi quod in ſingulis Satyris faciendum mihi propoſui, in hac ipſa præfatione conſequutus eſſe videar: cuius ſumma quæſtio eſt, quod Perſius poema ſcribere debeat, quæ duobus argumentis ex eodem adiutorij loco deductis approbatur, quia ſit poeta, tum quia pauper. Diſſimili autem ab ipſo poemate carminis genere perſcripta videtur eſſe, ne inter Satyras confundatur, quod tamen à nonnullis fieri videtur, qui prologum veluti exordij cuiuſdam loco primæ Satyræ putant eſſe præpoſitum: cuius erroris hæc fortasſe cauſa fuerit, quod eadem præfationis & primæ Satyræ videatur eſſe quæſtio: vtrobiq; enim deſcribendo deliberatio quedam eſt, niſi quod in præfatione generalis de poemate, in prima verò Satyra ſpecialis de ſcribenda Satyra conſultatio eſt. Præfationis autem verſus ſunt Senarij Iambici, Iambum locis admittentes omnibus, præterquam ultimo: Anapaſtum verò locis tantum imparibus, primo, tertio, quinto.

Nec fonte) Prius argumentum, quod poeta sit, per dissimilitudinem tractatur hoc modo. Quamuis in Caballino fonte non biberim, & in Parnasso monte non somniauerim, sum tamen poeta. Protasis præcedit ironica permissione illustrata, qua poetarum quorundam vanitas eluditur, popularem laudem ex adumbrata quadam fucataq; poeticae facultatis specie nimis ambitiosè consecrantium, in quos prima Satyra inueheretur.

Labra prolui) Metaphora à pecudibus & belluis, quæ potantes labra totamque velut promuscidem aquis immergunt, vnde ad amplificandam immoderati potus ingluuiem, hæc Metaphora sæpe vsurpatur, vt primo *Aeneidos* in *Biciam*.

—*ille impiger hausit*

Spumantem pateram & pleno se proluit auro.

Caballino) Periphrasis est *Pyrenes* fontis, qui à Græcis *ἱερὸν ὄρυθρον* à Latinis *Caballinus* dicitur, quia eum *Pegasus*, equus alatus, ex sanguine *Medusæ* ortus cum in montem *Heliconem* euolasset, vngula saxum feriens, aperuit: Sic enim est apud *Ouid.* 3. *Fast.*

Iamque vbi cæruleum variabunt sidera cælum,

Suspice, Gorgonei colla videbit equi.

Creditur hic caese grauida ceruice Medusæ,

Sanguine resperfis profulsisse comis.

Huic supra nubes & subter sidera lapsa,

Cælum pro terra, pro pede penna fuit.

Iamque indignanti noua frena receperat ore,

Cum leuis Aonias vngula fodit aquas.

Vide eandem fabulam quinto *Metamorphoseon*, & apud *Plinium*, lib. 4. cap. 7. sed de hoc fonte paulò post dicetur. Alludit autè hoc primo versu *Perfius* ad *Hesiodi Ascræi* Poetæ commentum, qui paternas oues custodiens, à *Mufis* coronari, & ad montem *Heliconè* perducì, ibique epota *Caballini* fontis aqua, nobilissimus poeta sibi fieri visus est, vt initio *Theogoniæ* refert: ad quod *Ouid.* 6. *Fast.* alludere videtur:

Ecce deas vidi, non quas præceptor arandi

Viderat, Ascræas cum sequeretur oues.

Idem: *Non mihi sunt vise Clío Clinsque sorores*

Seruanti pecudes vallibus Ascræ tuis.

Nec in) Anaphora in incis. s.

Bicipiti Parnasso) *Parnassus*, mons *Phocidis*, qui olim *Larnassus* *Stephano* & *Tarreo Lucil.* testibus dicebatur, à nomine *Larnax*, quo Græci arcam seu nauem significant. Propterea quod *Deucalionis* & *Pyrrhæ* nauis eò primùm appulerit: tandem verò literæ vnus detractione (vt ex *Hellanicis* refert *Apollonij* interpretes) à *Parnasso* *Heroc* montis incola, *Parnassus* dictus est: priorem sententiam sequutus videtur *Ouidius* primo *Metamorphoseon*, cum ait:

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus

Nomine

Nomine *Parnassus* superatque cacumine nubes:

Hic vbi Deucalion (nam cætera texerat æquor)

Cum consorte tori parua rate vectus adhaesit.

Biceps autem per *Metaphoram* dicitur, quod duos habeat vertices, tanquam capita, *Baccho* & *Apollini* sacra (ait *Suidas*) vnde *ἰσοκεφαλος* ab *Euripide* appellatur. id est, duobus verticibus eminent, *Lucan.* lib. 5.

Parnassus gemino petit arduus æthera colle

Mons Phœbo Bromioque sacer cui nomine mixto

Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

Hoc autem secundo versu alludit *Perfius* ad *Ennij* somnium, qui cum *Homeri* versus legeret, meditaretur, edisceret, imitaretur, totumq; se ad illius imitationem componeret, somniauit se *Homerum* esse factum, animaque *Homeri* iuxta *Pythagoreum* dogma esse animatum, vt indicat *Cicero* initio *Somnij* *Scipionis*. Hinc illud *Horatii*, epistola prima libri secundi:

Ennius & sapiens & fortis & alter Homerus

(Vt Critici dicunt) leuiter curare videtur

Vt promissa cadant & somnia Pythagorea.

Idem *Perfius* notat apertius *Satyra* sexta

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse.

Mæonides, quintus pavone ex Pythagoreo.

Huic autem somnio frequens locum dedit *Homeri* lectio, ex cuius libris multa transferre solitum *Ennium*, testis est in præfatione primi libri de *Finibus* *Cicero*. Locus autem *Ennij*, vbi somnium illud narrabatur, illo hemistichio significari videtur, quod in *Lucullo* *Ciceronis* est:

Visus Homerus adesse poeta, & cæt.

Vbi disputabat *Ennius* de *elysij* campis, vt indicat *Lucretius* illum locum:

—*tamen esse Acherusia templa*

Ennius æternis exponit versibus edens,

Quo neque permanent animæ neque corpora nostra,

Sed quedam simulachra, modis pallentia miris:

Vnde sibi exortam semper florentis Homeri

Commemorat speciem.

Hoc autem *Ennij* somnium imitatus est *Propertius* in *Elegia* quæ incipit:

Visus eram molli, & cæt.

Repente) Id est, tanquam somnio aliquo, vt *Hesiodus* & *Ennius*, de quibus antea.

Helico) Illustratio protaseos, per permissionem.

Heliconidas) *Helicon*, mons *Phocidis*, *Parnassi* æmulus altitudine & circuitu: sic dictus ab *Helicone*, qui ad eum cum *Cytherone* fratre singulari certamine decertauit. Vnde vterq; in montes sui nominis conuersus esse fingitur, vt est apud *Cyrum* *Hermesianacta*. Cuius rei etiã me-

minit Hesiodi interpres. Hunc postea montem Otus & Epialthes Musis consecrassè dicuntur, quæ tum tres tantum esse fingebantur, Melete, Mneme, & Aecde: nouem postea finxit Pierus Macedo, quæ montem illum sibi sacrum incolerent. Hesiodus:

Μουσῶν ἑλικωνιάδων ἀρχώμαθ' αἰείδων
 Αἰὲς ἑλικῶν ἁρχοισιν ὄρε' ἔμμεγα τε ἑδάδου τε

Id est, *Incipiam à Musis Heliconis carmen alumnis,
 Quæ iuga sacra colunt montis spacioaque terga.*

Hinc Heliconiadas dici Musas plerique arbitratur: Cælius tamen Rhodiginus, libro 22. cap. 8. sic ait de nouenario numero ex Hesiodi sententia loquens: Numerus (ait) bonus aptusque Heliconiadibus, sic nuncupatis, non quia ab Helicone sint, sed quia (vt in Ptolemæi Musica lectum est) organum habeant musicum, quod Helicon dicitur, in quo sunt nouem chordæ, quarum tres vocantur Epitritæ, trës autem Diapente, tres Diaplasæ, quas nouem Musas appellarunt: Hætenus Cælius. De Helicone verò vide Strabonem libro octauo, & Plinium lib. 4. cap. 7. De consecratione autem montis, Cælius lib. 22. cap. 8. & Lilius Gregorium Historiæ deorum Syntagmate 7. & Pausaniam in Bœoticis.

Pallidamque Pyrenem) Pyrenè fons in Acrocorintho, quem paulò antè Caballinum appellari monuimus, de quo multa sunt apud Strabonem lib. 9. cap. 4. & Plinium lib. 4. cap. 4. huius quoque Statius primo Syluarum meminit his versibus:

—licet Eubœa Vati
 Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur
 Pyrene.

Pallida autem appellatur, vel propter pallorem ex immatura filij sui Cenchrei morte conceptum, vel per Metonymiam 2 generis, quia ad illum fontem Musis sacrum solerent plerunque poetæ accubare & versus scribere, nam vt ait Persius Satyra quinta:

—Iuuat impallescere chartis.

Hinc, quia illic nimio scribendorum versuum studio sese macerabant, pallida dicitur, quia pallorem hominibus inducat: vtratinque rationem attigit Statius, cum ait,

Cenchreæque manus Vatum qua conscius amnis
 Gorgoneo percussus equo quaque obiacet alto
 Isthmos, & à terris maria inclinata repellit.

Quorum imagines) Quæ erigebantur in æde Camœnarum, seu Musarum, vt de Actio poeta scripsit Plinius lib. 33. quem ait in æde Camœnarum maxima forma statuam sibi posuisse, cum is breuiculus esset. Hac autem statuæ consequendæ gloria permulti tempore Iuuenalis & Persij incensi poemata scribebant, vnde Iuuenalis Sat. 7.

Qui facis in parua sublimia carmina casa
 Et dignus venias hederis & imagine macra.

Lambunt

Lambunt) Metaphora est ab animalibus, quæ lingua lambere propriè dicuntur. Sic de canibus Iuuenalis Sat. 8.

—Canibus pigris, scabieque vetusta

Leuibus & sicca labentibus ora lucernæ.

Hinc per Metaphoram, lambere pro cingere & ambire 2. *Aeneid.* apud Virgilium de flamma:

—Tactusque innoxia molles

Lambere flamma comas.

Hedera) Hedera enim poetæ apud veteres coronabantur. Horatius I. Carm. Ode. I.

Me doctarum hedera præmia frontium

Dij miscent superis.

Idem libro primo epistola tertia:

—Seu condas amabile carmen

Prima feret hedera vittricis præmia.

Virgilius Ecloga septima:

Pastores, hedera crescentem ornate poetam.

Ouidius in Elegia de morte Tibulli tertio Amorum.

Obuius huic venies hedera iuuenilia cinctus

Tempora cum Gallo doctæ Catulle tuo,

Hedera enim sacra fuit Baccho, in cuius tutela se poetæ esse dicunt.

Ouidius tertio Fastorum:

—Hedera gratissima Baccho,

Hoc quoque cur ita sit dicere parua mora est.

Nysiades Nymphas puerum querente nouerca

Hanc frondem cumis opposuisse ferunt.

Itaque Bacchus ex India victor & triumphans, vt ait Plinius lib. 16. cap. 4. hedera coronatus redijt, eaque postea plurimum vsus est, potissimum nigra, quæ florem habet croceum, folia pulla: quam & Nysiam & Bacchicam & Dionysiam appellatam legimus, ingentibus corymbis: Ouidius 6. Fastor.

Bacche racemiferos hedera redimite capillos.

De Hedera eiusque generibus vide Plinium lib. 16. cap. 34.

Sequaces) Virgilius quarta Ecloga, erranteis vocat: vtrobi que autem epitheton est cõuenientissimum, & rei naturã apertè exprimes.

Semipaganus) Antiqua odosis dissimilitudinis, tamen ego sum poeta, quæ modeste ex effectis dissimilitudine amplificatis declaratur: tamen ego scribo poema: poema enim effectus est Poetæ.

Semipaganus) In hoc verbo dissimilitudinis vis continetur, aperitior fuerit, si (vt apud Virgilium) nota dissimilitudinis adhibeatur,

Pollio amat nostram quamuis sit rustica Musam.

Cæterum & Pagus & Paganus deducitur à nomine Græco πῦλον, id est fons, quod olim ad maiorem commoditatem villæ & pagi circa fonteis ædificari solerent.

Ad sacra vatium) Periphrasis est templi Apollinis & Musarum, quod Augustus Cæsar excitauit in Palatio, vnâ cum porticu & bibliotheca omni genere librorum referta, post Actiacam pugnam, de uictis prælio nauali Antonio & Cleopatra: qua de re erudita extat Propertij elegia lib. 4. vnde est illud:

Musa Palatini referamus Apollinis ædem.

Huius rei meminit Suetonius in Augusto: Templum (ait) in palatio struxit. Plura Dion. lib. 53. Horatius in Epistolis:

Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Martialis ad librum suum:

*Iure tuo veneranda noui pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.*

Sacra) Metonymia est adiuncti pro subiecto: templi enim proprium epitheton est, sacrum, vt docet Gellius lib. 14. cap. 7. est & Synchdoche pluralis pro singulari: vnicum enim fuit Romæ Musarum templum, in quod sua poetæ deferrent carmina.

Carmen) Synchdoche quoque hæc est: ex singulari enim plurale, vel potius ex parte poema totum intelligitur, vt primo Factorum apud Ouidium: *Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.*

*Quis expedituit Psittaco suum xaipe,
Picasq; docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Cornos poetæ, & poetidaspicas
Cantare credas Pegaseum melos.*

Posterior scribendi poematis ratio, ex adiuncta egestate & inopia: qualem sibi prætexit scribendi causam Horatius, epist. 2. lib. 2.

*Et Laris, & fundi paupertas impulit audax
Vt versus facerem.*

Declaratur autem hæc posterior ratio huiusmodi similitudine: Quemadmodum fame premente heros suos salutant Psittaci, Picas, & cæteræ aues humanæ vocis imitatrices: sic ego egestate & inopia oppressus carmina scribo. Hæc enim recta debuit esse Antapodosis similitudinis, quæ tamen honestè reticetur, ne qua emungendæ à principe aliquo Romano pecuniæ cupiditas, in verecundo Persij animo infedisse videretur.

Quis

Quis expedituit) Communicatio per subiectionem, id est, subiectam interrogationi responsionem. Quamuis enim communicatio figura sit in petitione simplici, aliquando tamen ei responsio subiungitur. Vide Audomari Talæi Rhetoricam. Est autem Expedire hoc loco expeditum promptumque facere: vnde oratio expedita & facile currens, in Bruto & pro Flacco, expedita & profluens in dicendo celeritas.

Psittaco) Elegans Psittaci descriptio est Elegia sexta libro secundo Amorum, quæ sic incipit:

Psittacus Eois ales mihi missus ab Indis

Occidit, exequias ferte frequenter aues.

Et apud Plinium lib. 10. cap. 42. cum ait: Super omnia humanas voces reddunt Psittaci, & quidem sermocinantes: India auem hanc mittit, Psittacem vocant: viridem toto corpore, torque tantum miniatum in ceruice distinctam: Imperatores salutat, & quæ accipit verba pronunciat, in vino præcipue lasciua, capiti eius duritia eadem quæ rostro: hæc cum loqui discit, ferreo verberatur radio, aliter non sentit istus: cum deuolat, rostro se excipit, illi innititur, leuioremque se ita pedum infirmitati facit. Ouid 2. Amorum Elegia sexta:

Non fuit in terris vocum simulantior ales,

Reddebat blæso tam bene verba sono.

Ibidem: *Occidit illa loquax humanæ vocis imago.*

Martialis: *Psittacus à vobis aliorum nomina discam,*

Hoc dididici per me dicere, Cæsar Auc.

xaipe) Sic Ouidius in Elegia de Philomela:

Psittacus humanas decantat voce loquelas,

Atque suo domino xaipe valeque sonat.

Est autem *xaipe* vox salutantis, quæ etiam in epistolarum epigrammatis vsurpari solet. Sic Scæuola apud Lucilium, *xaipe* Tite, vt author est Cicero in præfatione primi libri de Finibus, de quo vide Budæum in Commentarijs. Martialis libro 8. ad Rufum:

Exprimere me Rufe licet cogant,

Aue latinum xaipe non potest Græcum:

Si fingere me istud putas, salutemus.

Picasque) Quæ item humanas voces effingere nituntur, & quidem nonnunquam verustè exprimunt. Martialis:

Pica loquax dominum certa te voce saluto,

Si me non videas, esse negabis auem.

Ouidius idem in Elegia de Philomela:

Pica loquax vanas modulatur gutture voces,

Scurriliter strepitu quicquid & audit, ait.

Nec mirum, cum in picas eloquentissimæ Pieri filiæ (si credere dignum est) mutatae sint à Musis in certamine cantus victæ. sic enim est apud Ouidium 5. Metamorphoseôn:

*Musa loquebatur, pennæ sonuere per auras,
Voxque salutantum ramis veniebat ab altis:
Suspicit: & lingua querit tam certa loquentes
Vnde sonent, hominemque putat Ioue nata loquentum:
Ales erat, numeroque nouem sua fata querentes
Institerant ramis, imitantes omnia pice.*

Vide locum Ouidij, & Plinium lib. 10. cap. 29. & 33. & 42.
Hoc loco nonnulli codices versus hunc interponunt:

Coruos quis olim concasuum salutare.

At in Aldino codice (quem sum sequutus) non est. itaque ascripti-
tium & nothum esse putavi.

Venter) Metonymia est subiecti pro adiuncto: venter enim pro fa-
me ponitur, cuius sedes in orificio ventris esse creditur.

Magister artis) Egestas enim & inopia (ait in Stycho Plautus) om-
nes artes perdocet vbi quem attingit: hinc illud tritum Græcorum
scriptis prouerbium, πολλὰ ὁ λιμὸς γινέται διδάσκαλος: ad quod allu-
dens Ouidius ait 2. Artis:

*Ingenium mala sæpe mouent,
Ingenique largitor*) Vnde Manilius libro primo Astronomicôn.
*Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo:
Seducta in varias certarunt pectora curas,
Et quodcunque fugax tentando reperit usus.*

Horatius Satyra octaua libro secundo Sermonum:

*—ingenium res
Aduersæ nudare solent, celare secundæ.*

Quid si) Antapodoseos loco, effecta quædam mercedis præmijque
declarantur, per collationem parium. Si præmia præstantibus inge-
nij proponantur & accipiendæ mercedis referendæque spes aliqua
inijciatur, tot erunt elegantes & concinni poetæ, vt credas omnes
coruos & picas, poetæ & poetridas esse factos: nam vt ait Iuuenalis:

*Si Pieria quadrans tibi multus in arca
Ostendatur, ames nomen victumque poetæ.
Πάρτε ἃ πρῶσιματε πρῶσιπεται διὰ πούτορ.*

(ait Aristophanes in Pluto) id est, omnia fiunt propter pecuniam,

*Neque enim cantare sub antro
Pierio Thirsumque potest contingere sana.*

Paupertas atque aeris inops) Ait idem Iuuenalis Satyra eadem.

Dolosi nummi) Metonymia effectus pro causa: dolosus enim num-
mus dicitur, cuius cupiditate in dolos & fraudes impelluntur homi-
nes: nam vt ait Phocyllides, Φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἀπίσσης.

Virgilius lib. 3. Æneid. *Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?*

Iuena-

Iuuenalis: *Prima peregrinos obscæna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu.*

Spes) Quæ vt ait Ouidius,
*Cum fugerent sceleratas numina terras
In dijs inuisa sola remansit humo.*

Itaque hanc Romani religiosissimè coluerunt, cuius ædes fuit in
foro Olitorio (vt est apud Liuium lib. 1. tertix Decad.) consecrata à
Collatino (vt scribit in Legibus Cicero.)

Refulserit) Metaphora à sole, id est proposita fuerit.

Coruos poetæ) Corui quoque humanas voces imitantur: hinc il-
lud est, quod Augustum Cæsarem ex bello Actiaco redeuntem cor-
uus salutasse dicitur his vocibus: Salve imperator inuictissime: Em-
ptus postea ab Augusto viginti millibus nummum: auctor Sueto-
nius. Coruos autem hoc loco & picas acutè mihi videtur Murme-
lius inconcinnos & garrulos poetæ interpretari: inepti & inconcin-
ni poetæ per metaphoram corui dici possunt, quod vt hi rauci & ine-
pti ad cantum, sic illi ad versus: vani verò loquacesque poetæ picis
naturà garrulis similes sunt, vt sit sensus: si proponantur præmia poe-
tis, tot erunt boni & elegantes poetæ, quot sunt hodie inepti & in-
concinni, in quos prima Satyra inuehetur.

Melos) Angelus Politianus, vir suæ ætatis doctissimus, pro Me-
los reponit Nectar: cui resistunt Britannicus & Murmelius interpre-
tes, qui μέλλο geminato M legendum putant, vt apud Virg. 1. Æneid.

Reliquias Danaum) Vide 44 caput Miscellaneorum Politiani: cæ-
terum μέλος à Græcis & Latinis in eadem voce vsurpatur pro con-
centu congruente & consentiente ex vnus vel diuersarum vocum
sono: & vide Budæum in Commentarijs.

SATYRA PRIMA.

O *Curas hominum! ô quantum est in rebus inane!
Quis leget hæc? min' tu istud ais? nemo Hercule,
nemo?*

Vel duo, vel nemo. turpe & miserabile, quare?

Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem

Prætulerint. nuge, non si quid turbida Roma

Eleuet, accedas, examénue improbum in illa

Castiges trutina: nec te quæsiueris extrà.

Nam Romæ quis non? ah, si fas dicere, sed fas:

b 3

*Tunc, cum ad caniciem, & nostrum istud viuere triste
Aspexi, & nucibus facimus quaecumque relictis.
Cum sapimus patruos, tunc tunc ignoscite, nolo,
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.*

Primæ Satyræ COMMENTARIUS.

PRÆfationis sententia generalis fuit & vniuersa, quod Persius poema scribere debeat: primæ verò Satyræ specialior est quaestio, quod Satyram, cuius summa ratio ex adiuncta scribentium vanitate miseraque ambitione ducta, initio proponitur, deinde ex varijs eorum effectis sine amplificatis declaratur, quæ hoc modo breuiter & apertè intelligi poterit.

Si tanta scribentium hoc tempore est vanitas, vt ad vanam imperitiæ multitudinis auram aucupandam lasciuia & libidinosa poemata scribant, in theatro recitent, Græca Latinis misceant, antiqua & obsoleta verba affectent: in causis verò ciuilibus in foro agendis & disceptandis, vnicam soni & concinnitatis, nullam subiectæ sententiæ rationem habeant, Satyram scribere debeo:

*At primum verum:
Secundum igitur.*

Propositio syllogismi expressa non est, tota verò Satyra in assumptionis sententia explicanda & confirmanda consumitur ad eum vsque locum, *Sed quid opus teneras, &c.*

Reliquum complexionem conceditur. Tota igitur hæc Satyra Satyricam habet de Satyra scribenda consultationem & deliberationem, in qua tres personæ colloquentes commodè distingui poterunt: Persius Romanorum scriptorum vanitatem Satyrica libertate notans & perstringens: Monitor, Persium ab instituta Satyræ scriptione reuocans: Vanus scriptor communem Poetarum & Oratorum causam contra Persij criminationes impudenter & inuerecundè defendens. Vehemens autem est & incitatum principium, quo ferè semper vti solent Satyrici poetæ, vt Horatius i. Sermonum:

*Quis sit Mæcenas vt nemo quam sibi sortem,
Sed ratio dederit, &c.*

O curas) Prima summaque, vt antè dixi, scribendæ Satyræ ratio ex adiuncta vanitate & inani scriptorum ambitione ducta hoc primo versu proponitur: simile est illud:

O curæ in terras animæ & caelestium inanes!

Inane) Metaphora est à vasis, quæ cum vacua & inania dicimus,

non

non ita loquimur vt Physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita vt, verbi gratia, sine aqua, sine vino, sine oleo vasa esse dicamus. Cicero in Fato.

Quis loget) Hic abruptitur Persij oratio, Monitoris, id est cuiusdam, quem per Dialogismum inducit voce, cuiusmodi personæ à Satyrographis sæpe inducuntur, à quibus sese reuocari simulent. sic Horatius Trebatium prima Sat. 2. Sermonum:

Trebat,

*Quid faciam perscribe, quiescas, ne faciam inquis
Omnino versus? aio, peream male si non
Optimum erat, verum nequeo dormire, &c.*

Argumentum autem, quo à monitore reuocatur ab instituta Satyra Persius, sumitur ex adiunctis Satyræ, quia nemo eam lecturus sit, plenam scilicet censuræ & supercilij.

Min' tu istud) Verba sunt Persij, Monitoris voce attoniti.

Nemo Hercule) Hæc duo verba Monitoris sunt, superius dictum suum, id est, reuocationis argumentum iureiurando confirmantis: vt enim mulieres Romæ per Castorem, sic viri per Herculem iurabant: non contrà: Gellius lib. ii. cap. 6.

Nemo) Hoc item verbum Persij est, Monitoris sententiam admirantis: hic autem elegans epanodos & regressio ad eandem dictionem (*Nemo*) noranda est.

Vel duo) Dictionem hanc (*Nemo*) qua paulò antè vsus est, interpretatur Monitor, & quodammodo corrigit per dissimilitudinem, quasi diceret: si non nemo, at pauci tuam Satyram legent.

Turpe &) Hoc ironicòs à Persio ex poetarum sui temporis vana opinione dictum accipiendum est, qui ad vanos populi applausus omnia referebant, quos paulò post sub vni cuiusdam poetæ personæ sic loquentes faciet:

*Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?*

Ne mibi) Refellitur Monitoris argumentum, quo Persium à Satyræ scriptione reuocare nitentur, vbi primum contradictio huiusmodi intelligenda est, vnde sequens dependet disputatio. Nemo leget tua carmina, (ait Monitor:) imò verò multi mea legent carmina, (contradicit Persius.) cuius contradictionis confirmandæ ratio ex collatione maiorum est: Multi legunt Labeonem ineptum & inconcinnum poetam, & me magis igitur multi.

Ne) Non Ne interrogantis (vt Baptista & Britannicus significat) sed Ne, negantis legendum videtur, vt sensus ipse declarat.

Polydamas) Polydamas non Polydamas legendum esse Baptista Murmelioque placet: quod & ratio carminis videtur postulare, & Homerus Iliados ꝑ̄ indicare. cum ait:

Τῶσι δὲ Πολυδάμας πάννυμαι ἠδ' ἄρ' ἀρφέμεν,

Vbi Polydamas legitur, vt apud Virgil. Vpilio pro Opilio metri gratia: fuit autem Polydamas princeps quidam Troianus, quem obiurgat Hector Iliad. 2, quod fugam Troianis suadeat, cuius consilium aspernatum se esse dolet idem Hector Iliad. 2, cum ait:

Πολυδάμας μοι παῖδά τ' ἐλεγχέειν ἀνάδισσι.

Id est, Polydamas mihi primum conuitium faciet.

Hic autem per Metaphoram pro Nerone sumi videtur. Vt enim ille in Republica Troiana summis opibus præditus, sic Nero in Romana. Huc accedit, quod Nero rerum Troianarum fuit admodum studiosus, quippe qui poema de Troiæ excidio scripsit, nec verbis solum tantam sibi calamitatem exprimendam, sed etiam plurimarum ædium palatio vicinarum incensione, oculis suorum ciuium exhibendam tantæ calamitatis speciem esse iudicari, quam Iliada suam canens ex Mæcenatica turri prospiceret: Iuuenalis Sat. 8. in comparatione Neronis & Orestis:

In Scena nunquam cantauit Orestes.

Troica non scripsit.

Troïades) Fœmininum est Patronimicum, quo Romanorum principum mollities metaphoricôs significatur, quippe qui molles essent & effœminati, vt Troïades: sic Homerus Iliad. B.

Ω πίπονες χάρει' ἐλέγχε' Ἀχαιῶδες οὐκίτ' Ἀχαιοί.

Quem locum imitatus Virgilius nono Æneid.

O vera Phrygiæ (ait) neque enim Phryges, &cet.

Labeonem) Metonymia est primi generis, efficientis nempe pro effectu. Labeo enim pro poemate Labeonis ponitur: fuit autem Accius Labeo Poeta inconcinnus, qui quinque libros Iliados Homeri verbis fœdissimè in latinum vertit, ita quidem obscure, vt ne sua quidem agnosceret, gratus tamen Neroni, vel hoc ipso nomine, quod Troica scripserat, & ijsdem quibus Nero studijs delectabatur. Similitudo enim (vt est in prouerbio) mater amoris.

Nugæ) Transit à proximo refellendi monitoris argumento ad aliud per dissimilitudinem: Quamuis nemo meas Satyras lecturus sit, tamen ab instituta scriptione reuocari non debeo.

Turbida) Metaphora est ab aere, qui propriè turbidus & contrà serenus dicitur.

Roma) Metonymia subiecti seu continentis, pro adiuncto & contento.

Accedas) Metaphora videtur ab ijs senatoribus esse, quibus dicendæ in senatu sententiæ ius non erat, sed duntaxat ad eam quam principes dixissent descendendi, quos nonnulli Pedarios vocant, de quibus vide Gellium lib. 3. cap. 18.

Examénue) Elegans Allegoria est à lancibus, in quibus examen propriè stilus vel lingua dicitur, qua pondus regitur, vnde per Metaphoram examen pro iudicio, inquisitione, & indagazione ponitur.

Sic Ci-

Sic Cicero secundo Oratorio, ad ea probanda, quæ non aurificis statera, sed populari trutina examinantur. Virgilius 10. Æneidos:

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet.

Significat autem hoc loco Persius imperitiæ multitudinis & populi iudicio standum non esse. Sic enim est vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat: itaq; minimè mirandum est, si optimus quisque & sapientissimus vulgi iudicium semper contemnendum esse iudicari. Socrates enim (vt est apud Platonem) vulgi & aures & oculos malos testes esse dicebat: idemque populum belluam multorum capitum nominabat. Oratores quoque Demosthenes (in oratione de Falsa legatione) & Cicero (pro Murena) populum modò mari, modò ventis comparant, quod (vt de fortuna dixit Ouidius secundo de Ponto)

Quolibet est vento & quauis incertior aura.

Vnde Horatius 1. Sermonum Satyra decima:

Nec te vt miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus, an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

Nec te quæsi) Sic Satyra quarta Persius:

Nec quiquam populo bibulas donaueris aures,
Respue quod non es, tollat sua munera cerdo,
Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

Nam Romæ) Confirmatio proximæ Antapodoseos dissimilitudinis, quod quamuis populus Romanus has Satyras lecturus non sit, tamen scribere debeat. Argumentum est ex adiunctis, quia corruptum sit populi iudicium (qui vt ait Horatius)

Stultus honorem

Sepe dat indignis, & famæ seruit ineptus.

Quod paulò post apertius declarabit Persius, adulatoris & vani cuiusdam poetæ Dialogismo.

Quis non) Subaudi corrupto est iudicio: vel adulator: vel aliquid simile. Est igitur Apopsiopefis figura, quæ (vt ait lib. 9. Quintilianus) locum habet, cum propter nimiam indignationem verbum relinquitur: vt apud Virgilium primo Æneidos in oratione Neptuni:

Quos ego? & apud Terentium,

Iam si verbum vllum posthac.

Ab si) Optatio est, qua sibi facultatem & libertatem dari Persius postulat, liberè ea dicendi, quæ paulò antè per Apopsiopefim reticuit, id est, Romanorum vanitatem & corruptelam. Si enim, particula optantis aliquando est, vt 6. Æneid.

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus.

Id est, vtinam.

Sed fas) Regreditur ad institutam vanitatis infectionem, ex ad-

iunctis, quia fas sit & liceat: vbi syllogismi connexi primi formula quædam est.

Si mihi fas esset, Romanorum vanitatem notarem & perstringerem.

At fas est:

Perstringam igitur. Propositio præcessit optatione exornata.

Fas) Epanodos est in eiusdem verbi (*fas*) in dissimilibus sententiæ locis repetitione.

Tunc cum) Ratio assumptionis ex dissimilibus, sed *fas*: quia quamuis senes sint atque cani, nuces (vt est in proverbio) reliquerint, patruam q̄; grauitatem & seueritatem redolere eos conueniat: tamen vni sunt atq; leues, & omnes etiam falsæ laudis umbras confectantur.

Caniciem) Metonymia adiuncti pro subiecto, canicies pro canis capillis, in quibus inest.

Viuere trist.) Vide Quintil. lib. 9. cap. 3. de hoc dicendi genere.

Nucibus relictis) Id est puerili ætate traducta, quæ nucibus delictari solet: vt sit metonymia adiuncti pro subiecto. Martialis:

Iam tristis nucibus puer relictis,

Clamose reuocatur à magistro.

Idem: *Alea parua, nuces, hæc non dammosa videntur,*

Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Hinc proverbiū, Nuces relinquere, (apud Erasimum) quod significat, pueriles cupiditates exuere, per Synecdochen. Lusus enim nucum puerilis cupiditatis species est. proverbiū autem in eos olim vsurpabatur, qui vxorem ducebant: quoniam ipso nuptiarum die nuces spargebant. Catullus in Epithalamio Iulix & Manlij:

Da nuces pueris iners concubine, satis diu

Lusisti nucibus, lubet iam seruire thalasio.

Concubine nuces da.

Virgilius Ecloga octaua:

Sparge marite nuces.

Vide Erasimum in proverbio Nuces relinquere.

Patruos) Metaphora est & Synecdoche in hoc verbo: significat enim Persius eos, quos hac Satyra reprehensus est, in ea ætate esse, quæ talem requirat grauitatem, qualis esse solet in patruis. Deinde Synecdoche est: Patruus enim hominis grauis species est & seueri: hic autem pro genere ipso, id est, graui & seueri ponitur. Veteres autem suos liberos patruis dabant informandos, quod parentes in eos esse soleant indulgentiores. Horatius lib. 3. Od. 12.

Metuentes patrux verbera lingua.

Idem Satyra 3. lib. 2. Sermonum:

Sine ego patruè,

Seu rectè hæc volui, ne sis patruus mihi.

Tunc tunc) Complexio Syllogismi per deprecationem & apostrophem ad eos quos hac Satyra est insectaturus. Quare ignoscite, si vestram

stram vanitatem omnibus deridendam propinem: vbi *ὀνειδῆς* est, qualis est hæc apud Virgilium 9. Æneid.

Me, me adsum, qui feci, in me conuertite, &c.

Nolo) Amplificatio proximæ complexionis ex dissimili: etsi nolo Satyram scribere, tamen cogor. Protasis addubitatione illustratur, qualis est illa apud Horatium prima Sat. 2. Sermonum per Dialogismum:

Quid faciam perscribere, quiescas, ne faciam inquis

Omnino versus? Aio, peream malè si non

Optimum erat, verum nequeo dormire.

Sed sum) Antapodosis proximæ dissimilitudinis, quæ confirmatur adiunctis efficiente causa declaratis, cogor Satyrâ scribere, quia sum profusus in risum, propter lienis seu splenis procacitatem. Lien enim (vt aiunt Physici) sedes est risus: hinc illud peruulgatum:

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Cachinno) Cachinno Cachinnonis, hic nomen est, id est profusus in risum, & qui (vt ait Horatius)

Distorqueat ora cachinnis.

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber v. 13.

Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet,

Sicilicet hæc populo pexusque togaq; recenti,

Et natalitia tandem cum sardonice albus,

Sede legens celsa, liquido cum plasmate guttur

Mobile colluerit, patranti fractus ocello:

Hic neque more probo videas, neque voce serena

Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum

Intrant, & tremulo scalpuntur vbi intima versu.

Scribimus) Hactenus prolusio quædam fuit, & velut sequentis disputationis propositio, quod Persius Romanorum vanitatem suis versibus perstringere debeat. Deinceps aggreditur ad institutum, & quod antea subticuerat, summa libertate describit. Initio autem partitio quædam disputationis proponitur in poetas & oratores. Prima igitur vanitatis reprehensio est in poetas Romanos, vt Nerone & principes, qui (vt initio dictum est) poetica delectabantur. Argumentum autem reprehensionis sumitur ex fine scribendi, quia versus scriberent & recitarent, ad aucupandos populi applausus: quod varijs & poetarum recitantium & versuum adiunctis & circumstantijs declaratur.

Inclusi) Sic Iuuenalis in Parua cella dixit Satyra septima. Carmina enim (vt ait Ouidius)

Secessum scribentis & otia querunt.

Horatius Epistola secunda libro secundo:

Romæ ne poemata censes

Scribere posse, inter tot curas totque labores.

Et paulò post:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem.

Numeros) Metonymia quarti modi: numerus enim modulatam pedum immutationem significat: ponitur autem pro versu, in quo illa modulatio inest. Sic postea:

Sed numeris decor est, &c.

Grande) Ironia est, dissentaneum nempe pro dissentaneo, id est exiguum aliquid & leue.

Quòd pulmo) Id est, in quo recitando vehementi sit opus spiritu, & magna laterum vocisque contentione.

Scilicet) Descriptio est recitaturi poetæ vani ex adiunctis.

Sardonice) Recitaturi enim, in theatrum splendide ornati ascendebant, vt in se populi ora conuerterent, ei que placerent: quam vanitatem etiam in oratoribus sui temporis reprehendit Iuuenalis Satyra septima his versibus:

Vt redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos

Nunc dabit nummos, nisi fulserit annulus ingens:

Respicit hoc primùm qui litigat, an tibi serui

Octo, decem comites post te, an sit sella togati

Ante pedes, idèò conducta Paulus agebat

Sardonice, atque idèò pluris quam Cossus agebat.

Est autem Sardonix lapillus (vt ait Plinius lib. 37. cap. 10) in cuius voluntario damno tantum piamenti purauit esse Polyerates, vt Sardonice in mare coniecta, se à fortunæ (cuius, vt ipse aiebat, nimis prospero successu utebatur) inconstantia & inuidia redemptum iri putaret. Dicitur autem est iste lapillus Sardonix, à Sarda, quia primùm in Sardinia compertus sit, & Onix gemma, cui candor candidus est: auctor idem Plinius. Hac gemma plurimùm vsi sunt Romani, primus tamen omnium Aphricanus maior. Vide Plinium eiusdem lib. cap. 6. Iuuenalis Satyra 13.

Gemma que princeps.

Sardonicus loculis que custoditur eburnis.

Plasmate) Plasma potionis genus, sic dictum à verbo *πλάσσω* quod est fingo, & more figuli formo: hinc Plasmice, de qua Plinius lib. 36. cap. 12. Plasmate autem recitaturi poetæ, formabant & fingebant vocem, eamque molliorem & suauiorein reddebant, quod notat in poetis sui temporis Quintilianus lib. 1. cap. 14. Sit autem (ait) lectio virilis, & cum suauitate quadam grauis, & non quidem per se similis, quia

quia carmen est, & se canere poetæ testantur, nec tamen in canticum dissoluta, nec plasmate, vt nunc à plerisque fit, effœminata.

Patranti) Hic impudicus recitantium gestus & libidinosus oculorum motus perstringitur.

Hic neque) Amplificatio proximi argumenti ex effectis recitationis, dissimilitudine illustratis, quod hac impudicorum versuum recitatione populus, auditor, non ad honestatem, sed ad lasciuiam libidinemque excitetur.

Quod enim non excitat inguen

Vox blanda & nequam?

ait Iuuenalis Satyra sexta.

Ouidius 2. de Remedio amoris:

Eneruant animos cytharæ, cantusque, lyreque,

Et vox, & numeris brachia mota suis.

Itaque præclare monet primo Officiorum Cicero, vt à oratione omnis obscœnitas arceatur, nèue sermo vitium aliquod inesse indicet in moribus. at imperante Nerone, vt ait Martial. lib. 1.

Lex hæc carminibus data est iocosis,

Ne possint nisi pruriant inuare.

Serena) Metaphora ab aere.

Ingentes Titos) Ironia est: Titi enim veteres Romani dicebantur honoris causa (ait Nonius) quod rempub. tuerentur, à tuendo scilicet, quo nomine desides & otiosos Romanæ reipub. principes appellat, qui quod in reipubl. administratione tempus ponere debuerunt, in scribendis ad pompam recitandisque versibus traducebant.

Lumbum intrant) id est, libidinosum quendam nefandæ voluptatis prurimum excitant. In lumbis enim sedes est cupiditatis, vt aiunt: hinc sæpe pro cupiditate & libidine vsurpatur: vt apud Iuuenalem Satyra sexta:

Nota Bonæ secretæ dæ, cum tibia lumbos

Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur.

Scalpuntur) Metaphora à scabiosis, qui propriè sese dicuntur scalpere. Iuuenalis Satyra 9.

Qui digito scalpunt vno caput.

Tremulo) Metonymia tertij generis: versus enim tremulus dicitur, quia tremula voce pronuntietur, varijsque vocis inflexionibus.

Tūn' vetule auriculis alienis colligis escas?

Auriculis, quibus & dicas cute perditus, obe.

Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus

Inuata est, rupro iecore exierit caprificus?

*En pallor, seniumq; !ô mores vsque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est,
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Promihilo pendas? ecce inter pocula querunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.*

Tun') Apostrophe est ad vanum quendam poetam, quem paulò post loquentem facit, cuius vanitatem ex factis sine declaratis reprehendit, vbi finis recitationis apertius indicatur, & dissimilibus amplificatur: quòd etsi vanus poeta sit senex & veterinosus, populi tamen applausus captet ex lasciuia versuum recitatione.

Vetule) In his verbis (Vetule & cute perditus) dissimilium vis inest, quæ adhibitis notis facilius intelliguntur.

Escas) Metaphora est à cibus.

Auriculis) ἐπὶ τὸν ὄθρον.

Ohe) Breuis est Prosopopeia vani poetæ, popularibus cachinnis in theatro excitatis, finem hac dictione (Ohe) imponentis: Ohe enim particula est fatietatis. Martialis libro quarto Epigram. postremo ad librum suum:

Ohe iam satis est, ohe libelle

Iam peruenimus vsque ad vmbilicum.

Quid didicisse) Tertius in Satyricum hunc Dialogum vanus poeta hoc loco introducit, communem (vt antè dixi) vanitatis causam impudenter & inuerecundè defendens. Ac primùm scribendorum ac recitandorum ad gratiam populi demerendam versuum rationem & consilium tuetur ex repugnantibus: quia nisi ex versuum scriptione laus aliqua percipi posset, frustra scriberentur. Quo excusationis genere effrænata laudis cupiditatem suam velare solebat Nero (vt ait Suetonius in eius vita) qui (vt est author Gellius libro duodecimo) Musicam inutilem dicebat fore, nisi cantaretur. cui illud Horatij conuenit 4. Carm. Od. 9.

Parum sepultæ distat inertie

Celata virtus.

Quid didicisse) Eclipsis verbi (iuuat) vel prodest.

Fermentum) Metaphora: fermentum enim propriè farinæ subactæ & acidæ frustum significat, quod quemadmodum massam super impositam inflat & turgescit: sic doctrina animo concepta hominem inflatum & arrogantem reddit. Hinc in fermento esse & iacere, pro ira turgescere apud Plautum in Mercatore

Nani mea vxor (ait) propter illam tota in fermento iacet.

Et quæ

Et quæ semel) Allegoria, id est, Metaphora continuata à ficu syluestri, cui similis est doctrina & scientia. Quemadmodum enim Caprificus in muro nata durissimos quosq; lapides deicit, vt erumpat foras: sic animo concepta doctrina in apertum lucemque prodire gestit. de Caprificu Plinius lib. 16. cap. 27.

Martialis: *Marmora Messalæ findit Caprificus.*

Est autem durior ista Allegoria, sicut & proxima Metaphora à fermento ducta, qua de industria vsus est Persius, vt decorum vani poetæ feruaret, qui in versu scribendo non tam sententiam subiectam, quàm verborum sonum inanemque strepitum sibi proponit, obscuritatisque studet: vt noua quædam imperitæ multitudini mysteria & oracula fundere videatur, quod vitium Persius paulò post in iisdem poetis exagitat, ad illum locum:

Torua Mimalloneis impleverunt cornua bombis.

& Satyra quinta.

En pallor) Exclamationes Persij per commiserationem & admirationem, quibus vani poetæ defensionem plumbeam & obtusam partim commiseratione, partim risu dignam significat. Argumentum est ex effectis, pallore & senio, quæ ex effrænata laudis cupiditate proficiuntur, vbi Metonymia ex eodem genere continuata est: pallorem enim & senium dixit pro causa palloris & senij, quasi diceret, hinc est quòd palles & senescis.

Vsque adeò) Secundum argumentum propositæ refutationis ex dissimilibus sumitur, quæ contradicunt poetarum defensionem. Nisi laus ex versuum scriptione & recitatione perciperetur, frustra scriberentur, (ait vanus poeta.) Quamuis nulla laus ex versibus percipiatur, non tamen frustra scribuntur, contradicit Persius. Vbi epanodos est in verbi (scire) repetitione, & Polyptoton in eiusdem commutatione. Simile est illud Terentij in Phormione: Non sat est tuum te officium fecisse, id non fama approbatur.

At pulchrum) Resistit proximo Persij argumento vanus poeta, & quam suscepit defendendam communem poetarum causam accuratè tuetur & defendit. Ac primùm versus scribere & recitare pulchrum esse docet ex adiunctis: quia qui versus scribunt, digito monstrantur & laudantur: Syllogismi simplicis primi generis formula quædam est:

Digito monstrari, & laudari pulchrum est.

Qui versus scribunt, digito monstrantur & laudantur:

Versus igitur scribere pulchrum est.

Propositio præcedit.

Monstrari digito) Sic Martialis:

Exemptur inuidia quòd turba semper ab omni

Monstramur digito.

Hic est) Breuis est prosopopeia vulgæ, poetæ per urbem inceden-

tes digito indicantis: quod illustribus & nobilibus viris sæpe solet contingere, vt olim Athenis Demostheni, qui ab anicula quæ aquatum ibat designatus est his verbis: *ὁ αὐτὸς Δημοσθένης*, hic est ille Demosthenes. Cicero quinta Tuscul. Leuculus sanè (ait) noster Demosthenes, qui illo suffurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculæ (vt mos in Græcia est) insuffrantisque alteri, hic est ille Demosthenes: Quid hoc leuius? Simile est illud quod de Telamone memoratur, ob cuius os (ait Cicero) Graij ora obuertebant sua.

Ten' Cirratorum) Assumptionis sententia. At qui versus scribunt, laudantur: quæ confirmatur alijs adiunctis, quia huiusmodi versus à magistris in schola leguntur & distantur, discipulis admirantibus, quod honorificum est. Sic Horatius epistola penultima libri primi de poetis loquens:

*Iuuat immemorata ferentem
Ingenijs oculisque legi manibusque teneri.*

Tanto scilicet (vt ait Iuuenalis Satyra decima:)

Maior famæ sitis est quam Virtutis.

Ten') Id est, tua carmina. Metonymia primi generis, caussa pro effectu.

Cirratorum) Cirrati pueri, cirratos & calamistratos gestantes capillos: Cirrus enim instrumentum est torquendis capillis aptum.

Martialis: *Nec matutini cirrata caterua magistri.*
Iuuenalis *Flauam*

Casariem & masido torquentem cornua cirro.

Centum) Synechdoche est numeri certi pro incerto.

Dictata) Sic Horatius epist. 18. lib. 1.

*Sic iterat voces, sic verba cadentia tollit,
Vt puerum sæuo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.*

Pendas) Metaphora est à ponderibus & lancibus, quibus veteres omnia æstimabant.

Ecce inter) Eludit Persius vanum poetam inanis cuiusdam laudis & gloriæ, ex inepta versuum scriptione percipiendæ, spe & expectatione sibi gratulantem. Nullam enim Persius solidam gloriam ad huiusmodi vanos poetas ex hac versuum scriptione & recitatione peruenire docet ex adiunctis loci & personarum, in quo, & à quibus aliqua laus poetis decernitur, nempe inter epulas & pocula. Nec enim huiusmodi homines verè & constanter de rebus iudicare possunt, nec locus est ad bene iudicandum idoneus, Horatius Satyra 2. lib. 2. Sermonum:

*Discite non inter lances mensasque nitentes
Cum stupet insanis acies fulgoribus, & cum
Accliuis falsis animus meliora recusat,
Verum hic impransi mecum disquirite.*

Romulidæ

Romulidæ) Ironia est, dissimile nempe pro dissimili: id est, minime Romuli similes. Sobrius enim fuit Romulus, de quo vide Gellium lib. 11. cap. 14.

Saturi) Sic Iuuenalis mulieres in conuiuio de poetis iudicium facientes ridet Satyra sexta:

*Quæ cum discumbere cepit,
Laudat Virgilium, peritura ignoscit Elysæ:
Committit vates, & comparat, inde Maronem,
Atque alia parte in trutina disponit Homerum:
Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores.*

Dia) Ironia.

*Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina lana est,
Rancidulum quiddam balba denare locutus,
Phyllidas, Hypsiphylas, vatum & plorabile si quid
Eliquat, & tenero supplantat verba palato.
Assensere viri. nunc non cinis ille poeta
Felix? nunc leuior cippus non imprimat ossa?
Laudant conuiuæ. nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataque fauilla,
Nascentur violæ? rides ait, & nimis vncis
Naribus indulges, an erit, qui velle recuset
Os populi meruisse, & cedro digna locutus
Linquere nec scombro metuentia carmina, nec thus?*

Hic aliquis) Hypotyposis est & subiectio ante oculos: vanum enim poetam quendam versus suos in conuiuio recitantem ex adiunctis describit Persius, & conuiuiarum sermones adulationis plenos in laudem vani poetæ per Proscopœiam venustè exprimit, vt intelligatur non à certo iudicio, sed temulentia & vinolentia huiusmodi laudationes, quæ poetis affinguntur, proficisci. Videtur autem hoc loco Neronem imperatorem perstringere, quem sæpe à cœna vino languidum ciboque confectum ferunt, bacchico quodam furore correptum temerè versus sandere solitum, quos Parasiti munere aliquo corrupti laudarent: vnde postea Persius:

*Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et verum (inquit) namo, verum mihi dicite, de me
Quis populi sermo est?*

Hoc autem vitium, versus in cœna recitandi, & homines ad cœnam audiendorum versus causa conuocandi, reprehendit in Ligurino quodam Martialis lib. 5. Epigr. 92. & 97.

*Hæc tibi non alia est ad cœnam causa vocandi,
Versiculos recites vt Ligurine tuos.*

Hyacinthina) Alij legunt Ianthina, vt sit adiectiuum à nomine ἰανθῆ & ἰανθῆ, quasi vestis fuerit violacei coloris: cuiusmodi veste vt olim solitum Bacchum Phurnutus & Diodorus asserunt, indeque antheum, id est florentem & violaceum dictum, vt apud Catullum:

At pater ex alia florens volitabat Iacchus.

Altera tamen etiam lectio probari potest, vt hyacinthina vestis, hyacinthi coloris fuisse dicatur. Est enim hyacinthus flos venustissimus, subrubeus, ex Aiace Telamonij sanguine natus. vt ait Ouid. 13. Metamorph. Virgilius Ecloga tertia:

Et suaue rubens Hyacinthus.

Læna) Læna genus vestis militaris, siue chlamys, quam veteres Ἰλαρῆς, recentiores verò Ἰλαρῆς vocauerunt. Huius meminit Leucippus in Bacchis: cuius verò gentis fuerit incertum est. Vide Cælium Rhodiginum libro decimo sexto capite decimo. Virgilius 4. Æneid. de Mercurio:

Tyriaque ardebat murice Læna.

Rancidulum) Metaphora est à cibus malè conditis. Rancidus enim adiectiuum est ab antiquo verbo Ranceo, quod ingratum & insuauem odorem emitto, significabat. Vnde caro subrancida dicitur apud Ciceronem in Pisonem. Horatius 2. Sermonum Satyra secunda:

Rancidulum aprum antiqui vocabant, non quia natus

illis nullus erat, sed credo hac mente, quod boves

Tardius adueniens, vitiatum commodius quam

Integrum edax dominus consumeret.

Hinc per Metaphoram rancida ea dicuntur omnia, quæ oculis vel auribus ingrata sunt & iniucunda.

Phyllidas) Metonymia est tertij generis geminata, subiectum pro adiuucto. Phyllis enim & Hypsipyle pro fabulis Phyllidis & Hypsipyles ponitur, vbi Synecdoche quoque est pluralis pro singulari.

Phyllidas) Phyllis Lycurgi Thracum regis filia, amoris impatentia (quo Demophoontem Thesei filium absentem & ferius quam illi promississet Athenis redeuntem prosequeretur) vitam laqueo sibi eripuit. Vnde Pontanus lib. 3. de Astris:

At misera ante diem fato crudeliter vsa

Phyllis, ab inuiso pendet Rhodopeia trunco.

Creantius apud Plinium lib. 16. author est, eam nunquam virere arborem, ex qua se Phyllis suspendit.

Hypsipylus) Hypsipyle, Thoantis regis Lemni filia, quæ cum Lemniades viros suos communi consilio occidissent, patrem seruauit: qua

qua de causa eiecta è Lemno, à Piratis capta, Lycurgo regi Thraciæ vendita, eiusque filio Ophelti pro nutrice data est: à filiis tandem suis Euneo & Thoante (quos ex Iasone susceperat) Lycurgi manibus liberata: cuius casus miserabiles refert Statius in Thebaide. Significat igitur Persius in huiusmodi fabulis affectuum & commiserationum plenis, vanos poetas lasciuire solitos, stilumque suum exercere.

Eliquat) Metaphora est à liquoribus, qui eliquari, id est, liquidiores clarioresque reddi propriè dicuntur, hinc ad vocem transfertur.

Supplantat) Altera Metaphora est ab Athletis sumpta, qui hostem sæpe suum supplantant & affligunt, in terramque tibia interposita statuunt, quod Britannis nostra ætate videmus esse vñtatissimum: hinc pro decipere, vt hinc: Poetæ enim recitantes vocis suæ lenocinio aures audientium decipiebant.

Viri) Ironia.

Nunc non) Profopœia est conuiuarum poetæ vano impudenter adulantium.

Cippus) Cippus columna fuit, quæ in sepulchris erigebatur, vt in tumulo Diogenis cippus fuisse dicitur, in cuius apice canis ex lapide pario sculptus visebatur, vt Cynici philosophi tumulus significaretur. Alij tamen Cippum lapidem planum esse volunt (qui vulgò tumba dicitur) Horatius 1. Sermon. Sat. 8.

Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum

Hic dabat.

Columnæ autem atque cippi duntaxat in nobilium sepulchris adhibebantur, quos Demetrius trium cubitorum mensum excedere lege lata cauit.

Leuior) Quasi verò aliquis huiusmodi sensus ad mortuorum cineres perueniret: Sic veteres in funere humum leuem cineribus amicorum esse precabantur: Ouid. Eleg. 8. Amorum. 3.

Ossa quæta precor tuta requiescite in urna,

Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Tibul. lib. 2. Terraque secunda, sit super ossa leuis.

Martialis libro quarto:

Mollia non rigidus cæpes tegat ossa, nec illi

Terra grauis fueris, non fuit illa tibi.

Iuuenalis Satyra septima:

Dij maiorum vmbri tenuem & sine pondere terram.

Vnde in veterum cippis vel tumbis olim septem literæ celabantur, H. S. E. S. T. T. L. id est,

Hic situs es, sit tibi terra leuis. ait Nebricensis.

Manibus illis) Manes, vt ait Ælius Stilo, dij inferi, quasi boni dicuntur & clemētes, vt improbi & crudeles, immanes. Seruius tamen ad illum Virgilij locum 6. Æneid.

Quisque suos patimur manes.

Manes interpretatur Genios. Martianus verò Manes ait corpori humano præfides attributos, qui parentum seminibus manerunt, qui sub Plutonis potestate sunt: vnde Summanus appellatur, quasi summus manium: de quo vide Lilius Gregorium, Historiæ deorum Syntagmat. 6. hoc autem loco manes pro sepulchro, in quo veteres mortuorum animas manere crediderunt, metonymicòs sumitur, adiunctum nempe pro subiecto.

Tumulo) Tumulus propriè omnis terra tumens appellatur. Virgilius secundo Æneidos:

*Tum tumulum capit, vnde omnis Troja videri
Possit.*

hinc per Metaphoram pro sepulchro ponitur, quòd accepto cadauere terra tumeat & infletur.

Fauilla) Fauilla cinis extinctus dicitur, quòd ignem foueat.

Nascentur) Quod rustici & imperiti homines optare solent, qui ad mortuorum cadauera rerum humanarum sensum aliquem putant peruenire: vt apud Iuuenalem Satyra septima:

*Dij maiorum vmbri tenuem & sine pondere terram,
Spirantesque crocos & in vrna perpetuum ver. &c.*

Rides ait) Verba sunt vani poetæ, nimiam Persij procacitatem inridenda perstringendaque poetarum vanitate castigantis. Argumentum est ex genere ad concludendam speciem: Omnes poetæ suorum laborum mercedem desiderant, gloriam: nihil igitur mirum, si eius cupiditate ducor. Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut.

*Si qua speris tanti domino consurgere ponto
Fama queat, tu sola animos mentemque peruris
Gloria, te viridem vident immunemque senectæ
Phasidis in ripa stantem iuuenesque vocantem,*

Naribus indulges) Id est rides: vncæ enim nares (ait ex Arist. Quintilianus) ingenium significant, risum, contemptum, fastidium: hinc vncis naribus indulgere, id est, (vt ait Horatius):

Naso suspendere adunco.

Huc pertinet illud Martialis:

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Hanc nasi figuram Persæ probabant. Cælius Rho. lib. 24. cap. 26.

Os populi) Metonymia primi generis: os enim ponitur pro approbatione, applausu, & gratulatione, quæ ore editur.

Cedro) Cedrus arbor parua & spinosa (ait Dioscorides) cariem & vetustatem non sentit: vnde ex ea arbore olium deorum simulacra fiebant, ait Plinius lib. 13. cap. 5. Ex eius autem oleo libri liniebantur, ne à tineis corroderentur, vt de Numæ Pompilij libris post 535. annum repertis idem affirmat Plinius, libri eiusdem, capite decimo tertio.

Est igitur hoc loco Synecdoche, Cedrus nempe pro cedrinis tabulis, in quibus sua carmina veteres exarabant: materia nempe pro ma-

teria

teria & forma: vel est Metonymia primi generis, Cedrus pro oleo ex Cedro, causa pro effectu, vt apud Horatium:

*Speramus carmina frigi
Posse, linenda cedro.*

Ouidius primo Trist. Elegia prima:

Nec titulus mimio, nec cedro carta notetur.

Vide Plinium, & Theophrastum libro tertio, & Erasmm in prouerbio, Digna cedro.

Scombrus) Scombrus piscis est, cuius congios cetarij cucullis inuoluebant, vt hoc tempore aromata pharmacopolæ: hinc cum inutiles alicuius libros significare volumus, daturos esse eos dicimus Scombris tunicas. Catullus:

Et laxas scombris sepe dabis tunicas.

Martialis: *Nec ronchos metues malignorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas.*

Horatius epistola prima libri secundi:

Deferat in vicum vendentem thus & odores

Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Nec thus) Quod item inutilibus chartis inuolui solet: imperitorum enim libri, vt ait Martialis,

*Nigram citò rapti in culinam
Cordyllas madida tegent papyro
Vel thuris piperisque erunt cucullus.*

*Quisquis es, ô modò quem ex aduerso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si fortè quid aptius exit,
(Quando hæc rara avis est) si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam (neque enim mihi cornea fibra est)
Sed re èti, finemque, extremumque esse recuso.
Euge tuum, & bellè, nam bellè hoc excute totum,
Quid non intus habet? non hic est Ilias Acci
Ebria veratro, non signa elegidia crudi
Dictarunt proceres, non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis, calidum scis ponere fumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et verum, inquis, amo: verum mihi dicite, de me,*

*Qui pote: vis dicam? nugaris, cum tibi Calve
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.*

Quisquis es) Apostrophe est ad vanum poetam: haecenus ad communem poetarum defensionem per prosopopoeiam inductum, quem refellit Persius contradictione speciali. Omnes poetae suorum laborum mercedem desiderant gloriam, (ait vanus poeta:) Persius suorum laborum mercedem non desiderat gloriam, (contradicit Persius) per dissimilitudinem: *Quamuis* (ait) si quid ego recte scribo, laudem mihi decerni non moleste fero: tamen ad laudem & gloriam non scribo.

Non ego) Protasis dissimilitudinis, modesta virium extenuatione illustrata.

Si quid tamen) *Si quis* interposita parenthesi, qualis est illa secunda Philippica: Bona Cnei Pompeij (miserum me confectis enim lachrymis, tamen infixus animo haeret dolor) bona inquam Cnei Pompeij magni acerbissimae voci subiecta praconis, &c.

Rara avis) Alludit ad Phoenicem avem, quam vnicam in toto terrarum orbe esse ait Plinius lib. 10. cap. 10. Ovidius huius avis naturam eleganter describit 15 Metamor. his versibus:

*Vna est quae reparat, quae seipsa refeminet ales,
Assyri Phoenice vocant, nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lachrymis & succo viuit amomi:
Haec vbi quinque suae complevit secula vitae,
Illic in ramis tremuloque cacumine palmae,
Vnguibus & duro nidum sibi construit ore:
Quo simul ac Castas & Nardi leuis aristas,
Cassaque cum fulua substravit cinnama myrrba,
Se super imponit finitque in odoribus aenum:
Inde ferunt totidem qui viuere debeat annos
Corpore de patrio paruum Phoenice renasci.*

Haec Ioui sacra est, (ait Plinius) in quam Ceneus x. Metamor. mutatus esse fingitur ab Ovidio: hinc proverbum, Rara avis, pro re singulari, egregia, inuentuque difficili vsurpatur: vt apud Iuuen. Sat. 6.

Rara avis in terris nigroque smillima cygno.

Vide Erasmus in proverbio Rara avis,

Cornea) Metaphora est, id est, dura vt cornu ex simili simile.

Fibra) Metonymia tertij generis, vulgus enim fibris & intestinis animum contineri putat: hinc fibra pro anima, continens pro contento. Est etiam Metaphora: fibra enim pro intestinis & visceribus per similitudinem ponitur, cum fibra proprie in arboribus & plantis vsurpetur. Significat autem his similitudinibus Persius, se inglorium non esse, nec iustam gloriam aspernari, sed tamen vanam illam populi

populi auram ambitiosè non consecrari. Gloria enim (ait 3. Tuscul. Cicero) solida quaedam res est & expressa, non adumbrata: ea est contentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute, ea virtuti resonat velut imago gloriae, quae quia rectè factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem quae se eius imitricem esse vult temeraria atque inconsiderata & plerumque peccatorum laudatrix fama popularis, simulatione honestatis formam eius pulchritudinemque corrumpit. Tu ergo, quae habent speciem gloriae collectae ex inanissimis splendoris insignibus contemne, breuia, fugacia & caduca existima.

Sed recti) Antapodosis dissimilitudinis, tamen ad laudem & gloriam popularem non scribo. Quamuis enim virtutè gloria tanquam vmbra corpus sequitur, tamen nulla potest esse virtus nisi gratuita. Nam virtus, quae velut mercede aliqua ad officium impellitur, non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis: Cicero 5. Tuscul. Claudianus in consulatu Manilij.

*Ipsa quidem virtus praemium sibi solaque late
Fortunae secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur, plaususque petit elarescere vulgi.
Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis.*

Igitur altè spectare si voles (ait in Somnio Scipionis Africani) atque hanc sedem & aeternam domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, nec in praemij humanis spem posueris rerum tuarum, suis te illecebris oportet illa virtus trahat ad verum decus, quid de te loquantur ipsi videant, sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille & angustij cingitur ijs regionum quas vides, nec vnquam de villo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & obliuione posteritatis extinguitur.

Euge) Ratio proximae Antapodoseos dissimilitudinis ex adiunctis popularis laudis, quia adulatione plena fit laus ea quae poetis à populo decernitur. In ijs autem verbis (euge & bellè) breues sunt Prosopopoeiae adulatoribus poetis ob scriptos vel recitados versus. Sic poetarum: Euge Poeta. & Martialis:

Effare, grauitè, citò, nequiter, euge, beatè.

Et Horatius de adulatoribus loquens in Arte poetica:

Clamabit enim, pulchrè, bene, rectè.

Excute) Metaphora est à rebus corporeis ad incorporeas. Sic in Antonium Cicero: Explica atque excute intelligentiam tuam.

Intus habet) Apophthegma siue reticentia: abruptitur enim oratio per iracundiam, vbi subaudiendum est (adulationis.)

Non est hic) Concludit agitatam haecenus de sine scribendorum poematum questionem ex dissimilib. Quare nò quemadmodum Accius Labeo aut Romani principes: sic ego ad populi applausus captan-

dos carmina scribam aut recitabo: vbi suorum temporum vanitatem apertius perstringit Persius: tum enim omnes ferè principes se ad poeticam conferebant, ijdemque studijs quibus Neronem antea oblectari solitum diximus, delectabantur: vnde Horatius epist. 1. lib. 2.

Mutavit mentem populus leuis, & calet vno

Scribendi studio, puerique patresque severi.

Fronde comas victi cenant & carmina dicant.

Idem in Arte:

Qui nescit, versus tamen audet fingere, quid nisi

Liber & ingenuus praesertim census equestrem

Summam nummorum vitioque remotus ab omni.

Ilias Acci) Hic ille est Accius Labeo, de quo antea.

Ebria veratro) Veratrum herba, quæ & Helleborus dicitur, quondam terribilis (ait Plinius lib. 25. cap. 5.) sed postea tam promiscua, ut plerique eam studiorum gratia ad prouidenda acrius ea quæ commentabantur sæpius sumptitauerint, ut Carneades responsurus libris Zenonis, ut ait Gellius lib. 7. cap. 15. superiora corporis helleboro candido purgavit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad animi domicilia redundaret. idem narrat de Liuio Druso tribuno plebis. Helleborus enim cerebrum purgat, (ait idem author) vnde fatui Helleboro dicuntur egere. nascitur autem in Anticyra: vnde est illud Ouid. 2. de Ponto:

In pontum si quis mihi dixerit ibis,

Ibibe dixissem purgantes pectora succos,

Quicquid & in tota nascitur Anticyra.

Significat autem hoc loco Persius Labeonem (ut antè de Carneade diximus) in scribenda Iliade cerebrum sæpe Helleboro purgare solitum, vel debuisse.

Non) Anaphora in principijs incisorum.

Elegidia crudi) Notat stultam & ambitiosam versum inter pocula dictandorum recitandorumque consuetudinem, quam Martialis reprehendit lib. 5. Epig. 92.

Fugerit ad mensas phœbus cœnamque Thyestis

Ignoro, fugimus nos Ligurine tuam.

Illa quidem lauta est dapibus instructa superbis,

Sed nihil omnino te recitante placet.

Nolo mihi ponas Rhombum mulinæ bilibrem,

Nec volo boletos, ostrea nolo, tace.

Et Horatius circa finem Poeticæ artis, cum ait:

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus,

Quem vero arripuit tenet occiditque legendo,

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Crudi) Metonymia est tertij generis, crudi proceres, id est, crudum adhuc in stomacho cibum gerentes:

Iuena-

Iuuenalis Satyra 1. *Crudum pauonem in balnea portas, &c.*

Proceres) Sic 2. Æneidos:

At Danaum proceres Agamemnoniæque phalanges.

Vtrobique autem Metaphora est à capitibus trabium, quæ extra terram vel murum eminent, vnde per similitudinem principes in Republica dicuntur proceres: rariùs verò procerem in singulari, tametsi apud poetas aliquando: Iuuenalis Sat. 8.

Agnosco procerem, salue Getulice, seu tu.

Lecti Citrei) Citrus arbor in Atlante monte Mauritanie nobilis, ex qua olim mensæ, tabellæ, scamna, sedilia, lectuli nobilissimi fiebant. Lucanus libro 9.

Tantum Marusia genti

Robora diuitiæ, quorum non nouerat usum,

Sed citri contenta comis viuebat & umbra:

In nemus ignotum nostræ venere secures,

Extremoque epulas mensasque petiuimus orbe.

Cuius summa laus in vena fuit, crispis vel in vertice varijs: illud oblongo euenit discursu, ideoque Tigrinæ appellantur: vndatim Pauonum caudæ oculos imitantur. Huius arboris tanta Romæ fuit æstimatio, ut eodem auri pondere rependeretur. Martialis:

Accipe felices Atlantica munera syluas,

auræ qui dederit dona, minora dabit.

Plinius lib. 13. cap. 15. Atlas mons peculiari proditur sylua, confines ei Mauri, quibus plurima arbor Cedri & plurima mensarum infania, quas scæminæ viris contra margaritas regerunt: extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo æuo empta HS. decem: memoratur & Galli Asinij. HS. vndecim: venundatæ sunt & duæ, luba rege vendente, quarum alteri pretium fuit HS. quindecim, alteri paulo minus, &c. Vide locum. huius arboris maximus fuit in mensis conficiendis vsus, quarum forma erat orbiculata, pes eburneus: vnde est illud Iuuenalis Sat. 11.

At nunc diuitibus cœnandi nulla voluptas:

Nil Rhombus, nil Dama sapit, putere videntur

Vnguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes

Grande ebur.

Significat autem hoc loco Persius principes Romanos arti poeticæ adeo intentos fuisse, ut Citreas secum semper gestarent tabellas, in quibus carmina extemporanea & temerè facta (quæ operæ celeris nimium curæque carentis ab Horat. in Arte appellantur) exarant. Quales tabellas Romanis in vsu fuisse significat Martialis hoc disticho:

Seclæ nisi in tenues effemus ligna tabellas,

Effemus Lybici nobile dentis onus.

Et Iuuenalis Satyra septima:

Atque in dæ crocæe membrana tabellæ

Impletur.

Calidum) Reuertitur Persius ad laudis popularis infectationem, quam nimis ambitiosè poetæ confestabantur, eamque adulationis plenam esse docet ex effectis ipsorum poetarum sine declaratis. Poetæ enim certos homines ad cœnam vocabant, muneribusq; corruppebant, à quibus laudarentur: quod vitium notat Horatius libro 1. epistola penultima ad Mecœnatem:

*Scire velis mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum & trita munere vestis.*

Contra huiusmodi poetæ conueniet illud Martialis lib. 6. in Pomponium:

*Quod tam grandè sophos clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.*

Sumen) Sumen farciminis genus quoddam fuit, in magnis apud Romanos delitijs habitum, quod ex suillis mammis post primum partum resectis fiebat, antequam eas foetus luxisset. Martialis:

*Esse putes nondum sumen, ita munere larga
Effluit, & viuo lacte papilla tumet.*

De quo vide Plinium lib. 11. capite trigesimo septimo.

Scis comitem) Epanodos est in huius verbi (scis) repetitione. Hanc autem iudicandi corruptelam notat. Horat. in Arte poet. his versib.

*Vt præco ad merces, turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta,
Diues agris, diues positus in senare nummis.*

Et verum) Prolopopœia est vani poetæ, quid de se populus sentiat à corruptis adulatorib. percontantis, at (vt ait Horat. Sat. 2. lib. 2.

*Malè verum examinat omnis
Corruptus iudex.*

Epanodos autem est altera in repetitione huius dictionis (verum.)

Vis dicam) Intercepit quæstionem vani poetæ Persius, eiq; verum audire cupienti scilicet, verum respondet.

Nugaris) Quid de vano poeta sentiat populus, apertè & sine fūco explicat Persius, id est, huiusmodi poetæ nugatores esse vanissimos, libidini ventriq; non laudi atq; gloriæ natos, quod ex adiunctis corporis confirmat.

Calus) Synecdoche est speciei pro genere. Caluus enim poeta fuit Ouidij tempore, Catulli amicissimus, cuius meminit Ouidius in morte Tibulli, secundo Amorum:

*Obuius huic venies bedera iuuenilia cinctus
Tempora cum Caluo doctus Catulle tuo,*

Hic autem pro quouis poeta ponitur. est & Ironia: nobilis enim fuit poeta Caluus, qui Quintiliæ amicæ suæ mortem elegantissimè versibus elegiacis deplorauit (vt ait Propertius:) hic autem pro vano & nugatorio poeta ponitur.

Aqualiculus

Aqualiculus) Aqualiculus propriè sentinam domus significat, in quam omnes fordes confluunt: hinc per metaphoram pro ventre heluonis & impuri hominis ponitur, in quem cibi haud secus ac in sentinam fordes confluant. Hic autem Persius obesum aliquem atque pinguem inter cæteros poetam notat, vt parum ingeniosum: Obesi enim & quibus venter est pinguis (vt ait Plinius) minus solent esse ingeniosi, quod Græci hoc prouerbio significant:

Γαστήρ παχύνει μὴ τρέψῃ λεπλὴν φρένα.

Id est, *Subtilem haud parit obesus aluus mentem.*

Sic 3. Sat. Nattam bardum stupidumque confirmat:

*Fibris increuit opimum
Pingue caret culpa.*

Hinc illud Cæsaris celebratur, qui dicere solebat, nihil se obesos istos & rubicundos (Antonium & Dolabellam indicans) sed macilentos & pallidos, Brutum & Cassium designans, reformidare.

Sesquipede) Sesqui verbum est in appositione inuentum, quod mensuram significat, quasi diceret tantundem & semis, vt sesquimensis, sesquimo dius, sesquilibra, sesquipes. Martialis lib. 8.

*Summa Palatini poterat equare Colossi
Si fieres breuior, Claudia, sesquipede.*

*O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguae quantum sitiatis canis Apula, tantum:
Vos, ô patricius sanguis, quos viuere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrere sanna.
Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, vt perleue seueros
Effundat iunctura unguis? scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat vno:
Sive opus in mores, in luxum, & prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat musa poetæ*

O Iane) Exclamatio est per Apostrophem ad Ianum, per cuius dissimilitudinem vanos poetæ ludibrio vulgiquè fabulam esse docet, non quemadmodum bisfronti Iano illudere à tergo nemo potest: sic nec principibus Romanis vanam ex poetica laudem affectantibus.

O lane) Protasis dissimilitudinis.

Iane) Ianus antiquissimus Italiae deus & Latij rex, à quo Ianiculum dictum: sic enim est apud Virgilium:

*Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.*

Dictus Ianus (vt ait z. de Natura Deorum Cicero) ab eundo, quod coelum & tempus semper eat, vel à ianuis. Nam vt idem Ianus apud Ouidium loquitur i. Fastor.

*Præsideo foribus caeli, cum mitibus Horis,
Et redit officio Iuppiter ipse meo.*

Inde vocor Ianus.

Hunc autem ait Persius à nemine irrideri posse, quod (vt est apud Ouidium sexto Fastorum)

*Stulta videt Ianus, quæ post sua terga geruntur,
Nil agis, & latebras respicit ille tuas.*

Eum bicipitem, aliquando etiam quadricipitem finxit antiquitas: bicipitem quidem, quod æui temporisue Deus esset, præterita futuraque cerneret. Sic enim est apud Ouidium. i. Fastorum:

*Iane biceps, anni tacite labentis origo,
Solutus de superis qui tua terga vides.*

Cuius rei causam explicat Plutarchus in causis Romanorum capitum: & Seruius in illud Virgilij lib. 7.

Sunt gemine belli portæ, &c.

Quantum longè diuersam eiusdem rei rationem assignat idem Ianus apud Ouid. i. Fastorum:

*Ora vides Hecates, in treis vergentia partes,
Seruet vt in ternas compita secta vias:
Sic mihi ne flexu ceruicis tempora perdant,
Cernere non moto corpore bimalices.*

Quadricipitem verò & quadrifrontem Ianum veteres finxerunt, propter quatuor anni partes & conuersiones, quas ille sua maiestate complectitur atque intuetur, (vt ait Macrobius, & diuus Augustinus lib. 7. de Ciuitate dei) cuiusmodi Iani simulachrum captis Phaliscis inuentam ait esse Seruius, dicatum Romæ primùm à Numa Pompilio digitis ita figuratis, vt cccxv. nota, per anni significationem, temporis & æui se deum esse demonstraret, author Plin. lib. 34. manibus virgam & clauem tenebat, quod primus seras & clauem excogitasset. Ouid. i. Fastorum:

*Nil mihi cum bello, pacem postesque tuebar,
Et clauem ostendens, hæc (ait) arma gero.*

De Iani nomine vide Cælium Rhodiginum lib. 2. cap. 23. de Forma & imagine: vide eundem lib. 23. cap. 11. & Liliam Gregorium de Dijs gentium Syntagmate 4.

Nila Ciconia) Remouet à Iano aliquot posticæ subsannationis species

cies ad remouendum genus ipsum, id est, subsannationem & derisionem. Prima species est Ciconia. Est autem Ciconia auis notissima, de qua Plinius lib. 10. cap. 23. in qua significatione hoc loco non sumitur, sed per Metaphoram pro eius similitudine & effigie quadam, quæ manu contracta digitisque in rostri speciem compositis representatur, quo genere subsannationis plerumque vtuntur ardeliones.

Necmannus) Secunda posticæ subsannationis species, cum pollicibus ad tempora appositis reliquos digitos motitantes, asininas auriculas imitatur.

Albas) Periphrasis est auricularum asininarum ex adiunctis: pilos enim albos intus habent, vnde Ouid. ii. Metamorph. de Mida loquens:

*Nec Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram,
Sed trahit in spatium villisq; albensibus implet,
Instabilesque illas facit, & dat posse moueri.*

Nec lingue) Tertia species posticæ sanninæ, pueris vsitatissima, qui sæpe in eos quos contempnunt, linguam exerunt, quæ declaratur partium collatione.

Canis Appula) Apulia regio est Italiae, in secundo Europæ sinu, de qua vide Plinium libro tertio cap. 11. est autem calidissima, vnde eam siticulosam appellat Horatius: itaque canem Appulam hic dixit Persius, pro sitiente, quod in ea regione canes propter perpetuam sitim linguam exerant.

Vos ô Patricius) Antapodosis dissimilitudinis, iisdem rhetoricis ornamentis, quibus antè Protasis exornata, exclamatione scilicet & a uersione.

Patricius sanguis) Metonymia primi generis, causa pro effectu, id est, homines patricio genere nati, vt apud Horatium in Arte:

Vos ô Pompilius sanguis.

Quos viuere) Breuis antapodoseos ratio ex adiunctis interponitur, quod non possint cauere posticas sannas Romani heroes, quia cæci sint post tergum.

Sanna) Sanna os distortum propriè significat: hinc sanniones appellantur homines inoribus, gestu, vultu denique ipso ridiculi. Cicero 2. Oratorio: Quid enim potest esse tam ridiculum, quàm sannio est, qui ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso? hinc Sanna per Metaph. pro derisione, quæ à tergo nudatione priorum dentium fit, ponitur: Iuuenalis Sat. 6.

Inunc & dubita quin sorbeat aera Sanna:

Tullia.

Quis populi) Altera est eiusdem vani poetæ Prosopopœia, quid de se populus sentiat ab adulatoribus percontantis: cui respondentem inducit adulatorem eius versus hyperbolicòs laudantem, vt intelligatur id quod iam antè pluribus disputatum est, eam laudem, quæ

vulgo poetis affingebatur, non à certo animi iudicio, sed ab adulatione & morbo, quodam animi proficisci, quam à bono & sapiente poeta repudiandam esse docet Horatius in Arte poetica his versibus:

*Tu seu donaris seu cui donare voles quid,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Læritiæ, clamabit enim, pulchrè, bene, rectè,
Pallefcet super his etiam, stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram
Ut qui conducti plorant in funere dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor verò plus laudatore mouetur.*

Quis enim) Verba sunt assentatoris, vani poetæ carmina tritæ cuiusdam vestis aut cœtæ mercede hyperbolicòs laudantis, & populum vani poetæ versus ex adiuncta primùm suauitate & modulatione probantem per profopopœiam obliquam effingentis.

Ut perleue) Allegoria est à marmorarijs, qui lapidum commissuras vngue pertentant, vnde res ad vnguem facta dicitur, id est perfecta & absoluta: hinc Metaphoricòs ad res incorporeas transfertur, vt apud Horatium in Arte:

*Carmen reprehendite, quod non
Longa dies & multa litura coercuit atque
Perfectum decies, non castigauit ad vnguem.*

Tum enim Marmorarij aptam lapidum vellignorum commissuram esse iudicabant, cum vnguis superinductus nulla asperitate offenderetur: huc alludit Satyra quinta Persius:

luneturæ callidus acri, &c.

Scit tendere) Aliud argumentum laudis ex comparatione partium, tam rectè versus scribit vanus poeta, quam rectè fabri lignarij lineâ ad normam & perpendicularum notant rubrica aut creta.

Rubrica) Rubrica terra ruffa, quæ & synopsis dicitur, de qua vide Plinium lib. 35. cap. 6.

Sive opus) Tertium argumentum laudis, quam à populo vano poetæ decerni fingit adulator, ex subiecta materia sumitur, quod de re qualibet etiam grauissîma, elegancia tamen & polita scribat carmina, quod efficiente causa declaratur, id est, Musarum inspiratione.

In prandia) Metonymia est quarti generis: nec enim poetæ in prandia regum scribebant, sed in régès profusè & luxuriosè prandentes: in hac autem ficta populi profopopœia obseruare licet veram & expressam adulatoris speciem, qualis apud Terentium in Eunucho, & apud Iuuenalem Satyra 4. describitur:

*Quid quod adulanti gens prudentissîma, laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inuulidi collum, ceruicibus æquat
Herculis, Antheum procul à tellure tenentis?*

Admiratur

*Miratur vocem augustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur Gallina marito
Natio comæda est, vides maiore cachinno
Concùtitur, fiet, si lacrymas aspexit amici:
Nec dolet, igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem, si dixeris æstuo, sudat.*

*Ecce modò heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos græcè, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, vbi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa Palilia feno:
Vnde Remus, sulcoque terens dentalia Quinti,
Quum trepida ante boues dictatorem induit vxor:
Et tua aratra domum licetor tulit: euge poeta.*

Ecce modò) Hic finis est Dialogismi vani poetæ & adulatoris, quo concluditur primùm Satyræ huius in poetarum vanitatem argumentum: secundum deinde sequitur, ex eodem vanitatis fonte deductum eodemque fine declaratum, in huiusmodi poetarum argumentum, qui ad aucupandum aliquod doctrinæ & eruditionis nomen, Græca Latinis miscebant, resque graues & altiloquas carmine suo tractandas suscipiebant.

Nugari solitos Græcè) Hanc Græci sermonis affectationem reprehendit Iuuenalis Satyra 6. his versibus:

*Omnia Græcè
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pauent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta, quid vltra?
Concumbunt Græcè.*

Et Horatius 1. Sermonum Sat. 10. vbi hæc ironicòs dicuntur:

*At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
Miscuit, ô feri studiorum, &c.*

Idem quoque in Latina oratione vitiosum esse docet Cicero prima Tusculana qui testem citaturus Epicharmi versus: Dicam si potero (ait) Latine, scis enim me Græcè loqui in Latino sermone non plus sole, quam in Græco Latine. Et rectè quidem, respondet Atticus.

Nec ponere) Confirmat res graues & altiloquas à vanis poetis describi non posse. Argumentum est ex collatione minorum, non possunt res tritas & vulgares, multò minus igitur res graues & arduas, quas tamen suscipiebant, Horatiani huius immemores in Arte:

*Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & veritate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deferret hunc, nec lucidus ordo.*

Lucum) Lucus ferè semper pro consecrata sylua numini alicui ponitur. Sic Fauni lucus ab Ouidio describitur 3. Fastorum:

*Lucus Auentino suberat niger ilicis vmbra,
Quo possis viso dicere numen inest.*

Sic ab eodem lucus Iunonis libro 2.

*Monte sub Esquilio, multis incedens annis
Iunonis magnæ nomine lucus erat.*

Itaque luci sæpe sacri appellantur, vt à Virgilio 5. Æneid. vnde scribit Tacitus, Germanos veteres nulla alia templa habuisse quàm lucos, nemoraque deorum suorum nominibus appellata: nonnulli lucos dictos aiunt, quia religionis ergo lumina ignesque in lucis excitarentur. Quanquam Quintilianus lib. 1. ait dictos, quoniam cum nullæ illic arbores propter religionem cæderentur, opaci essent & sine luce. vide Seruium in illud Virg. 6. Æneid.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Artifices) Metaphora est, pro gnaris & peritis, quales in sua arte solent esse artifices.

Rus faturum) Descriptio est ruris ex adiunctis: appellatur autem rus faturum, id est, abundans rebus omnibus: semper enim (ait Cicero in Catone maiore) boni assiduique domini referta est cella vinaria, olearia, & penuaria villaque tota locuples est: abundat enim porco, hædo, agno, gallina, caseo, melle: iam hortum ipsi agricolæ fuccidiam alteram appellant.

Palilia) Palilia, festa, quæ quotannis 12. Calend. Maij (qui natalis Romanæ vrbs dies fuit) in honorem Deæ Pales, quæ pabulis præerat, Romæ celebrabantur. Propertius lib. 4.

*Vibi festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cepit manibus esse dies.*

Eo die sanguinem effundere nefas erat. viuebatur autem lacte & herbis: sanguinem enim eo die fundi nefas esse ducebant, quo illi sanguinem, id est, vitam (cuius causa efficiens est sanguis) recepissent. Ouidius quarto Fastorum:

*Dum licet apposita veluti cratere camella,
Eac niueam potes purpureamque saram.*

Fumosa autem Palilia appellantur, quia eo die sub noctem ignes à rusticis ex stipula solerent excitari. Ouidius ibidem:

*Moxque per ardentis stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.*

Cuius rei rationem subiicit Ouidius, nempe quia

*Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit, idcirco cum duce purgat oues. & paulò post
Hoc tamen est vero propius, cum condita Roma est
Transferri iussos in noua tecta Lares.
Mutantesque domum tectis agrestibus, ignem
Et celsaturæ supposuisse casæ.
Per flammam salisse pecus, salisse colonos,
Quod sit natali nunc quoque Roma tuo:*

Vide Tibullum Elegia 5. libr. 2. & Propertium libro 4. elegia 1. de vrbe Roma.

Vnde Remus) Romuli frater: hoc autem subdidit cum vt Romanorum genus notaret, qui à pastoribus originem trahebant, vt indicat Iuuenalis Satyra octaua:

*Et tamen vt longè repetas longæque reuoluas
Nomen, ab infami gentem de ducis asylo
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum
Aut pastor fuit, aut aliquid quod dicere nolo.*

Tum etiam quia Paliliorum die à Romulo vrbs Romanæ signata sunt in cænia. Ouidius 4. Fastorum:

*Apta dies legitur, qua mænia signet aratro,
Sacra Palis suberant, inde mouetur opus.
Fossa fit ad solidum, fruges iaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita solo.*

Sulcoꝝ terens) Apostrophe est ad L. Quin. Cincinnatum, qualis est illa apud Virg. 6. Æneid.

Quis te magne Cato tacitum, aut te Cossæ relinquat.

Et paulò post: *Et te sulco Serrane serentem.*

Serranus enim dictus est Cincinnatus à bene serendo, qui ter ab aratro ad rempublicam vocatus est: Plinius lib. 18. cap. 3. Cui (ait) dictaturam viator attulit, & quidem nudo plenoque pulueris ore, cui viator vela (inquit) corpus, vt proferam populi fenatusque mandata. & in Catone maiore: Siquidem in agro aranti Lucio Quintio Cincinnato nuntiatum est, eum Dictatorem esse factum: cuius Dictatoris iussu magister equitum C. Seruilius Hal. Spur. Melium regnum appetentem & occupare volentem interemit: de quo vide Liuium libro. 4. Decad. 1.

Dentalia) Synecdoche partis aratri pro toto aratro.

Dictaturam induit) Metonymia tertij generis, dictatura pro veste dictatoria & insignibus, quibus à listore exornatus est Cincinnatus. de Dictatura autem & dignitate Dictatoris vide Feneftell. cap. 8. & Pomponium Lætum.

Vxor) Nomine Rancilia, quæ togam properè è turgurio viro postulanti protulit, cum mandata senatus togatus vt audiret à legatis

rogaretur, qui eum operi rustico intentum nomine senatus salutabant. Lilius libro 3. Decad. 1.

Lictor) Nonnullis idoneis authoribus, lictores, vt & sella curulis, toga & prætexta ab Hetruscis finitimis populis, Romam asciti esse videntur. Sicq; dicti à ligando, quod quem consules prehendi ligariq; iussissent, præstò essent ad ligandum &prehendendum, & venientes consulibus obuiam, de equo descendere iuberent. Fenestella cap. de Consulibus. Hic autem lictorem pro viatore dixit, per quem homines ad magistratus ex agris euocabantur, cuique frequens erat ex Vrbe in agros via: vnde Columella in præfatione: Illis temporibus proceres ciuitatis in agris morabantur, & cum consilium publicum desiderabatur, à villis accerfebantur in senatum, ex quo qui eos euocabant, viatores nominati sunt. Cicero de Senectute: A villa in senatum accerfebantur Curius & reliqui senes: ex quo qui eos accerfebant, Viatores nominati sunt.

Euge poeta) Concludit secundum poeticæ vanitatis argumentum ironica quadam salutatione per Apostrophen ad vanum poetam.

*Est nunc Brisei quem venosus liber Acci,
Sunt quos Pacuuiusque & verrucosa mouetur
Antiopa, ærumnis eor luctificabile fulta,
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisne vnde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? vnde istud dedecus, in quo
Trossulus exultat tibi per subsellia læuis?*

Est nunc) Tertium poeticæ vanitatis argumentum item ex factis, quod affectent antiqua & obsoleta verba, poetasque veteres imitentur, vt Pacuuium, Accium, & alios: quod est apud Græcos laudabile fuit, propterea quod vt poetarum Græcorum quisque antiquissimus, ita & optimus: apud Latinos tamen non item. vnde est illud Horatij Epist. libro secundo:

*Si quia Græcorum sunt antiquissima quæque
Scripta, vel optima, Romani pensantur eadem.
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur,
Nil intra est oleam, nil extrâ est in nucè duri.*

& paulò post: *Non meliora dies, vt vina, poemata reddit.*
Vide quibus verbis adolescentem nimis verustè & præcè loquentem reprehendat Phauorinus apud Gellium lib. 1. cap. 10. & eundem Gellium lib. 11. cap. De fugiendis verbis obsoletis.

Brisei

Brisei) Quidam legunt Briseis, vt referatur ad historiam Briseidos, quam poemate aliquo descripserit Accius poeta nobilis, de qua vide Homerum Iliade 1. vt Briseis Accij, sicut & Antiopa Pacuij paulò post, synecdochicòs pro vtriusque poemate ponatur. Alij tamen malunt Brisei legere, id est Bacchici, vt sit epitheton Bacchi, poetis conueniens, quia (vt antè dictum est) sunt in tutela Bacchi. Briseus autem dictus est Bacchus (vt placet Stephano) à Brisa promontorio Lesbi, vbi colebatur: vel potius (vt ait Cornutus) à nomine cuiusdam Nymphæ, à qua educatus Bacchus fuisse fingitur: Nam (vt ait idem Cornutus) duæ in Græcia fuerunt Liberi patris statuae, vna hirsuta, quæ dicebatur Brisei, altera læuis & sine pilis, quæ dicebatur Lænei.

Venosus) Metaphora est ab animalium corporibus, in quibus inflationes & turgidiores venæ inæqualitatem & asperitatem quandam efficiunt: hinc enim venosus liber Acci dicitur, id est, durus & asper: de cuius asperitate vide Gellium lib. 13. cap. 2. Martialis.

Attonitusq; legis terrai, frugiferai,

Accius & quicquid Pacuuiusq; vomunt.

Acci) Accius poeta Tragædus summa sententiarum grauitate ac pondere, vnde animosi oris ab Ouid. appellatur 1. Amor. Eleg. 5.

Ennius arte carens animosiq; Accius oris

Casurum nullo tempore nomen habent.

Asperior tamen in verbis & durior, vt apud Gellium notat Pacuuius in eo sermone & congressu, quem Tarenti cum Accio dicitur habuisse, quem describit Gellius lib. 13. cap. 2. Hic præter fabulas Annales quoque scripsit, vt ait Macrobius primo Saturnalium, ex quibus verbis hos citat:

Maxima pars Graium Saturnio & maximæ Athenæ

Consciunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis,

Cumque diem celebrant, per agros vrbesque ferè omnes

Exercent epulis leti, famuloque procurant

Quisq; suos, nostriq; iidem, & mos traditus illinc

Iste, vt cum famulis domini epulentur ibidem.

Huiusmodi Accij poetæ versibus D. Brutum aditus templorum ait exornasse suorum, Cicero in Archiana.

Pacuuiusque) Pacuuius poeta quoque Tragædus, vel potius princeps Tragædorum (vt in initio fragmenti de optimo genere Oratorum ait Cicero) natione Brundusinus, Ennij ex sorore filius, cuius colloquium cum Ario vicino suo vide apud Cælium Rhod. lib. 14. cap. 14. Is senex Tarentum migravit, vbi propè nonagenarius diem obiit: Olympiade, vt scribit Eusebius 57. composito sibi prius epigrammate verecundiæ pleno (vt ait Gellius lib. 1. cap. 25.) & digno eius elegantissima grauitate:

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat

Vt se aspicias, deinde quod scriptum est legas,

*Hic sunt poetæ Pacuuij Marci sita
Ossa, hoc volebam nescius ne esses: vale.*

De utroque autem Tragœdo sic Quintilianus libro decimo: Tragœdiæ (inquit) scriptores clarissimi grauitate sententiarum verborumque pondere & authoritate personarum, cæterum nitor & summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quàm illis defuisse, virium tamen Actio plus tribuitur, Pacuuium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.

Verrucosa) Dürior & asperior. Metaphora est ex eodem genere, quo illa fuit paulò antè (Venofus.)

Antiopa) Synecdoche est. Antiopa enim pro poemate Pacuuij, & varijs ab eo editis fabulis ponitur, pars pro toto. Antiopam autem scripsit Pacuuius, vt testis est Cicero initio libri primi de Finibus: Quis enim (ait) Ennij Medæam, aut Pacuuij Antiopam spernat & reijciat? Fuit autem Antiopa Nicteï Lesbiorum regis filia, ex qua cum Iupiter Amphionem & Zethum procreasset, à Lyco marito suo Thebanorum rege repudiata est, noua vxore superinducta Dirce Solis filia, quæ infinitis cruciatibus propter suspicionem pellicatus Antiopam vexauit, à cuius tandem filijs Amphione & Zetho Dirce indomitum equorum caudis alligata meritis sui sceleris pœnas luit.

Luctificabile) Luctificum dixit Cicero 2. Tusc. in Æschiliani cuiusdam versus interpretatione.

Hos pueris) Amplificat Persius proximum vanitatis argumentum ex effectis: quia hæc antiquitatis nimis ambitiosa affectatio linguam Latinam corrumpat. hinc illud Phauorini apud Gellium solers cuiusdam antiquario responsum: Viue moribus præteritis, vt ere verbis præsentibus: nam vt ait Horatius in Arte:

*Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modò nata vigentq.*

De vetustate verborum vide Quintilianum lib. 1. cap. 2.

Infundere) Metaphora ab aquis.

Lippos) Metaphora à corpore ad animum: sic Sat. 2.

Messala lippa propago.

Sartago) Sartago instrumentum culinarum: hic autem per Metonymiam tertij generis pro sibilo & stridore dictionũ antiquarum ponitur, qui talis est, qualis esse solet is, qui editur cum aliquid in sartagine frititur. Simile est illud Iuuenalis Satyra 14.

Paruoque eadem mouet arma fruillo.

Linguas) Metonymia est causæ pro effectu: lingua enim pro sermone ponitur, vt in Fato: Sed decet augentem linguam Latinam nominare moralem: id est, sermonem Latinum.

Trossulus) Equites Romani primum sub regibus Celeres: deinde Flexamines, postremò Trossuli dicti sunt, quod oppidum citra Volcanios.

scinios passuum 10. millia sine vllò peditum auxilio cepissent, Plin. lib. 33. cap. 2. Hic autem Trossulus pro Romano aliquo spectatore & auditore Synecdochicòs ponitur.

Subsellia) Tribunorum, Triumuirorum, Quæstorum, Equitum fuerunt sellia. Author Asconius Pedianus in primam actionem in Verrem.

Læuis) sine pilis. Sic Iuuenalis Sat. 8.

*Canibus pigris, scabièque vetusta
Læuis.*

Nilne pudet capiti, non posse pericula cano

Pellere? quin trepidum hoc optes audire decenter.

Fur es (ait Pedio) Pedius quid? crimina rasis

Librat in antithetis, doctas posuisse figuras

Laudatur. bellum hoc? hoc bellum? an Romule ceues?

Men' moueat quippe, & cantet si naufragus, assem

Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum

Ex humero portes: verum, nec nocte paratum

Plorabit, qui me volet incuruasse querela.

Nilne pudet) Hactenus contra poetas disputatum est, nunc conuertit stylum suum Persius in Oratores, in quibus eandem vanitatem exagitat. Argumentum est ex factis, quod varijs circumstantijs amplificatur, quod pro reo dicentes in periculo capitis nulla obiectorum criminum ratione habita fucati medicamenta candoris & ruboris consèctentur sine vllò sententiarum pondere. Cuiusmodi Oratorem ridet Quintilianus lib. 9. Quis enim ferat (ait) contrapositis & consimilibus irascentem, silentem, rogantem, deprecantem, vbi atrocitate, inuidia, miseratione opus est? cum iam cura verborum de-roget affectibus fidem, & vbiunque ars ostentatur, veritas abesse videatur.

Capiti cano) Id est vetulo & iam seni oratori, & patrum sapienti: Synecdoche autem est. Sic antea:

Tum vetule, auriculis alienis, &c.

Pellere) Id est, Auertere à capite rei periculum iudicij.

Trepidum) Metonymia subiecti pro adiuncto, id est voce tremula, qua quæ sequuntur, ab adulatoribus pronuntiari solent: similibus fuit initio:

Tremulo scalpuntur vbi intima versu.

Fures) Dialogismus est duorum adulatorum, quorum alter Pe-

ditum in foro dicentem audiuisset: alter qua eloquentia pro reo Pedius dixerit percontari fingitur, vterque ad adulandum comparatus: hic posterior, ille prior facilioris intelligentiæ causa nominetur.

Ait Pedio) Pedium Synecdochicis, pro quouis fori Romani patrone & oratore dixit, vt Satyra, Craterum pro quouis medico, speciem quippe pro genere. Fuit autem Pedius orator, cuius meminit Horatius i. Sermon. Satyra 10.

Cum Pedius causas exudet Publicola atque Coruinus, &c.

Qui sub Nerone (vt ait Tacitus) Senatu motus est, accusantibus Cyrenensibus propter violatum Æsculapij thesaurum, & delectum militum pretio & largitione corruptum.

Pedius quid) Posterioris adulatoris verba, percontantis qua eloquentia Pedius orator in foro dicat pro reo, vbi polyptoton est in hac commutatione, Pedio, Pedius.

Crimina) Verba prioris adulatoris.

Resis) Metaphora est à rebus politis & limatis.

Librat) Metaphora est à lancibus.

Antithetis) Antitheta Latinè à Fabio contraposta dicuntur, quæ vt magnam orationi venustatem afferunt, si bonis sententijs coniuncta sint: sic vbi res idonea non subest, nihil est fucatis illis pigmentis ineptius. Prioris generis est exemplum illud in Miloniana: Est enim, iudices, hæc non scripta, sed lata lex, quam non didicimus, audiui- mus, legimus, sed à natura arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: &c. vide Fabium libro nono, capite tertio: & Augustinum de Ciuitate Dei libro vndecimo, cap. 18.

Bellum hoc) Posterioris adulatoris oratio est, Pedij factum impudentissimè comprobantis ex adiunctis.

Hoc bellum) Vehemens & acerba in adultores Persij vox ex eorum factis, quia huiusmodi sermonibus Pedio adulentur: vbi a nadiplosis est.

Romule) Metonymia est primi generis: author nempe Romani sanguinis & generis, pro Romano.

Cenes) Obscena Metaphora, qua sæpe Iuuenalis vtitur, vt Sat. 3. *Ego te cenentem Sexte verebar.*

Men' moueat) Refellit deinceps impudentem & assentationis plenam posterioris assentatoris vocem, nec pulchrum esse docet in periculo capitis huiusmodi antithetis vti, quia fucatis istis pigmentis sæpe à reo iudicis misericordia auertatur: argumentum est ex repugnantibus. Syllogismus simplex secundi generis:

Qui iudices ad misericordiam deducere vult, flere debet, & quidem

ex animo:

Pedius non flet:

Pedius igitur iudices ad misericordiam non commouebit.

Propo-

Propositio vltimo loco est, cuius illustratio præcedit ex similibus per communicationem. Quemadmodum naufragus homines ad misericordiam cantu commouere non potest: sic nec Orator iudicem, voce in cantum dissoluta.

Cantus) Assumptio syllogismi dissimilibus amplificata ex contrario ponitur. At Pedius non flet, imò cantat, quamuis in maximis periculis versetur: vbi elegans Allegoria est à naufragis, qui fracta nauis, si quando tempestate aliqua ad littus delati fuissent, ne sæpius in eroganda stipe suam calamitatem narrare cogerentur, naufragium suum in tabella aliqua depictum humeris circumferebant. Iuuenalis: Satyra decima quarta:

Mersa rate naufragus affem

Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Persius Sat. 6. *Largire inopi, ne pictus oberret*

Cærulea in tabula.

Tum verò vbi dissipatas animi & corporis vires hominum beneficijs collegerant, tabulam naufragij sui Deo illi consecrabant, & in eius templo suspendebant, cuius ope sibi ad portum viderentur perducti. Horat. Od. 5. car. 1.

Me tabula sacer

Votiuæ paries indicat, humida

Suspendisse potenti.

Vestimenta maris deo.

Te pictum) Id est tuam calamitatem & naufragium in tabula. Metonymia est tertij generis.

Trabe) Synecdoche partis pro toto. Sic apud Ouidium primo de Ponto ad Rufinum:

Quo duce trabs Colchæ sacra cucurrit aqua.

Iuuenalis Satyra decima quarta:

Est plenum magnis trabibus mare.

Fracta cum) Iudiciorum pericula eleganter tempestate & naufragio comparat: vt enim mare varias habet fluctuum agitationes, sic varias habet perturbationes ratio iudiciorum. Cic. pro Murena.

Verum) Propositio syllogismi dissimili amplificata, cuius illustratio & assumptio paulò antè posita est, vbi quod de se specialiter dicit Persius, de quouis alio intelligendum est.

Qui aliquem ad misericordiam commouere vult, veras ille quidem, nec fictitias emittet lacrymas.

Huc illud Horatij pertinet in Arte poetica:

Vt ridentibus arident, ita flentibus adsunt

Humani vultus, si vis me flere, dolendum est

Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia ledent.

Et paulò post:

Tristia mœstum

Vultum verba decent, iratum plena minarum.

Vnde illud quoque vulgo de Demosthene legitur, ad quem cum quidam accederet cæsus ab alio, peteretque à Demosthene placido vul- tu summissaque voce, vt suam causam susciperet, factamque sibi iniuriam iudicio persequeretur, negauit illum Demosthenes affectum esse iniuria, eiusque causam esse se suscepturum. Rursus cum ille idem ab eo impetrare contenderet, multisque precibus, obtestationibus, iureiurandis cæsum esse se ab altero affirmaret, à Demosthene iterum repullus est. Is igitur & repulsæ, quam à Demosthene patiebatur, & insultæ iniuriæ, quam ab inimico acceperat, dolore percitus, ex imo pectore suspiria ducens, in lacrymas sese totum profudit: quibus Demosthenes commotus & affectus est ad causam eius suscipiendam dicens: Dicendi impetum ex irascente sibi fuisse capiendum.

Sed numeris decor est, & iunctura abdita crudis.

Claudere sic versum didicit, Berecynthius Aty:

Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin.

Sic costam longo subduximus Apennino.

Arma virum, nonne hoc spumofum & cortice pingui?

Vtramale vetus vegrandi subere coctum?

Quidnam igitur tenerum & laxa ceruice legendum.

Torua Mimalloneis impleunt cornua bombis,

Et raptum vitulo caput ablatura superbo

Bassaris, & Lynceum Mænas flexura corymbis

Euion ingeminat, reparabilis adsonat Echo.

Sed numeris) Reuertitur ad Poetas Persius, idemque in illis quod proximè in Oratoribus vitium reprehendit. Quantum igitur poetice vanitatis argumentum est, quod nimiam soni & concinnitatis verborum nullam subiectæ sententiæ rationem habeat, quod confirmatur per singulares aliquot versus ex poetarum illius seculi libris depromptorum species.

Numeris) Metonymia adiuncti pro subiecto, qualis antea fuit, *Scribimus inclusi numeros ille, &c.*

Decor) Ironia.

Iunctura) Allegoria est à marmorarijs, de qua ad eum locum dictum est antea:

Effundat iunctura vngues.

Crudis) Metaphora est ab incoctis & immaturis fructibus ad
res

res temerè, nec satis matura meditatione factas, qualis antea fuit.

Non si qua elegidia crudi

Dictarunt proceres, &c.

Claudere) Confirmatur poetarum in affectanda concinnitate vanitas per varias versus species. Est autem in hoc verbo (claudere) metaphora ab ædibus, quæ ianuis clauduntur: hinc pro finire & terminare: vt apud Mart. lib. 13.

Claudere quæ cænas lactuca solebat auorum

Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapus?

Nec verò quisquam mirari debet, cur hoc loco Metaphoram ab ædibus potius quam fenestris & cæteris rebus, quæ non minùs propriè claudi dicuntur, dictam esse dicam: nam in explicanda metaph. satis est aliquam speciem afferre eius rei, in qua dictio propriè viurpetur, siquidem ad multa pertineat. Sic in Oratore Cicero orationem numeris sententijsque claudere dixit.

Berecynthius) Hemistichion est ex Romani poetæ alicuius poemate depromptum, quod vt nimis molle & elumbe deridetur.

Aty) Aty puer Phrygius, cuius fabulam narrat Ouidius 4. Fa- storum his versibus:

Phryx puer in syluis facie spectabilis altis,

Turrigeram casto finxit amore deam.

Hunc sibi seruari voluit, sua templa tueri,

Et dixit, semper fac puer esse velis.

Ille fidem iussis dedit: & si mentiar, inquit,

Ultima qua fallam sit Venus illa mihi:

Fallit, & in Nympha Sangaride desinit esse

Quod fuit, hinc pœnas exigit ira Deæ.

Naiada vulneribus succindit in arbore factis,

Ille perit, fatum Naiados, arbor erat.

Hic furit & credens thalami procumbere lectum,

Effugit, & cursu Dynidima summa petit.

Et modo, tolle faces, remoue modo verbera, clamat,

Sæpe Palestinas iurat adesse deas.

Ille etiam saxo corpus laniauit acuto,

Longaque in immundo puluere tracta coma est.

Voxque fuit, merui, meritas do sanguine pœnas,

Ab pereant partes, quæ nocuere mihi.

Ab pereant dicebat adhuc, onus inguinis aufert,

Nullaque sunt subito signa relicta viri.

Hinc Berecynthius dictus est Aty à Cybele Berecynthia, sic dicta à Berecyntho monte & vrbe Phrygiæ in qua colebatur iuxta fluiuium Sangarim: vnde & Cybeleius Aty ab Ouid. dicitur 10. Metam. vide Catullum in carmine de Berecynthia & Aty.

Et qui cæruleum) Hic item versus ex vni cuiusdam Poetæ poemate

ce depromptus est, quem nimis inflatum & turgidum sine vlla subiecta sententia notat Persius. In quo Arionis fabula leuiter attingi videtur, quæ sic scribitur ab Ouidio 2. Fast.

Nomen Arionium Siculas impleuerat vrbes.

Captaq; erat Lyricis, Ausonis ora sonis.

Inde domum repetens, puppim conscendit Arion,

Atque ita quæsitæ arte ferebat opes.

Forsthan infelix ventos vndasq; timebas,

At tibi naue tua tutius æquor erat.

Namque gubernator districto constitit ense,

Cæteraque armata conscia turba manu.

Quid tibi cum gladios dubiam rege nauita puppim?

Non sunt hæc digitis arma tenenda tuo.

Ille metu pavidus, mortem non deprecatur, inquit:

Sed liceat sumpta pauca referre lyra.

Dant veniam, rideatq; moram, capit ille coronam.

Quæ posset crines, Phæbe, decere tuos.

Induit & Tyria distinctam murice pallam.

Reddidit icæta suos pollice corda sonos.

Flebilibus numeris veluti canentia dura.

Traiectus peraxa tempora cantat olor.

Protinus in medias ornatus desilit vndas,

Spargitur impulsa cæcula puppis aqua.

Inde, fide maius, tergo Delphina recurua

Se memorant oneri supposuisse nouo.

Ille sedet, citbaramq; tenet, pretiumque vehendi

Cantat & æquoreas carmine mulcet aquas.

Vide Gellium lib. 16. capite 19. ex libro primo Herodoti de Arione fidicine. Nec verò mirum videri debet, quod de Delphine memorat Ouidius. Nam, vt ait Plinius lib. 9. capite 8. Delphinus non modò homini est amicus, verum & Musicæ arti, mulcetur symphonice cantu, & præcipuè hydranti sono: hominem non expauescit vt alienum, obuam nauigijs venit, alludit exultans, certat etiam, & quantum plena præterit vela. Vide locum Plinij, quem breuitatis causa totum hic non adscripsi, vbi egregium huius piscis in homines exemplum humanitatis reperies.

Nerea) Metonymia tertij generis: Nereus pro mari, cui præsidet: quomodo sæpe Neptunus sumitur, vt Hymeneus pro nuptijs.

Sic costam) Tertium, hemistichium, in quo affectata spondæi in quinta sede concinnitas notatur, qualis apud Virg. in Æneide frequens occurrit, excusanda tamen, cum quia sæpe adhibetur vt rei quæ notatur species quædam legentium oculis representetur, vt 2. Æneid. vbi de Sinone loquens ait:

Phrygia agmina circumspexit.

Tum

Tum quia immatura morte præuentus, poema suum emendare non potuit.

Costam) Metaphora est ab animantium corporibus: hoc autem sumptum videtur esse ex poemate aliquo, in quo bellum Punicum secundum Hannibalem duce in Italia gestum descriptum fuerit. Huius enim belli tempore Hannibal (vt est apud Liuium & Plutarchum in eius vita) Apenninum montem igne, sulphure, acetoq; dirupit, & iter in Italiam antea sibi & barbaris obstructum patefecit, vnde nomē monti inditum Melæ interpres Vadianus arbitratur, Apenninus quasi à Pænis patefactus. Iuuenalis Sat. 10. de Hannibale.

Pyreneum

Transiit, apposuit natura alpemque niuemque,

Diduxit scopulos & montem fregit aceto.

Iam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit,

Attum (inquit) nil est, ni Pæno milite, portas

Frangimus & media vexillum pono suburra.

Allegoricòs autem hoc loco per costam Appennini syllabam vnam ex heroico versu à vanis poetis concinnitatis causa subductam esse significari puto. Duo enim spondæi versum aut orationem suauissimè claudunt (ait in Oratore perfectò Cicero). simile est illud Siliij Italici:

Alpibus æquatam tollens caput Apenninus.

Est autem Apenninus mons, qui ab Alpibus in Siculum vsq; fretum protenditur, mediamque Italiam diuidit: de quo vide Plinium lib. 3. cap. 5. Lucanus lib. 2.

Mons inter geminas medius se porrigit vndas

Inferni superique maris.

Arma virum) Verba sunt vani poetæ sui similitum vanitatem in affectanda concinnitate numerique suauitate defendentis excollatione parium, quòd eodem vitio Æneis Virgiliana labore, vbi sub vani poetæ persona effrænata quorundam poetarum audaciam notat Persius, qui Virgilium vt nimis inflatum & turgidum incefferent, quod suo tempore Ouid. à nonnullis tentatum esse indicat primo de Remed. amoris:

Et tua sacrilegæ laniantur carmina lingue,

Pertulit huc victos quo ducè Troia deos.

Vide Gellium libro secundo capite vndecimo.

Arma virum) Synecdoche quædam hic est partis pro toto: hæc enim duo verba (*Arma virum*) pro tota Æneide ponuntur.

Spumosum) Allegoria est ab arboribus, quæ Veris tempore spumosa sunt & pingui cortice, cum succus in arbores conscendit: tum enim tumescunt arbores, & præ succi copia excisè spumam emittunt. Hinc res pingui dicuntur cortice, id est inflatæ & turgidæ, vt arbores Veris tempore. Virg. 2. Georg.

*Vexè tument terræ, & genitalia femina poscunt,
Laxant arua smus, superat tener omnibus humor.*

Vramale) Subiectio ad proximam interrogationem, vbi refellitur proximum vani poetæ argumentum, qui turgidum & inflatum Virgilij poema esse dixerat per cotradictionem, quæ paribus declaratur: imò verò (ait Persius) non magis turgidum & inflatum est Virgilij poema, quàm ramale vetus diurno Solis calore exiccatum.

Ramale) Ramale annosus & antiquus ramus dicitur, vt Sat. 5.

Sed cum lapidosa chiragra

Fregerit articulos veteris ramalia sagi.

Ouidius 8. Metamorph.

Multifidasque faces ramaliaque aridatecto

Detulit.

Subere) Suber arbor est densissimæ crassissimæque corticis, ait Plinius lib. 16. cap. 8. Vnde pro cortice per Synecdochen ponitur, totum pro parte.

Castum) Metaphora à cibis. Significat autem Persius, Virgilij versus coctos esse & maturos, non spumosos & veluti præcoces. Nam vt ait Quintilianus libro decimo, non effundebat multa simul carmina Virgilius, sed pauca post diligentissimam meditationem condebat: itaq; vtpaulo post dicit Persius, Virgilij carmina pluteum & demorfos sapiebant vngues.

Quidnam igitur) Altera communicatio est per subiectionem ad eiusdem poeticæ vanitatis in affectando versuum sono amplificationem. Quærit enim vanus poeta à Persio duro & moroso Poetarum Aristarcho, quænam mollia nec nimis turgida putet esse carmina: cui Persius ironicòs quatuor versus ex vani cuiusdã poetæ officina profectos recitat, significans illo suo tempore nullum poema nisi turgidum & inflatum ad populorumores aucupandos comparatum sole re scribi. quod circa finem Poeticæ artis ridet Horatius, & quidem ridet meritò. Quid enim est tam furiosum quàm inanis verborum vel etiam optimorum sonitus, nulla subiecta sententia?

Torua Mimall.) Subiectio ad proximam interrogationem. versus autem qui hoc loco referuntur à Persio, ex Bacchanaliorum descriptione aliqua traducti sunt. Sunt enim Mimallones Bacchi sacerdotes, sic dictæ *ἑὸς τῶν μιμάλωνος*, quòd cornua in capite gestantes Bacchum taurocephalum (sic enim olium pingebatur) imitentur: vel (vt alijs placet) à Mima minoris Asiæ monte, vbi Bacchus colebatur, vt ex hymnis Homeri potest intelligi. Vide Cælium libro 27. capite 27.

Ouidius 1. Artis:

Ecce Mimallonides sparsus post terga capillis,

Ecce leues Satyri præuia turba dei.

Cornua) Metonymia primi generis causa pro effectu: & Synecdoche, materia pro re ex materia & forma composita: Cornua nempe pro

pro tubis ex animalium cornibus factis, quorum magnus olim erat in sacris Bacchi vsus. Iuuenalis Sat. 6.

Et cornu pariter vnoque feruntur

Menades.

Et raptum) Attingitur fabula Penthei, Echionis & Agæus filij: qui cum Bacchanaliorum osor esset, cæterosque ab his nefandis (vt existimabat) sacris auerteret, à matre & materteris bacchantibus discerptus est. Huius fabulam describit Quidius tertio Metamorphoseos his versibus:

Monte ferè medio est, singentibus vltima syluis,

Purus ab arboribus, spectabilis vndique campus:

Hic oculis illum cernentem sacra propbanis

Prima videt, prima est insano concita cursu,

Prima suum misso violauit. Penthea Thyrsò

Mater, & ò geminæ clamauit adeste sorores:

Ille aper in nostris errat qui maximus agris,

Ille mihi ferendus aper: ruit omnis in vnum

Turba furens, cunctæ coeunt, trepidumque sequuntur:

Iam trepidum, iam verba minus violenta loquentem,

Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem:

Saucius ille tamen, fer opem matertera dicit

Autonoen, moueant animos Ætæonis vmbre.

Ille, quis Ætæon nescit, dextramque precantis

Abstulit: Inno lacerata est altera raptu.

Non habet infelix quæ matri brachia tendat,

Trunca sed ostendens deiectis vulnera membris,

Aspice mater (ait) visis violauit Agæus,

Collaque iactauit crinemque per aera mouit:

Auulsamq; caput digitis complexa cruentis

Clamat, lo comites opus hoc victoriam nostram est:

Non citius frondes Autumni frigore tactas

Iamque malè hærentes, alta rapit arbore ventus,

Quam sunt membra viri manibus direpta nefandis.

Vitulo superbo) Periphrasis Penthei, quem alij aprum matri suæ esse visum, (vt Ouidius) alij vitulum, vt Persius & Catullus existimant. Catullus:

Pars è diuerso tractabant colla iuuenco.

Superbus autem appellatur, quia Bacchi sacra contemnebat, & Acstem Bacchi festa celebrantem malè habuerat, vt est apud Ouid. 13. Metamorph. Hanc quoque Penthei fabulam attingit Horatius lib. 2. Sermonum Sat. 3.

Quid? caput abscissum demens cum portat Agæus

Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?

Bassaris) Bassarides Bacchi sacerdotes dicuntur, à Baccho, quem Bassareum antiqui vocabant, ut Orpheus in Hymnis:

ΕΛΘε μάκαρ Διόνυσος πνεύσφορος τειρομιστώπ
Βάσαρε.

Id est, *Huc felix Dionysse veni, sate fulminis igne,
Bassare, tauriformis.*

Quem Horatius imitatus est 1. Carm. Od. 18.

Non ego te candide Bassare inuitum quatiam.

Quo loco Acron & Porphyrio Horatij interpretes, Bassarium vestem esse aiunt ad talos vsque demissam, sic à Bassara Lydiæ loco dictam, à cuius vsu Bacchus Bassareus diceretur. Phurnutus tamé in τὸ Βάσαρε id est à dicendo vel clamando deriuat, & simplici scribendum putat.

Lyncem) Lynx animal acutissimi visus, de quo vide Plinium lib. 8. cap. 22. & cap. 38. Lyncibus autem & Tigribus currus Bacchi vehebatur. Ouidius 15. Metamorph.

Πίστα racemifero Lyncas dedit India Baccho
Et quibus (ut memorant) quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapidem, & congelat aere tacto.

Virgilius secundo Georgic.

Quid Lynces Bacchi variae, &c.

Ouidius 4. Metamorph. de Baccho.

Τα βιτιγυμπίστis in signa frenis
Corda premis Lyncum, Bacche, Satyrique sequuntur.

Mænas) Epitheton est sacerdotum Bacchi, quæ Mænades à furore dicuntur.

Corymbis) Corymbus fructus est hederæ. Virgilius:

Hedera vestit pallente Corymbos.

Hederam autem Baccho sacram antea docuimus ad illud: *Hederæ sequaces*

Euios) Euios Bacchi cognomen, ut intelligi potest ex Orphei hymno ad Dionysium, ubi eum εἰσιον ἀγυρῶν appellat, & in Lytio Lenæo hymno εἰσις Γαίης & Euripides in Bacchis εἰσιον Γαίης εἰσα dixit. Euios autem dictus est Bacchus, quod cum in Gigantomachia dimicans non apparuisset, Iuppiter pater eum à Gigantibus discerptum iudicauit, dixitque, Heu, quæ vox gementis est, deinde adiecit εἰδός, id est, filius. Acron tamen in Horatium ait, Bacchum in ea contra Gigantes pugna in leonem à Ioue mutatum, Gigantem interfecisse in conspectu Iouis patris, ad cuius facinoris comprobationem dixerit Iuppiter εἰδός, id est, o bone fili. Horatius 2. Carm. Od. 19.

Eue parce Liber.

Parce graui metuende thyrso.

Et paulò post:

Tu, cum parentis regna per arduum

Cobors

Cobors Gigantum scanderet imple.

Rhetum retorsisti, leonis

In quibus horribiliq; mala.

Echo) Echo puella, quæ à poetis in vocem à Iunone mutata fingitur propter garrulitatem, vel potius (ut est apud Ouid. 3. Metamorph.) quia cum Iuno

Deprendere posset

Sub Ioue saepe suo nymphas in monte iacentes

Ille Deam longo prudens sermone tenebat

Dum fugerent nymphae.

Quod ybi Iuno animaduertit,

Huius, ait, lingua, qua sum delusa, potestas

Parua tibi dabitur, vocisque breuissimus usus.

Requæ minas firmat, tamen hæc in fine loquentis

Ingeminat voces, audita quæ verba reportat.

Re vera autem quid sit Echo, & qua ratione reddatur, vide Plin. lib. 2. cap. 44. & lib. 36. cap. 15. & Lucretium lib. 4. Eius descriptionem vide apud Aufonium 12. Epigrammate.

Hæc fierent, si testiculi vena vlla paterni

Viueret in nobis? summa delumbe salina

Hoc natat in labris, & in vdo est Mænas & Atys.

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

Hæc fierent) Persequitur Persius poetarum sui temporis vanitatem, qui plus studij & diligentiae in verborum sono quam sententiarum pondere adhibebant: unde nullam in illis Poeticæ virtutis vmbra esse concludit. Syllogismus connexus secundus.

Si quæ poetica virtus in vobis esset, vel pista & adumbrata, eiusmodi carmina non scriberetis.

At scribitis:

Nulla est igitur in vobis virtus poetica, Propositio præcedit.

Testiculi) Metonymia. *ordida* est subiecti pro adiuncto. Testiculus enim pro grauitate, id est, virili fortitudine & constantia ponitur.

Summa) Assumptio per singulares carminum dictionumq; elumbium & mollium species illustrata, hoc modo: At scribitis, semper enim habetis Mænas in ore & Atys, mollesque huiusmodi voces & fabulas affectare soletis.

Delumbe) Metaphora est à corpore, quod delumbe dicitur, cum lumbis caret, id est, testiculis, in quibus vis corporis continetur: ab antiquo verbo Delumbo, quod idem quod eneruare significat.

Cicero in Orat. perfecto, nec minutos numeros sequens concidat de-
lumbetque sententias.

Natat) Metaphora est ab animalibus.

Nec pluteum) Amplificatio proximæ assumptionis ex dissimili.

Qui enim moram stylo iudiciumque adhibent, in ipso linæ labore
interdum irati vel follicite cogitabundi pluteum cædunt, vel vngues
arrodunt, vel caput scalpunt, quod vani poetæ non faciunt, versus te-
merè fundentes.

Pluteum) Pluteus machinam bellicam significat, quæ describitur
à Vegetio libro tertio. Hic autem tabulam significat, cui qui literis
dant operam, aut scribunt, sæpe assident, & in qua libros suos dispo-
nunt. Iuuenalis Sat. 2.

Et iubet archetypos pluteum seruare Cleantas.

Nec demorsos) Secus de Lucilio, primo Satyræ scriptore Horat.
1. Sermonum Satyra vltima:

Et in versis faciendo

*Sæpe caput scalperet, viuos & roderet vngues,
Sæpe stylum vertens, iterum quæ digna legi sint
Scripturus.*

Vide Erasimum in prouerbio Demorsivngues.

*Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant, sonat hic de nare canina
Littera: per me equidem sint omnia protinus alba,
Nil moror, euge, omnes etenim bene miræ eritis res.
Hoc iuvat, hic (inquis) veto quisquam faxcit oletum
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra
Meite, discedo.*

Sed quid) Assumptio Syllogismi initio Satyræ propositi hætenus
disputata est ex varijs vanorum & ambitiosorum Poetarum & Ora-
torum factis: ex quibus concludit deinceps Persius sibi scribendam
esse Satyræ. Rursus autem ad extremum monitorem inducit, à quo
vt initio se ab instituta descriptione reuocari simulat. Primum argu-
mentum est ex adiunctis, quia nihil necesse sit.

Mordaci) Metaphora est ab animalibus, qualis est postea 3. Sat.

Mordaci lotus aceto.

Radere) Metaphora est à tonsoribus, qualis postea Sat. 5.

Pallentes radere mores

Doctus.

Vide

Vide sis) Aliud argumentum reuocandi Persij, ex effectis Satyræ
ductum, quæ sæpe suis authoribus necem affert. Sic Iuuenalis Sat. 1.
per Monitorem reuocari se simulat ab instituta Satyræ descriptione:

*Conueniet contra, digito compefce labellum,
Accusator erit, qui verum dixerit hic est:
Securus licet. Eneam Rutulumque ferocem
Committas.*

Maiorum limina) Metonymia tertij subiecti, pro adiuncto: limina
maiorum pro ipsis maioribus & potentioribus.

Frigescant) Id est, mortem tibi frigidam incutiant & afferant. sic e-
nim frigus pro morte sæpe apud poetas metonymicòs ponitur. Ho-
ratius 2. Sermonum, Satyra 1.

O puer, vt sis

Vitalis metuo, maiorum ne quis amicus

Frigore te feriat.

Hinc frigidus pro mortuo apud Virgilium 9. Æneidos:

Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen

Frigidus.

Et libro duodecimo de Turno moriente:

Ast illi soluuntur frigore membra.

Significat autem hoc loco Persius, molestas esse principibus repre-
hensiones atque sannas. Horatius epist. penultima lib. 1.

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,

Ira truces inimicitias & funebre bellum.

Sonat hic) Allegoria est ab iratis canibus, qui ringendo R litteram
exprimunt. Lucilius:

Irritata canis quodd R R quamplurima dicat.

Significat igitur Monitor, huiusmodi Satyræ multas esse rixas
concitaturam.

Per me) Verba sunt Persij, Monitori respondentis ironica quadam
permissione.

Alba) Id est, honesta, pulchra, laudabilia: veteres enim, vt initio se-
cundæ Satyræ commodius & plenius explicabitur

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,

Illa prius creta, mox hæc carbone notabant.

Hinc per Metaphoram alba pro honestis.

Hinc inquis) Prosopopœia est vani cuiusdam scriptoris, vt Nero-
nis, aut alterius cuiusdam principis, sua carmina reprehendi & ride-
ri prohibentis.

Pinge duos) Eludit superbam & insolentem vani scriptoris vocem
ironica quadam similitudine à locis consecratis ducta, vbi ne quid
obsceni aut parum verecundi committeretur, duo angues pingeban-
tatur: quo ferè modo hoc tempore templorum parietes pictis di-

h

uorum imaginibus obtinere solemus, ut saepe diui Antonij, & aliorum, ad quorum effigiem (ut ait Iuuenalis Satyra prima)

Non meiere fas est.

Id enim summum esse piaculum veteres semper existimarunt: unde Romani Neronem deuouerunt, quod (ut ait Suetonius) in religionis contemptum Deæ Syriæ simulachrum lotio contaminaasset.

Angues) Quibus veteres loci genium significabant: unde Virgilius de Serpente ex Anchisæ tumulo exeunte lib. 5.

Incertus genium se loci famulumue parentis.

Esse putet.

Pueri) Apostrophe est, per Ironiam.

Meiete) Insistit in eodem genere turpis metaph. Sic enim antea Oletū dixit pro reprehensione: nunc verò Meiere pro reprehendere.

— *secuit Lucilius urbem,*

Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

Omne vaser vitium ridenti Flaccus amico

Tangit, & admissus circum praeordia, ludit,

Callidus excusso populum suspendere naso.

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam?

Hic tamen infodiam, vidi, vidi ipse, libelle,

Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum

Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo

Iliade. —

Secuit) Sententia complexionis Syllogismi deinceps disputatur, Itaq; Satyram scribere debeo, quod sibi concedi oportere probat Persius ex collatione partium. Enthymema est eiusmodi:

Licuit Lucilio, licuit Horatio Satyras scribere, & vitia ciuium suorum perstringere:

Liceat igitur & mihi.

Secuit) Antecedens Enthymematis, vbi duo paria comparantur, Lucilius & Horatius, prius declaratur ex effectis: quæ primùm generaliter proponuntur, tum per species explicantur. Lucilius secuit urbem, te Lupe, te Muti. Sic Horatius de eodem i. Serm. Sat. i.

At qui

Primores populi arripuit populumque tributim

Scilicet vni reus virtuti atque eius amicis.

Lucilius) Lucilius poeta Pompeij magni (ut in Horatio obseruauit Por-

uit Porphirio) auunculus, ex Arunca Rutulorum ciuitate natus, unde magnus Aruncæ alumnus appellatur à Iuuenale prima Sat. In eo summa fuit dicendi scribendique libertas & acerbitas, ut apparet ex Epistola Trebonij ad Ciceronem, quæ est lib. 12. Famil. 16. Primus autem Satyram propriè dictam, id est recètiorem, scripsit, unde primus nasi stylum acuisse à Plinio dicitur: cuius rei testis loeuples est Quintilianus, cum ait: Satyra tota nostra est, in qua insignem laudem meruit Lucilius, qui quosdam ita sibi deditos habet amatores, ut eum non modò eiusdem operis authoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulenter, & esse aliquid quod tollere possis putat. Nam eruditio in eo mira & libertas, atque inde acerbitas & abundans salis, &c. Horatius i. Serm. Satyra quarta, vbi de veteris Satyræ scriptoribus dixit:

Hinc (ait) omnis pendet Lucilius, hosce sequutus

Mutatis tantum pedibus numerisque facetus:

Emunctæ naris, durus componere versus:

Nam fuit hoc vitiosus, in hora sæpe ducentos

Vt magnum, versus dictabat, stans pede in uno.

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.

Garrulus, at que piger scribendi ferre laborem.

Idem Satyra decima eiusdem libri:

Nempe in composito dixi pede currere versus

Lucili: Quis tam Lucili fautor inepte est,

Vt non hoc fateatur? at idem quod sale multo

Urbem defricuit, charta laudatur eadem

Huius quoque meminuit Cicero initio primi libri de Finibus, vbi eum magis facetum quàm doctum fuisse scribit: quamuis sese Siculis tantum & Consentinis auribus scribere solitus esset dicere. Neapoli tandem defunctus est anno ætatis quadragesimo sexto, & publico funere elatus.

Urbem) Metonymia subiecti pro adiuncto, qualis fuit in Horatij versu paulò antè posito:

Quòd sale multo

Urbem defricuit.

Te Lupe) Apostrophe est geminata ad Lupum & Mutium Albutium, quos suis versibus persequutus est Lucilius, ut indicat hoc versiculo Horatius de Lucilio loquens Sat. i. lib. i. Serm. unum:

Aut læso dolere Metello

Famosisque Lupo cooperto versibus.

Te Muti) Hic fuit Titus Mutius Albutius, quem suis versibus persequutus est Lucilius, cuius versus citat Cicero in præfatione primi libri de Finibus:

Grecum te Albuti, quàm Romanum atque Sabinum:

*Municipem, Ponti, Titi, Anni, Centurionum
Præclarorum hominum ac primorum signiferumque
Maluisti dici, Græce ergo prætor Athenis
Id quod maluisti, te cum ad me accedis saluto.
χαῖρε, inquam, Tite, lictores, turma omnis chorusque
χαῖρε Tite, hinc hostis mihi Albutius, hinc inimicus.*

Genuinum fregit) Allegoria est à canibus, qui ut sæpe dentes rodendis ossibus & comminuentis frangunt & elocant: sic Lucilius perstringendis Lupo & Mutio sese maceravit.

Omne Vaser) Secundum par de Horatio, qui Vaser dicitur, quasi valde Affer, id est, versutus & callidus, quales erant olim Afri.

Suspendere) Metaphora; qualis est hæc apud poetam:

Et naso suspendis adunco.

Mên mutire) Consequens Enthymematis, quare mihi licet Satyræ scribere, & liberè vitia notare.

Mutire) Metaphora à belluis, quæ propriè muta animalia dicuntur. vnde verbum Mutio, mutis, mutire, quod de mutis propriè usurpatur: sic Terentius in Andria:

D. Si quid narrare cecepi, continuo

Verba tibi dari censes. S. falsa.

D. itaque berce nihil iam mutire audeo.

Nec clam) Consequens Enthymematis amplificatur ex dissimili: Quamuis sine periculo Satyræ scribere: & vitia principum notare non liceat, notabo tamen & perstringam. Protasis præcedit.

Hic tamen) Antapodosis dissimilitudinis, ubi libertatem animi sui profitetur Persius: His autem verbis *Scrobe, & infodiam*, & sequentibus, ut *Auriculas asini quis non habet*, alludit ad Midæ fabulam, quam elegantissimè describit Ovidius. vnde decimo: *Metamorphoseos*, ad hunc locum.

Latè riget arduus alto

Timolus in ascensu cliuoque extensus utroque:

Sordibus hinc, illinc paruis finitur Hypèpis.

Pan ibi dum teneris, &c.

Vide locum, & Erasmus in proverbio *Auriculas asini*: Iustinum lib. II. & Herodotum libro eodem.

Vidi, vidi,) Ratio Antapodoseos proximæ dissimilitudinis ex adiunctis: Notabo & perstringam Romanos principes, quia sunt corrupto iudicio: quod testimonio quodam confirmat, quod id ipsum viderit, & expertus sit. Vbi *χῆρς* est continuata in eiusdem verbi, *Vidi*, repetitione, & apostrophe ad libellum.

Auriculas) Id est, Quis non ita depræuato & corrupto Romæ est iudicio, ut Midas corruptis fuit auribus, cum Panis arundinem Apollinis citharæ suauissimæ præposuit? Sic antea:

Nam Romæ quis non?

Hoc

Hoc ego) Apostrophe altera est, & sermonis auersio ad Monitorem, quia scribendæ Satyræ consilium concludit ex dissimilibus, hoc modo. Quare quamuis hoc meum poema sit vile & exiguum, nullusque (vt initio proposuit Monitor) lectoris habiturus est, tamen Accij Labeonis Iliadi anteposendum.

— *audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles.
Aspice & hæc, si fortè aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferueat aure,
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit,
Sordidus, & lusco qui possit dicere, lusce:
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas. Areti ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & secto in puluere metas
Scit risisse vaser, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat,
His mane edictum, post prandia Callirhoen do.*

Finis Satyræ primæ.

Audaci) Initium est hætenus de scribenda Satyra consilium: deinceps idoneus Satyræ Persianæ lector ex dissimilibus definitur: Lectorem volo, non vitiosum, non procacem & petulantem; non superbum & arrogantem, sed in Cratini, Eupolidis, & Aristophanis versibus versatum. Antapodosis præcedit, Protasis sequitur.

Quicumque) Tertia est Apostrophe ad incertam personam, qualis est quarto *Aeneidos*:

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, &c.

Cratino) Cratinus Atheniensis poeta, Callimedis filius, fabulas vnam & viginti scripsit, ex quibus nouies victoriam reportauit. Audax autem appellatur, quia mira dicendi acerbitate Athenienses profecit. Hic inter longæuos numeratur à Luciano. septem enim & nonaginta vixit annos. Obijt autem cum Pytinem fabulam edidisset, ex eaque victoriam reportasset.

Eupolidem) Eupolis Atheniensis, priscae comædiæ scriptor, floruit 88. Olympiade, principe Apollodoro (vt Eusebius in temporibus

obseruauit). huius meminit Cicero in Bruto, cum ait: Quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, à quibus esset auditus. & Quintilianus de prisca comœdia agens: Antiqua (inquit) comœdia cum synceram illam sermonis Attici, tum facundissimæ libertatis gratiam propè sola retinet, et si est in insectandis vitijs præcipua, plurimum tamen virium etiam in cæteris partibus habet: nam & grandis, & elegans, & venusta, & nescio an vlla post Homerum (quem tamen ut Achillem semper excipi par est) aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior: plures eius authores, Aristophanes tamen & Eupolis stylo ipso præcipuus Cratini imitator, verum illo rudior magisque ridiculus. Hæ ipsius fabulæ feruntur: Æges, Androgyni, Colax: Baptas etiam eiusdem fabula à Luciano & Epheftione celebratur, quæ cum docuisset. (vt ait Platonius) in mare præcipitatus est ab ijs, in quos fabula scripta fuerat. Cicero authorem mortis facit Alcibiadem, sexti ad Attic, epistola prima. Quis enim non dixit Εὐπολίη δὲ τῶν ἀρχαίων ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum esse in mare? Quanquam aliud de morte Eupolidis refert Ælianus in libro de Animalibus.

Prægrandi cam) Periphrasis est Aristophanis, Poetæ facetissimi, cuius meminit Cicero 2. de Legibus, cum ait: Nouos verò deos, & in ijs colendis nocturnas peruigilationes, sic Aristophanes facetissimus poeta veteris comœdiæ vexat, vt apud eum Sibazius & quidam alij dii de peregrinis iudicati è ciuitate eijciantur. hæc ille. Fuit autem Aristophanes summa ingenij dexteritate & libertate, qua etiam principes lacefsiuit, dignum scilicet philosopho ingenium, nisi in philosophiæ parentem Socratem styllum suum impè exercuisset. De ijs autem prisca comœdiæ scriptoribus sic Horatius primo Sermonum Satyra quarta:

*Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poetæ
Atque alij, quorum comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod macchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce sequutus
Mutatis tantum numeris pedibusque factus.*

Decoctus) Metaphora est, qualis paulò antè:
Vt ramale vetus, vegrandi subere coctum.

Vaporata) Metaphora est à liquoribus.

Non hic) Protasis dissimilitudinis.

Crepidus) Metony. quarti generis: Crepide, pro crepidatis Graijs, adiunctum pro subiecto. De Crepidis vide Gellium lib. 13. 20.

Lusce) Breuis Profopœia est, qua significat, eum se ab huius libri lectiōe alienū esse velle, qui fortuita corporis vicia alteri exprobrat.

Fregerit

Fregerit heminas) Hemina genus est mensuræ, quod & Cotyla dicitur, quatuor acetabula continet, vt significat Plinius libri 21. cap. vltimo, cum ait: Cyathus pendet per se drachmas decem: cum acetabuli mensura dicitur, significat Hemina quartam partem, id est, drachmas quindecim. Est autem Hemina pars altera Sextarij. Sextarius verò duas libras continet. Itaque Hemina libram vnā Romanam, id est Duodenariam continet, vt item Priscianus his versib. declarat:

At cotylas (quas si placet, dixisse licebit

Heminas) recipit geminas sextarius vnus.

Vide Cælium Rodiginum lib. 29. cap. 10.

Areti) Alias Ereti, quo modo legit Baptista. Plinius Aretium vocat: vnde per syncopem Aretum, oppidum Hetrurię est, fictilibus nobile, cuius meminit Plinius lib. 35. cap. 12. Martialis lib. vltimo:

Arretina nimis ne spernas vasa monemus.

Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Idem libro primo:

Sic Arretina violant crystallina testa

Ædilis) Ædiles Tribunorum ministri erant, ædium curam gerebant, annonæque præerant. Hos primum plebs creauit, à sacro monte in Urbem reducta. Præerant & mensuris, vt hoc loco indicat Persius, & Iuuenalis Sat. 10. his versibus:

An Fidenarum Gabiorumque esse potestas,

Et de mensura ius dicere, vasa minora

Frangere, pannosus vacuis Ædilis Plubris?

Vide Pomponium Lætum, & Dionysium Halicarnasseum lib. 6. & Gellium lib. 17. cap. 21.

Abaco) Abacus præter vulgarem significationem tabulam significat, in qua Mathematici figuras artis suæ depingunt: hanc in honorem Pythagoræ veteres Pythagoream mensam appellabant, hyatini pulueris resperione coloratam, ait Martianus in libro Geomet. Cælius libri 7. capite 30.

Cynico) Synecdoche est, species nempe philosophi pro genere: sic apud Iuuenalem Sat. 13.

Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit.

Cynici autem philosophi fluxerunt à Diogene, qui propter morum inurbanitatem uxor dictus est, id est, canis.

Barbam vellat) Id est irrideat, vbi synecdoche est speciei pro genere: vt apud Horat. Sat. 3. lib. 1.

Vellunt tibi barbam

Lasciui pueri, quos tu nisi fuste coerces, &c.

Nonaria) Synecdoche item est: Nonaria enim meretricis species est pro genere, vt paulò post Calliroe pro meretrice quauis, nisi fortè Calliroes fabulam mauiis intelligere, vbi duplex tropus erit,

Metonymia tertij generis, Calliroe fabula de ea edita, sicut antea Philis & Hypsipyle pro fabulis in eas editis, & pro Synecdoche, Calliroe pro fabula quavis alia: fuit enim Calliroe Amphilochoi, non Acheloi (vt putat Baptista) filia, qui Eriphilem matrem in vltionem Amphiarai patris occidit, cuius meminit Ouidius secundo de Remedio amoris, cum ait:

*Amphilochoi frater, ne Thegida semper amaret
Calliroe fecit, parte recepta tori.*

Finis primæ Satyræ.

ANTONII FOQVELINI
VEROMANDVI
in secundam Persij Satyræ
COMMENTARIUS.



PRINCEPS huius Satyræ quæstio primo versu continetur, & initio tertij breuiter iteratur, quod Macrinus genio indulgere debeat: quæ duobus deinde argumentis confirmatur: prius ex adiunctis temporis ductum est, quod natalis sit eius dies: posterius ex dissimilibus, quod non quemadmodum vulgus hominum impia dijs vota faciat: vbi captata occasione in stultas & impias hominum preces atque vota digreditur: postremo quid potissimum à dijs sit flagitandum docet. quæ tota disputatio non ex philosophorum altercationibus, sed ex medijs Academiæ spatijs desumpta est. Sic enim Plato in Alcibiade secundo Socratem suum cum Alcibiade ad sacrificium proficiscentem de voto disputantem facit. Nos locos Platonis comparabimus, vt intelligant homines, vt poetarum, sic omnis humanitatis & politioris doctrinæ inimici non Grammaticam solum in poetis: (vt nobis sæpe obtreçant) sed etiam (vt iam prima Satyræ docuimus) Dialecticam contineri: quinetiam sæpe locos graues ex philosophia ab vsu forensi & publico abhorrentes eleganter & ornate pertractari, quibus moralis philosophia non corrumpi (vt sæpe in gregalibus comitijs comitiales isti homines clamitant) sed ornari & illustrari possit.

Hunc

HUNC Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos:
Funde merum Genio, non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Macrine) Macrinum quendam Brixianum Baptista & Britannicus interpretes hinc volunt intelligi, eumque nobis Plinij verbis describunt: at Plinij librum & caput prætermittunt. Extant Plinij Iunioris ad Minutianum quendam Macrinum epistolæ aliquot, vt 7. lib. secundum; & 4. & 9. tertij.

Melior lapillo) Allegoria est ab antiquo Thraciæ gentis instituta, quæ (vt ait Plinius lib. 7. cap. 40.) calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam condit, & primo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronuntiat. Per meliorem igitur lapillum hoc loco Persius album, id est felicem & auspiciatum intelligit. Veteres enim ex Pythagoræ sententia, alba omnia bona, honesta, feliciaque esse iudicabant: vnde Persius Sat. 1.

Per me equidem sint omnia protinus alba.

Id est bona & honesta. Sic paulo post Dies candidus appellatur, id est felix & fortunatus, quemadmodum ex contrario, id est nigro, malus, infelix & infaustus sæpe intelligitur. Horatius in Epist.

Hic niger est, hunc tu Romane caueo.

Id est malus & improbus. Cicero pro Cæcinnæ de Clodio Phormione: Nec minus niger (inquit) nec minus confidens, quam Terentianus ille Phormio. Quod inde deductum puto, quia veteres, vt ait Persius Satyræ quinta:

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim:

Ille prius creta, mox hæc carbone notarent.

Hinc albo calculo absolutio: nigro verò damnatio significabatur. Ouidius 15. Metamorph.

Mos erat antiquis niueis atrisque lapillis,

His damnare reus, illis absolvere culpa:

Tunc quoque sic lata est sententia tristis, & omnis

Calculus immitem dimittitur ater in urnam.

Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,

Omnibus & nigro color est mutatus in album.

Ergo melior lapillus, id est albus & candidus. Vide Erasmmum in pro-uerbio, Album calculum addere, & Creta notare. Horatius Ode. 36. Carminum primo:

Cressa ne careat pulchra dies nota.

Qui tibi) Periphrasis diei natalis, vbi prioris argumenti vis est: indulge genio: est enim tuus natalis dies. Eodem argumento Phillida petit Damocetas apud Virg. Eccloga 3.

Phillida mitte mihi, meus est natalis, Iola.

Sic Tibullus Elegia 2. lib. 2.

Dicamus bona verba venit natalis ad aras,

Quisquis ades lingua vir mulierque faue.

Tanta enim semper fuit apud omnes gentes diei natalis celebritas, vt in eo felicitatem quandam veteres inesse putauerint, qui deo's *Natales*, id est, natales deos coluerunt, certisq; ceremonijs & sacrificijs celebrarunt, quod quam ridiculum fuerit, docet Cicero 2. de Finibus, cum disputat contra Epicurum, qui moriens natalem suum diem celebrari mandauerat. Quid? verene potest esse dies sapius, qui semel fuit? certe non potest. an eiusdem modi? ne illud quidem nisi cum multa annorum millia intercesserint, vt omnium siderum eodem, vnde profecta sint, fiat ad vnum tempus reuersio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. Natales autem dii colebantur, Iupiter, Iuno, Genius: vnde Iupiter passim apud poetas Græcos *Ζεύς* dicitur, id est natalis: sic ad Iunonem Tibullus lib. 4.

Natalis Iuno sanctos cape thuris acervos,

Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Labentes) Metaphora est ab aquis. Sic Horatius 2. Carm.

Eheu fugaces, Posthume, Posthume,

Labuntur anni.

Hanc Metaph. apertius explicat Ouidius 15. Metamorph. his versibus:

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,

Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,

Nec leuis hora potest, sed vt vnda impellitur vnda,

Vrgeturque eadem veniens vrgetq; priorem:

Tempora sic fugiunt, pariter, pariterq; feruntur,

Et noua sunt semper.

Candidus) Metaphora, de qua antea.

Genio) Qui natalis quoque deus fuit. Tibullus in Epigrammate ad Cerinthum.

Magne Geni cape thura libens, votisq; faueto.

Si modò cum de me cogitat, ille valet.

Et paulò post:

At tu natalis quoniam deus omnia sentis.

Cuius variae sunt definitiones: sic enim Diuus Augustinus lib. 7. Genium ex Varronis sententia definit. Genius est deus vim habens rerum omnium gignendarum: quomodo videtur Cebes Thebanus philosophus in tabula suam posuisse senem Dæmona, id est, Genium in primi circuitus porta. Plutarchus Genium esse scribit, qui vnicuique mortalium insit. Cenforius Genium deum ait, cuius in tutela vt quisque

quisque natus est, viuit: alij Genium esse putarunt vniuscuiusque loci deum. Horatius epist. 2. lib. 2.

Genius natale comes, qui temperat astrum.

Nature deus humane mortalis in vnum

Quodque caput, vultu mutabilis albus & ater.

Fingebatur autem interdum (vt prima Satyra dictum est) serpentis imagine, interdum etiam pueri forma, aliquando etiam senis (vt apud Cebetem) dextra tenentis pateram, sinistra propendulum flagellum, vt in antiquissimis monetis Traiani & Adriani cognitum est: coronabatur potissimum Platano, vt pote arbore geniali.

Merum) Quo res illi fiebat sacra, sicut & floribus. vnde Horatius epistola prima, libro 2.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piato:

Floribus & vino Genium memorem breuis horæ.

Vnde Genium in Aulul. Plauti sic ait: Huic filia vna est, ea mihi quotidie thure aut vino, aut aliquo semper supplicat. Cur autem mero potius & floribus quam hostia aliqua Genio litaretur, explicat Varro in eo libro, cui titulum fecit, Articulus, siue de Numeris. & Cenforius: Id moris (inquiunt) institutiq; maiores nostri tenuerunt, vt cum die natali munus annale Genio soluerent, manum à cæde & sanguine continerent, ne die qua ipsi lucem accepissent, alijs demerent. Horatius tamen ad Ælium Lamiam sic ait 3. Carm.

Cras genium mero curabis, & porco bimestri.

Vide Lilius Gregorium de Dæmonibus & Genijs, Syntagmate 15. *Non tu prece*) Posterior cohortationis argumentum, quo Satyræ consimilior occasio captatur ex dissimilibus: non quemadmodum permulti impia dijs vota faciunt, sic & tu. Antapodosis præcedit.

Emaci) Metaphora est à rebus humanis, quæ pretio comparantur, aut aliquo alio munere compescantur: sic enim vocat preces emaces per similitudinem, quæ cum aliquo coniunctæ munere à dijs etiam inuitis videantur extorquere quod velint. sic postea:

Quam tu mercede deorum

Emeris auriculas pulmone & lactibus vnctis.

Seductis) Metaphora est à secretioribus hominum sermonibus: vt enim cum alteri arcanum aliquod committere volumus, quod intelligi ab alijs vereamur, eum à turba seducimus, & in aurem summissa voce insurreamus: sic homines impia & iniqua dijs vota facturi, pressè & leniter loquuntur, ne ab hominibus exaudiantur. sic Ouidius 3. Metamorph.

Fortè puer comitum seductus ab agmine fido

Dixerat.

Et Persius Sat. 6.

Actu meus hæres

Quisquis eris paulum à turba seductior audi.

Ad bona) Protasis dissimilitudinis per species impiorum votorum

amplificata, in quibus ridendis & perstringendis tota ferè hæc Satyra consumitur.

Procerum) Metaphora est à capitibus trabium, de qua superiore Satyra.

Libabit) Libare propriè est leuiter attingere, vt apud Virgilium primo Æneidos:

Oscula libauit natæ.

Hinc ad sacra transfertur, & sæpe pro sacrificare ponitur, quia in sacrificijs primum libaretur, id est leuiter, & tanquam primoribus labris dijs præbiberetur. Virgilius 5. Æneid:

Et pateras libate Ioui.

Sacerdos enim antequam vinum funderet, prius simpullo ligneo propinabat, vel fictili, quod Simpuuium vocat Iuuenalis Satyra 6.

Simpuuium ridere Numæ, &c.

Vnde sacrificij ritè peragendi quatuor esse dicebantur partes, libatio, immolatio, redditio, litatio.

Acerra) Metonymia adiuncti pro subiecto. Acerra enim tacita pro voto summissa & leni voce facta ponitur, quod cum fiebat, acerra vel potiùs thus incendebatur. Acerra enim capsula est, in qua reponitur thus ad odora suffimenta excitanda: à Græcis θυμιαματήλειον, à Latinis thuribulum dicta. Ouidius de sacerdote Cereri sacrificante quarto Fastorum:

Cumque meri patera thuris acerra fuit.

Virgilius quinto Æneidos:

Farre pio & plena supplex veneratur acerra.

Thus enim antiquitus in sacrificijs adhiberi solebat, idque primum fuisse sacrificij genus memoriæ proditum est.

*Haud cuius promptum est, murmurque, humilesque susurros
Tollere de templo, & aperto viuere voto,
Mens bona, fama, fides, hæc clarè & vt audiat hospes,
Illa sibi intorsum, & sub lingua immurmurat. ô si
Ebullet patrui præclarum funus! & ô si
Subrastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumue vitinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! namque est scabiosus, & acri
Bile tumet. Nerio iam tertia ducitur vxor.*

Haud cuius) Illustratio proximæ acerra & odora: dissimilitudinis ex adiun-

adiunctis impiorum votorum, quòd suppressa voce fiant, quæ deinde alia dissimilitudine amplificantur: honesta vota, qualia sunt quæ fiunt pro bona mente, fama, fide obtinenda, magna & elata voce pronuntiantur: at quæ turpia & inhonesta, summissa.

Murmur) Fictitium nomen est (ait 8. lib. Quintil.) proprium in aquis. Virgilius 1. Georgic.

Ecce supercilio cliuosi tramitis undam

Elicit, illa cadens raucum per leuia murmur

Saxa ciet.

Hinc per Metaphoram pro quouis simili strepitu ponitur, vbi Synædoche quoque est, species quippe strepitus pro genere.

Humilesque) Metaphora est à plantis, quæ humiles propriè dicuntur, quasi humi repentes. Virgilius Ecloga 4.

Non omnes arbuta iuuant humilesque myricæ.

Susurros) Hoc fictitium quoque nomen est, arborum frondiumque proprium, vt murmur aquarum. Virgilius Ecloga 2.

Hinc tibi quæ semper vicino à limite sæpes,

Hyleis apibus florem depasta salicti,

Sæpe leui somnum suadebit mire susurro.

Hinc per Metaphoram pro simili sono, per Synædochen autem pro omni suauis strepitu ponitur. Cicero 5. Tuscul. Leuiculus sanè noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis mulierculæ.

Aperto voto) Metonymia subiecti pro adiuncto. Votum enim apertum dicitur, quod aperta & sonora voce fit: contraria fuit paulò antè in hoc loco (*Tacita acerra*).

Mens bona) Protasis dissimilitudinis sine declarata, vbi rerum, pro quibus honesta dijs vota fiunt, species aliquot attinguntur. Prima est mens, quæ à veteribus pro dea culta est, vt bonam mentem immitteret (ait Cicero 2. de Nat. Deorum). Ouidius 2. Fastorum:

Mens quoque numen habet, menti delubra videmus

Vota, metu belli perfide Pene tui.

Pene rebellabas & leto Consulis, omnes

Attoniti maura pertimuerunt manus.

Spem metus abstulerat, cum menti vota Senatus

Suscipit, & n'elior protinus illa venit.

Huius templum fuit in Capitolio, quod Artilius vouit: author Liuius lib. 3. Decad. 3. Mentem autem bonam & à dijs petendam esse docet Iuuenalis Satyra 10.

Optandum est (ait) vt sit mens sana in corpore sano,

Fortem posse animum & mortis terrore carentem,

Qui spatium vite extremum inter munera ponat

Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,

Nesciat irasci, cupiat nil, & potiores

*Herculis ærumnas credat seuosque labores,
Et venere, & canis, & plumis Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare.*

Fama) Famae quoque veteres pro bona fama & nominis existimatione vota faciebant. Hæc enim Dea fuit, & ab Atheniensibus, teste Pausania, culta, quæ describitur ab Hesiodo in *ἔργων ἡμέραις*. Huic templum constructum fuisse testis est Plutarchus in Camillo. De fama autem, & quantum quisque fame consulere debeat, docet in Lælio Cicero: Non est negligenda (ait) fama, nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium. Nam, ut idem ait 1. Officiorum, negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Est enim hominis ingenui & liberaliter educati, velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris, & futuræ post mortem fame etiam detractio vsu consulendum est, ait idem 3. de Finibus.

Fides) Quæ fundamentum est iustitiæ ait 1. Offic. Cicero, sine qua nihil constans ac diuturnum inter homines esse potest. Itaque in Capitolio Ioui proximum erat eius simulachrum (ait idem Cicer. 3. Offic.) consecratum (ut ait 2. de Natura Deorum) ab Attilio Calatino. Dionysius tamen Halicarnassensis lib. 2. Hist. de Numa loquens, ait: Primus ipse omnium templum Fidei publicè erexit, sacrificiaque ei statuit, sumptu publico, sicut & alijs. fingebatur autem eius simulachrum duabus interdum imagunculis dextram dextræ iungentibus, unde Statius 1. Thebaid.

*Iam pariter cocunt animorum in prælia dextra.
Eius templum describitur à Silio 2. lib. Punico:*

*Ad limina sanctæ
Contendit Fidei, sacrataque pectora tentat.
Arcanis dea læta.*

Ad quam colendam nos idem Sil. cohortatur his versibus lib. 13.

*Fœdera mortales ne sæuo rumpite ferro,
Sed castam seruate fidem, fulgentibus ostro
Hæc potior regnis, dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta & tenues spes linquet amici:
Non illi domus aut coniunx aut vita manebit
Inquam expers luctus lachrymæq; aget æquore semper.
Despecta ac violata fides.*

Ille sibi) Antapodosis dissimilitudinis, quæ per aliquot impiorum votorum species amplificatur.

Introrsum) Quod vulgo dicitur inter dentes, qualia vota ridet Horatius in hominibus sui temporis 16. epist. lib. 1.

*Labra mouet metuens audiri, pulchra lauerna
Da mihi fallere, da sanctum iustumque videri,*

Huius

Huius generis sunt ista mercatoris cuiusdam apud Ovidium vota ad Mercurium 5. Factorum:

*Da modo lucra mihi, da factæ gaudia lucro
Et face ut emptori verba dedisse iuuet,*

Quod reprehendit Seneca in epistolis, ubi ait: Tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum, cum eò peruenieris, ut nihil Deum roges, nisi quòd rogare possis palàm. Nunc enim quanta dementia est hominum? turpissimum dijs vota infusurrant: si quis admouerit aurem, conticescunt: & quod hominem scire nolunt, deo narrant: sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: sic cum Deo loquere, tanquam homines audiant.

Immurmurat) Metaphora ab aquis: de qua antea.

Offi) Primum impij voti genus, avari hominis prosopopœia representatur, thesaurum sibi aliquem deorum munere offerri cupientis per exclamationem & deprecationem. Vtinam, inquit, patrum mei sepulchrum, in quo eiusdem thesaurus defossus est, ex terra, tanquam bulla ex aqua erumpat & exiliat. Nam, ut ait Iuuenalis Satyra decima:

*Prima ferè vota & cunctis notissima templis
Diuitie ut crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro.*

Si) Si (ut prima Satyra dictum est) optantis particula est. Sic Sermon. Satyra 4.

*Si angulus iste
Proximus accedat, qui nunc deformat agellum.*

Ebullet) In hoc verbo Metaphora est & similitudo. Bullare enim aqua propriè dicitur, id est, bullas & paruas quasdam quasi ampullas emittere. vide prouerbium, Homo bulla.

Præclarum funus) Ut maximam in interpretandis authoribus lucem troporum cognitio adfert, sic maximas tenebras eorum ignorantio. Itaque minimè mirandum est, si hoc in loco omnes quotquot sunt interpretes hereant. est enim Meronymia adiuncti pro subiecto: nam funus propriè funebrem pompam significat, quæ in mortuis sepeliendis ducitur iuxta sepulchrum. hinc autem ponitur funus pro ipso sepulchro, quod pretiosum appellatur, quia veteres suos thesauros & quicquid in vita pretiosum habuerant, sepeliri vnà secum in funere curabant. Quod ne ex meo sensu depromptum esse videatur, rem eandem pluribus testimonijs comprobabo. Plautus in Pseudolo. Ex hoc sepulchro vetere 20 minas effodiam ego hodie. Plutarch. in Pyrrho: οἱ ὅτι Γαλάται ἤμιος ἀπληροῦ τῶν χρημάτων ὄντες, ἐπίδεικτο τῆς βασιλείων αὐτῶν περικλυμένων τοῦς τάφοις ὀρύττειν, &c. quem locum sic conuertit Aretinus. Galatæ genus infatiabile pecunijs, sepulchra regum fodere nequaquam veriti, aurum & ornamenta optima subtraxerunt, ossa verò per superbiam abiecerunt.

Sic & apud Iosephum & Egesipp. lib. I. legimus, Hyrcanum cum premeretur obsidione ab Antiocho, vt auro redimeret, quod ferro nequibat, referato Dauidis sepulchro, auri talentorum tria millia inde eruisse, ex quibus trecenta Antiocho erogarit, vt obsidionem solueret, ac pretio emptus digrederetur. Huc quoq; alludit incerti authoris Græcum epigramma:

Γινώσκων δὲ δάτω Πλακίανε σαφῶς ὅτι πῶτα
ἑγγαλικὸς γράϊα, πλείστὸς ὄρε σὺρ ὦ.

Quam consuetudinem reprehendens Calsiodorus, ait, Cineres tegant ædificia, columnæ & marmora ornent sepulchra, talenta non teneant, qui viuendi commercia relinquere: aurum enim iuste sepulchris detrahitur, vbi dominus non habetur. Quamquam in sepulchris fodere olim summum fuit nefas: vnde scribit idem Egesippus, Hyrcanum propter referatum Dauidis sepulchrum tantam sibi omnium inuidiam conflauisse, vt ad eam leuandam xenodochia struere coactus fuerit, in quibus peregrini pauperes exciperentur. Et Plutarchus Pyrrhum, quem Galatæ secuti fuerant, maximè omnium odio laborasse scribit, quòd illud tam impium in mortuorum cineres factum Galatæ impudè tulissent. Hinc illud etiam Solonis edictum, ne quis sepulchrum deleret, neue alienum inferret: statuta etiam poena, si quis bustum aut columnam violasset, aut deiecisset. Sepulchrorum enim usque adeò fuit antiquis cura, vt non aliunde templorum & sacrarum ædium originem deductam fuisse diligentissimi auctores memoriæ prodiderint: sed de his aliàs.

Off) Alterum auari votum per exclamationem & deprecationem: Sic Horatius 2. Satyra:

Vnam argenti fors òse mibi monstret.

Seria) Seria genus vasis fictilis oblongi. Terent. in Heautontim.

Deleui omnia dolia, omnes serias.

Vide Baesium in Vasculis. Hinc seriola diminutiuum, quò postea vititur Satyra quarta:

Seriola veteris metuens deradere lynam.

Dextro Hercule) Sic Horatius 2. Satyra;

Illum ipsum mercatus diues arauit amico

Hercule

Herculem enim (vt ait Diodorus libro quinto) Iucris deum & diuitiarum putauit antiquitas: ideoque decimam illi vouit, nec decem dies intermittebat quin illi pelluceret, quòd proprium fuit verbum sacrorum Herculis. Hinc M. Crassum legimus, & Lucullum & Syllam huiusmodi decimas Herculi, & populo Romano persoluisse. Colebatur autem à Romanis Hercules in ara maxima, vbi bos ei immolabatur. Cuius sacrificia describuntur à Virgilio quarto Æneidos ad hunc locum:

Dixerat

*Dixerat, Hercules bicolor cum populus umbra
Velauitque comas folijsque innexa pependit:
Et sacer impleuit dextram scyphus, æcynus omnes
In mensum leti bibant diuosque precantur.*

Pupillumus vtinam). Tertium auari hominis votum eiusdem propopocia expressum, & exclamatione deprecatiua illustratum: vbi pupilli cuiusdam (quò mortuo optimam hæreditatem aditurus erat auarus) pupilli, inquam, cuiusdam interficiendi necandiq; facultas à dijs petitur.

Expungam) Metaphora est à militibus, qui punctis scripti inferuntur legioni (ait Veget. libr.) vnde propriè expungi dicuntur. Sic Plautus in Curcul.

Miles pulchre centuriatus es & expunctus

In manipulos.

Namque est) Ratio optationis ex adiuncta facilitate & impunitate: docet enim auarus, se pupillum facile & impunè posse expungere: facilitas ex adiunctis pupilli demonstratur, quia sit. scabiosus & biliosus, vnde futurum speret, vt eum non veneno, sed scabie bileque mortuum esse homines iudicent.

Bile tumor) Bilis enim (vt ait Plato in Timæo) omnium morborum causa est, siquidem in homine exuperans, gignit mentis abalienationem: quòd & significat Plinius lib. II. cap. 37. Est autem (ait) bilis nihil aliud quàm purgamentum pessimi sanguinis, & ideo in materia eius est, & in felle nigro insanici causa homini, motisque toto reddito. Hinc & in mores crimen bilis nomine. Adeò magnum est in hac parte vitus, cum se fundit in animum, quin & toto corpore vagum colorem quoque oculis aufert. Cuius morbi remedia vide apud Plinium lib. 20. cap. 4.

Nerio iam tertia) Altera voti ratio, id est, impunitas ex collatione maiorum declaratur: Auarus impunè poterit pupillum expungere: Nerius enim duas vxores sustulit.

Nerio) Nerius nomen foeneratoris, qui suas vxores accipiendæ nouæ dotis causa necabat, ait Baptista.

*Hæc sanctè vt posesas, Tyberino in gurgite mergis
Manè caput bis, terque & noctem flumine purgas.
Heus age, responde, minimum est quòd scire laboro.
De Ioue quid sentis? estne vt præponere cures
Hunc cuiquam? cūnam? vis Staiò? an scilicet hæres?
Quis potior iudex, puerisue quis aptior orbis?*

k

Hoc igitur, quo tu Iouis aurem impellere tentas,
 Dic aedum Statio: pro Iuppiter, o bone clamet
 Iuppiter! at sese non clamat Iuppiter ipse.
 Ignouisse putas, quia cum tonat, ocyus ilex
 Sulphure discutitur sacro, quam tuque, domusque?
 An quia non fibris ouium, Egennaque iubente
 Triste iaces lucis, euitandum que bidental,
 Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
 Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
 Emeris auriculas, pulmone, & lactibus mectis?

Hæc sancte) Verba sunt poetæ stultam auarorum opinionem irridentis: argumentum est ex dissimilibus repugnanti sine illustratis, quod quamuis impia dijs vota facerent, caput tamen in Tyberi lauerent, ut honesta Deos poscere, & sancta petere viderentur.

Tyberino) Tyberis, vnde Tyberinus, Italiae fluvius, ex Apennino monte fluens: olim Albula dictus, postea vero Tyberis, quod submersus in eo fuisset Tyberinus rex. Ouid. 2. Fast.

*Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in vndis.
 Reddidit, hybernis forte tangebatur aquis.*

Gurgite) Gurges in fluminibus & aquis propriè dicitur, ut ostendit Quintil. lib. 9. cap. 1. Hinc pro fluuio per metonymiam quarti modi ponitur, ut apud Martialem lib. 1.

Raptus flumineo venit de gurgite piscis.

Mergis manè caput) Veteres enim antequam dijs immolarent, aut rem diuinam facerent, quibusdam se prius sacris preparabant, vnde Grecis verbum frequens ἐξορῶ, quod est ad cultum sacrorum se expiare: inter hæc erat corporis ablutio. Nam ut ait Cicero secundo de Legibus: aquæ aspersione labem corpoream tolli, & castimoniam corporis præstari iudicabant. Vnde sunt ista apud Virgilium secundo Æneidos:

*Tu genitor, cape sacra manu patriosque penates,
 Me bello ex tanto digressum & cæde recenti
 Atrectare nefas, donec me flumine viuo
 Abluero.*

Sic Dido apud eundem sacra dijs inferis instituens 4. Æneidos:

Dic corpus proberet fluminali spargere lymphæ.

Item sexto Æneidos:

Occupat

Occupat Æneas aditum corpusque recenti
 Spargit aqua.

Ibidem: *Alis sub gurgite vasto
 Infestum eluitur scelus, aut exurit igni.*

Ouidius secundo Fastorum:
*Actoridem Peleus ipsum quoque Pelea. Phoci,
 Cæde per Amonias soluit Atastus aquas.*

Ouidius quarto Fastorum:
Dic quater & viuo perluc rore manus.

Quam tamen veterum opinionem ridet ibidem Ouidius his versibus.
*Ab nimium faciles, qui tristia carmina cædis,
 Fluminea tolli posse putatis aqua.*

Cicero 2. Legum: Cum multum animus corpori præstet, obserueturque ut pura corpora adhibeantur, multo est in animis obseruandum magis: nam incestum aspersione aquæ vel dierum numero tollitur: animi labes, nec diuturnitate euanescit, nec manibus vllis elui potest. Vide Augustinum lib. 21. de Ciuitate Dei. Pausaniam in Atticis de expiatione Thesei, qui filios Pallantis interfecerat. Item in Corinth. de Dianæ & Apollinis expiatione, de Pithonis morte. Herodotum lib. 1. de Adrasto, qui ea causa ad Cræsum regem venerat, ut expiaretur.

Bis) Binarius numerus in sacrificijs & expiationibus olim vsurpabatur, vnde illud Ouidij 4. Fast. de Numa sacrificante.

*Bis caput intonsum fontana spargitur vnda
 Bis sua faginea tempora fronde tegit.*

Terque) Qui numerus perfectus est, ideoque superis sacer. Vnde sunt ista apud Aristotelem 1. de Cælo cap. 1. ex Pythagoreorum disciplina. Nam (ut Pythagorici inquit) ipsum omne ac omnia tribus sunt definita: finis enim medium atque principium ipsius vnus numerus habent. Hæc autem trinitatis. Quapropter hoc à natura numero sumpto, perinde atque quadam illius lege in deorum sacrificijs celebrandis vti solemus. Eodem etiam numero sæpe in expiationibus veteres utebantur: vnde sunt ista tam crebra apud poetas.

Ouidius tertio Fastorum:

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

Ibidem: *Ter tonuit sine nube Deus, tria fulgura misit.*

Idem quarto Fastorum de Claudia:

*Hæc ubi castarum processit ab agmine matrum,
 Et manibus puram fluminis hausit aquam.*

*Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas,
 Quicumque aspiciunt, mente carere putant.*

Ibidem de Cerere Triptolemum ægrum curante:
*Triptolemmum gremio sustulit illa suo,
 Terque manu permulsi cum, tria carmina dixit.*

Item 6. Fast. de Grane Nympha, Procum puerum à Strygibus laniantum herbis & carminibus suis sanare parantem:

*Protinus arbuta postes ter in ordine tangit
Fronde, ter arbuta limina fronde notat.*

Iuuenalis Satyra sexta:

*Ter matutino Tyberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet, &c.*

Virgilius Ecloga septima:

*Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Lycia circundo, teque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet:
Nocte tribus nodis ternos Amarylli colores, &c.*

Idem 6. Æneid. *Post iusta Myseno peracta*

*Ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore leui & ramo felicis oliuæ,
Lustrauitque viros.*

Noctem) Metonymia adiuncti pro subiecto. Nox enim pro nocturnis cupiditatibus & libidinum illecebris ponitur, vel nocturnis somnijs, quibus se veteres pollui credebant.

Purgas) Qui enim dijs vota facturi sunt, casti esse debent: vnde est illud Ciceron. 2. de Legib. ad Deos castè adeunto. Cùm igitur multis non modò cupiditatum illecebris, sed etiam solo somno nox polluat, ad eos accessuri noctem purgabant, id est, nocturnos somnos aut nocturnas libidines & cupiditates. Sic Aristophanes in Batrachis: *ὡς αὖ θεῶν ὄνειρον ἀπολέσω*, id est, vt diuinum somnium abluam. Propeertius in natali amicæ suæ lib. 3.

Ac primum pura somnum tibi discute lympha.

Hinc illud est Virgilij 8 Æneid. de Ænea, qui in Iomnis Tyberinum fluuium viderat.

*Nox Æneam somnusque reliquit,
Surgit, & ætherei cernit orientia Solis
Lumina, ritè cauis vadam de flumine palmis.
Sustulit, & tales effudit ad æthera voces,*

Vide Cælium Rhodiginum lib. 27. capite sexto, vbi locum hunc explicat.

Heus age) Apostrophe est ad auarum, quem paulò antè impura & sordida dijs vota facientem per profopopœiam induxit: illum enim ad respondendum inuitat Persius ex adiunctis, quia exiguum sit & paruum, quod ab eo petiturus sit.

De Ioue) Dialogismus est poetæ cum auaro: vbi docet Persius, impia hominum vota deorum auribus ingrata & iniucunda esse. Enthymema est ex collatione maiorum.

*Impia vota ingratâ sunt: mihi robissimo cuique: Muldò magis igitur Ioui
optimo maximo.*

Statio

Statio) Synechdoche est: Ex specie enim genus intelligitur: ex Statio improbus. Hic enim Statium Albiū Oppianicum nefarium & sceleratum hominem intelligit, qui Ciceronis tempore Cluentiam vxorem. & C. Oppianicum fratrem, eiusque vxorem grauidam iam appropinquante partu veneno sustulit, contra quem pluribus dixit Cicero pro Cluent.

An scilicet hæres) Reprehendit hæsitantem in Staij nomine auarum: quasi diceret, tam nobilem & celebrem esse hominis improbitatem, vt omnibus nota sit: vbi ex adiunctis minorum collatione amplificatis & Ironia illustratis, Staius definitur.

Pueris orbis) Periphrasis est pupilli. Orbi enim dicuntur oculis capti, & quasi oculorum orbe priuati. Sic Silius Italicus de Appio Claudio cæco lib. 13.

Pyrrhumque à limine portæ

Deiecit visus orbis.

Pupilli autem quia re charissima iucundissimaque priuati sunt, ideo qui parentibus destituti sunt (quibus iucundius nihil nobis esse debet) orbi per Metaphoram appellantur. Cicero ad Q. fratrem lib. 1. te incolumi orbi nunquam erunt filij.

Prò Iuppiter) Profopopœia est Staij, id est (vt antè dixi) flagitiosissimi hominis præ voti impietate exclamantis: vbi antecedens Enthymematis Persiani ex effectis Staij confirmatur, quod ingrata sint impia etiam sceleratis vota, quia si ea audiant, exclamaturi sint eo modo quo exclamans introducit hoc loco à Persio Staius: simile est illud Satyra 8.

Exclamet Melicerta perisse

Frontem de rebus.

Iuppiter) Epanalepsis est, id est, repetitio eiusdem dictionis in principio & fine sententiæ, qualis est apud Virg. 1. Æneid.

Multa super Priamo rogans super Hectore multa.

At sese) Prolepsis ex dissimilitudine Iouis & Staij: dixerit enim fortasse auarus, non quemadmodum audito impio voto Staius, sic & exclamat Iuppiter.

Ignouisse) Respondet proximæ obiectioni Persius, ex eodem argumenti genere minoribus illustrato. Quamuis Iuppiter in tesua fulmina non contorqueat, quercumque potius quam te domianue tuam fulmine feriat, tibi tamen non ignoscit: nam vt ait Luc. lib. 3.

quis enim lesos impune putaret

*Esse deos? seruat nullos fortuna nocentes,
Et tantum miseris irasci numina possunt.*

Horatius lib. 3. Carm. Od. 2.

*Rarè antecedentem scelestum
Deferuit pede pœna claudo.*

Vnde exclamat Tibullus lib. 1. Eleg. 9.

Ab miser, & si quis primo periuria celat,

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Lento enim ad vindictam gradu diuina procedit ira (ait Valer. Max.) sed tarditatem supplicij grauitate compenfat.

Ilex) Ilex species quercus durissimæ, de qua vide Plinium libro decimo sexto, cap. 6.

Sulphure) Metonymia quarti modi: sulphur enim adiunctum est fulminis, sulphur redolentis: Virg. 2. *Æneid.*

Intonuit leuum, loca latè sulphure fumant.

An quia) Repetitur eadem dissimilitudo ad refutationem proximæ prolepsos similitudine illustrata. Quamuis tu non sis tanquam bidental in luco: id est, fulmine non percutiaris, tamen Iouem non debes ridere.

Fibris ouium) Quibus dijs sæpe sacrificabatur, quia oues placidioris essent animi: fuit enim opinio veteribus, vt potius ex agnis & ouibus hostiæ fierent quàm ex cæteris, quia hæc mites & cicures essent: Nam gallinæ, fues, tauri animosiores videntur.

Ergennaque tubente) Synecdoche est speciei pro genere. Ergenna enim nomen est proprium sacerdotis & cuiusdam fulgurum conditoris, pro genere, id est, sacerdote positum.

Bidental) Bidental locum dicebant antiqui, in quo bidentibus hostijs, id est, biennibus (vt ait Seruius) & duos dentes altiores habentibus (vt interpretatur ex Higino Gellius lib. 16. cap. 6.) sacrificabatur. Horat. in Arte poetica.

Minxerit in patrios cineres an triste bidental,

Ita verò bidental instituebatur, locum fulmine tactum summo studio maiores obseruabant, sacerdotemque adhibebant, & fulminis vestigia dispersa colligebant, sacrisque ibi peractis ara constituebatur, in qua bidente res diuina fiebat. Vnde locus à bidentibus, quæ illic immolabantur, Bidental dicebatur, quem morem notat Lucanus:

Armis dispersos fulminis ignes.

Colligit, & tacito terræ cum murmure condit,

Datque locis nomen, sacris tunc admonet aris.

Electa ceruice marem, &c.

Hunc morem fulminis expiandi notat Iuuenalis Sat. 6. cum ait:

Atque alijs senior qui publica fulgura condit.

Vide quid sit Bidental apud Liliū Gregorium Syntagmate 17. quid autem bidentes hostiæ apud Gellium, loco notato.

Euitandum) Declinandum, non calcandum pedibus: idem enim locus à pontifice consecratur.

Lucis) Lucus nemus appellatur numini alicui sacrum, sic dictum, vt volunt Grammatici, per antiphrasim, quia minimè luceat propter opacitas nemorum vmbra: Lucos autem numinib. sacros Gentium virtoria testatur. Notat Seruius manes & heroum animas, quæ lares vitales dicerentur, lucos tenere. Hinc & Virgilius sexto *Æneidos*:

Nulli

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Nec Lucos vnquam posuit poeta sine consecratione: Lucos quoque collucere docet Romano more oportere M. Catō in re Rustica, formulamque adscribit, porco (inquit) piaculo facito: verba sic concipito: si Deus, si dea &c. De quibus prima Satyra. &c.

Idcirco stolidam) Antapodosis dissimilitudinis sine nota, vbi alludit ad vetus prouerbiū Barbam vellere, quo summum cōtemptum ac ludibriū significamus: Horat. lib. 1. Sermo:

Barbam tibi vellunt

Lasciui pueri

Perfius Satyra. 1.

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Vnde Dionysium Siculum ferunt, per contumeliam Aesculapio auream herbam detraxisse. vide Erasmus. Chil. 2. cent. 4. prouerb. 69.

Aut quidnam est) Altera prolepsis est, occurrit enim tacite auari obiectioni Perfius, quæ talis esse potuit. At ego mihi deos amicos muneribus & sacrificijs feci, eorumque mihi aures demerui. quàm refellit ex repugnantibus, quia muneribus & sacrificijs Deus non capiatur. Nam vt ait Ouidius epist. 19. Heroid.

Non boue mattato caelestia numina gaudent,

Sed qua præstanda est, & sine teste fides.

Itaque (vt refert ex Homero Socrates in Alcib. 2.) Etsi Troiani cum suburbanum aliquod ædificium moliebantur, dicabant dijs immortalibus pretiosa sacrificia bouum, quorum nidor ex littore suauis in cœlum vsque ventis extolleretur, illis tamen dijs non vescebantur, quippe quibus Ilion & Priamus & Priami populus odio esset. Itaque nil Troianis proderat, cum bellum aduersus Deos haberent, sacra & munera illis offerre. Vide Lactantium lib. 6. capite 2. vbi hunc locum citat.

Lactibus vnctis) Lactes dicuntur intestina per quæ cibus à ventriculo labitur, idque in oue tantum & homine (ait ex Plinio Nebricensis) hinc per Synecdochem pro intestinis ponitur. Catullus in carmine de Atys & Berecint.

Diuellit lactes acuto sibi pondere siccis.

Ecce auia, aut metuens diuūm matertera, cunis

Exemit puerum, frontemque, atq; vda labella

Infami digito, & lustralibus ante saluis

Expiat, vrentes oculos inhibere perita.

Tunc manibus quatit, & spem macram supplice vota

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.

*Hunc optent generum rex & regina: puella
Hunc rapiant, quicquid calcauerit hic, rosa fiat.
At ego nutrici non mando vota: negato
Iuppiter hæc illi, quanuis te ablata rogarit.*

Ecce auia) Hæcenus auarorum vota Satyrica libertate infectatus est Persius: eadem nunc festiuitate muliercularum pro suis liberis & nepotibus preces atque vota per profopopœiam representat & eludit: ac primum anum huiusmodi stulta vota facientem describit ex adiunctis & effectis.

Metuens diuum) Vetulæ enim superstitiosæ esse solent, vnde pia anus appellatur ab Ouidio 1. Fastorum:

Quæ pia Dijs ruris ferre solebat anus.

Idem 8. Metamor. *Sed pia Bancis anus, &c.*

Infami digito) Medium intelligi volunt interpretes, qui & Verpus à verrendo podice dicitur, quod protensis duobus alijs vtrinque proximis complicatis, inguinis speciem quandam referat. Martialis:

Rideto multum qui te Sextile timedum

Dixerit, & digitum porrigito medium.

Quem & impudicum appellat:

Ostendit digitum, sed impudicum,

Alconti, Dastoque, Symachoque.

Pro eodem dixit Iuuenalis medium vnguem, Sat. 10.

Cum fortunæ ipse minaci

Mandaret laqueum, mediumque ostenderet vnguem.

Lustralibus saluiis) Saluiam mulieris ieiunæ scribit Plinius lib. 25. cap. 7. oculis cruentatis mederi, & contra epiphoras, si feruentes anguli oculorum subinde madefiant: efficacius si vino ciboque se pridie abstinuerit. Hominis quoque salua ieiuni serpentem necat (vt docet idem Plinius libri eiusdem cap. 4.) & fascinationes repercutit, dextræque claudiratis occursum. Hinc lustralis appellatur. Lustrare enim idem est quod expiare, vt docet Ouidius 2. Fastorum. Vnde festa Lustralia, quæ quinto quoque anno, id est lustro, celebrantur. Hic autem ad lustrationem puerorum videtur alludere Persius: solebant enim veteres, pueros quinto à partu die lustrare, & pro illis sacrificare, vt indicat Plautus in Trinummo, apud quem Dinarchus sic loquitur:

Quin dijs hodie sacrificare pro puero voto adscititio.

Tum meretrix:

Imò herclè verò quinto die, quod fieri oportet, cenfeo.

Quem expiandi morem explicat in Theæteto Plato. cum Socratem sic loquentem facit: Hanc prolem vt videtur, qualiscunque sit, vix demum

demum genuimus, vt moris est, quinta ab eius natali die solemnia celebrantes, circulo cursum circumferre debemus, præcauentes ne rios fallat, si fortè educatione indigna sit: si inanis ac falsa. An censens natum tuum omnino alendum, nec villo modo abijciendum? An si fortè reprobatum videns primogenitum tuum, non moleste feres de medio tolli. Hæcenus Socrates. Fuit autem & lustricus apud Romanos dies, quo lustrare infantes solebant, illisque nomina imponere, foeminis quidem octauo, maribus verò nono post natalem die (ait Macrobius.)

Inhibere) Inhibere verbum est nauticum, quod Cicero Latine idem significare putabat quod Græcè ἐπιχειρῶ, hoc est sustinere & sistere. Itaque ἐπιχειρῶ in quæstionibus Academicis verterat, consilio Attici, inhibitionem: quod tamen reprehendit 13. Epist. ad Atticum, cum ait: Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer duplicet: est enim verbum totum nauticum (quanquã id quidem sciebam) sed arbitraber sustineri remos, cum inhibere essent remiges iussu: id non esse eiusmodi didici heri cum ad villam nostram nauis appelleretur, non enim sustinent, sed alio modo remigant, id ab ἐπιχειρῶ est remotissimum. quare facies vt sit in libro quemadmodum fuit. Hæcenus Cicero. Hinc per Metaphoram pro cohibere & impedire. Ouidius ad Liuiam:

Cursus inhibebat equorum.

Vrentes oculos) Lilius Gregorius legisse videtur arentes. Vtrobique autem periphrasis est fascinationis ex causa efficiente, id est, oculis. Oculus enim maleficus ex nocendi auiditate fixis obtutibus præmolles fascinare infantes creditur: cui veteres Romani peculiari ratione occurrerant: Græcan Nemefim inuocantes (ait Plin. lib. 25. cap. 2) vel corio ceruini frontis, ait idem lib. 25. cap. 8.

Cur autem homines fascinari possint, præsertim que pueri, declarat Alexander Aphrodisæus lib. 2. problemate 53. Quoniam (inquit) talem sortiuntur naturam, vt affici perquam facile possint, & immutari. Genus id vitij tale est. Qui summa animi nequitia perpolluti liberalem aliquam formam exofculari cupiunt, vitiatos oculorum suorum radios tanquam tela veneno quodam, id est animi vitio, illita transmittunt, intorquent que in rem cuius desyderio flagrant, qui radij facile naturam, quam aggressi sunt, conficiunt, præcipue si tenera est vt. in pueris. Virgil. de agnis, Ecloga 3.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Vide Heliodorum in Historia Æthiopica de Chariclea.

Spem) Metonymia quarti generis. Spes enim adiunctum est pueri, & in puero præter spem ferè nihil est. Ostendit enim in ea ætate tanquam in herba, quænam virtutis maturitas, & quantæ fruges industriæ futuræ sint (ait pro Cælio Cicero): reliqua verò tempora (ait

idem in Catone maiore) de metendis fructibus aut percipiendis accommodata sunt. Hinc apud Virgilium Palinurus iurat:

Per spem surgentis Iuli.

Macram) Metaphora ab animalibus: ut enim ea quæ macra sunt, parua quoque & leuia esse solent: sic spes macra dicitur, id est exigua. Sic Iuuenalis macras imagines poetarum vocat Satyra 7.

Vt dignus venias hederis & imagine macra.

Macra autem & exigua spes est in pueris, in quibus (vt ait Poeta)

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Nunc Licini) Obliqua profopopœia auia illius, quæ paulò antè descripta est, diuitias & opes filio suo optauit.

Licini) Licinium quendam ex Augusti Cæsaris libertis videtur intelligere, quem apud Suetonium fuisse ditissimum legimus, qui Cæsaris in Gallia procurator totam prouinciam spoliavit: cuius meminit Iuuenalis Sat. 14.

Dispositis prædiues hamis vigilare cohortem

Seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro

Electro, signisque suis, Phrygiæq; columma.

Crassi) Aliàs Cressi. Fuit aut vterq; ditissimus: vnde diuitis nomen Crasso inditum, qui cum postea decoxisset, irrisione tamen occurrentium diues salutabatur (ait Plinius). Nam hunc locum de M. Crasso, Publij filio, qui cum Pompeio & Cæsare Triumviratum inierat, non putant interpretes intelligendum.

Hic optent) Hic plena profopopœia est muliercularum stulta pro suis liberis vota facientium: qualia describit Iuuenal. Sat. 10.

Formam optat modico pueris, maiore puellis

Murmure, cum Veneris sanum videt anxia mater:

Vsq; ad delicias votorum: Cur tamen, inquit,

Corripias? pulchra gaudet Latona Diana:

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem

Ipsa habuit, cuperet Rutile Virginia gibbum

Accipere, atque suam Rutile dare: filius autem

Corporis egregi, miseros trepidosq; parentes

Semper habet: rara est adea concordia formæ

Atque pudicitie.

Horatius Epist. 4. libro primo:

Quid voueat dulci manus nutricula alumnos

Quam sapere, & fari vt possit quæ sentiat, & cui

Gratia, fama, valetudo contingat abundè?

Cuiusmodi votis aures non dari à superis docet Iuuenalis Satyra 6.

Stetit ante aram, nec turpe putauit

Pro Cythra velare caput, distataque verba

Protulit (vt mos est) & aperta palluit agna.

Dic mihi nunc quæso, dic antiquissime diuinum,

Respondes

Respondes his Iane pater? magna otia cali!

Non est (vt video) non est, quid agatur apud vos.

Idem Satyra decima:

—*Nos animorum*

Impulsu & cæca magnaue cupidine ducti,

Coniugium petimus partumq; vxoris: at illis

Notum qui pueri, qualisque futura sit vxor.

Simile est illud Socratis in Alcibiade 2. Inuenies quosdam homines, qui liberos votis exoptant, & cum eos adepti sunt, in calamitates maximas incidunt. Nam si improbi fuerint, vitam parentes in errore finiunt: qui verò probos sunt nacti, si aduerso quodam casu illis orbanatur, nihilominus quàm superiores miseri sunt: vt satius illis sit filios nunquam genuisse, &c.

Generum) Vt apud Virgilium, Amata Lauiniæ Turnum maritum dari optat, sibiq; generum. Sic Virgilius de Augusto 1. Georg.

Tæque sibi generum Thersys emat omnibus vndis.

Puellæ hunc rapiant) Propter pulchritudinem & ingenium, vt multis olim accidit, vt Ganymedi, vt Proserpinæ, vt Chlorig; à Zephyro raptæ, vt Erythiæ à Borea.

At ego) Indignatio poetæ in stultas huiusmodi muliercularum preces per apostrophem & deprecationem ad Iouem, apud quem rata esse huiusmodi vota non debere docet ex dissimilibus. Antapodosis præcedit, Prota visa sequitur: Quamuis hæc vota fecerit albis induta vestibus, tamen irrita esse debent. Nam vt præclare Iuuenalis Satyra decima:

Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus, vsque

Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt.

Vera bona, atque illis multum diuersa, remota

Erroris nebula. Quid enim ratione timemus,

Aut cupimus, quid tam dextro pede concipis, vt te.

Conatus non peniteat, votiq; peracti?

Nil ergo optabunt homines, si consilium vis,

Permites ipsis expendere numinibus, quid

Conueniat nobis, rebusq; sit vtile nostris.

Nam pro incundis, aptissima quæque dabunt Di:

Charior est illis, &c.

Quamuis) Protasis dissimilitudinis.

Albata) Veteres enim dijs vota facturi aut sacrificaturi, albis vestibus atque puris ornabantur, vt & ipso die natali: quod notat Ouidius 5. Trist. cum ait:

Quæq; semel toto vestis mihi sumitur anno,

Sumetur fati discolor alba meis.

Quintiam sacerdos, qui victimam faciebat, pura veste & candida plerunq; textili, nec maioris operis quàm industriæ utebatur. quod si-

gnificat Cicero 2. de Legib. cum ait: Color albus præcipue Deo charus est, cum in cæteris, tum maxime in textili. & Ovidius 3. Fastor. Numam Pompiliam Ancilia Martis expectantem, & ideo dijs vota facientem sic describit:

*Constitit, atque caput niveo velatus amictu,
Iam bene dijs notus, sustulit ille manus.*

Idem 3. Amorum sic Junonis sacerdotes eiusdem sacra humeris gestantes describit:

*More patrum sanctæ velatæ vestibus albis,
Tradita supposito vertice sacra ferunt,*

Tibullus lib. 2. Elegia prima:

*Castæ placent superis, casta cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Triumphales autem viri, & qui amplissimos honores consecuti fuerant, in triumphi habitu aut in prætexta solis manibus & fronde coronati sancti & venerabiles, nudis pedibus, tonsa coma ad rem divinam accedebant. Ergo albati dicuntur pura & religiosa veste induti (ait Festus & Seruius) qua sacra facturi utebantur. Ea autem erat soluta omni vinculo, nullis maculis, nullo squalore obsita, nec funesta aut fulgurita: authores Caper & Higin. in illud Virgilij:

*Frontemque ignemque ferebant
Velati lino & verbena tempora vinciti.*

Poscis opem nervis, corpusq; fidele senectæ.

Esto agè, sed grandes patinæ, tucetæque crassa.

Adnuere his superos vetuere, Iouemque morantur.

Remstruere exoptas caso boue, Mercuriumque

Arceſis fibra. Da fortunare penates,

Da pecus, & gregibus foetum: quo pessimè pacto,

Tot tibi cum inflammatis iunicum omenta liqueſcant?

Attamen hic extis, & opimo viuere farto

Intendit, iam crescit ager, iam crescit ouile,

Iam dabitur, iam iam, donec deceptus & exſpes

Ne quicquam fundo suspit et nummus in imo.

Poscis opem) Tertio loco hominum incontinentium & libidinosorum vota ac preces describit, & deridendas proponit ex repugnantibus. Petere enim fidam ienectuti corpus, eiusdemque vires intempestiuus

pestiuus conuiujs, commestationibus & ingurgitationibus debilitare, repugnantia sunt. Nam intempestiuia conuiuia, commestationes, ingurgitationes, effectum ac decrepitem corpus tradunt senectuti, ut ait in Catone maiore Cicero, quod eleganter postea Persius exprimit his versibus Satyra 3.

*Turgidus hic epulis atque albo ventre lauatur,
Gutturæ sulphureas lente exhalante mephites,
Sed tremor intervincta subit, calidumque tridentem
Excudit è manibus, dentes crepuere reiecti,
Vda cadunt laxistunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque litatus amomis
In portam rigidos calces extendit, at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.*

Est autem initio apostrophe ad incontinentem.

Nervis) Quibus vis roburque corporis continetur: unde nervos intendere.

Fidele senectæ) Metaphora ab hominibus & Metonymia. Senectæ enim pro sene ponitur, adiunctum pro subiecto.

Esto agè) Permissio.

Patinæ) Metonymia continentis pro contento. Patina enim vasis genus est, quo dapes elixæ & iurulentæ in mensam feruntur. pro dapibus autem hoc loco ponitur. De patinis autem & earum luxu vide Plinium lib. 10. cap. 51. & lib. 35. cap. 12. & Iuvenalem Satyra 4.

Testa alta paretur,

*Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem
Debetur magnus patinæ, subitusque Prometheus.
Argillam atque rotam citius properate, sed ex hoc
Tempore, iam Cæsar figuli tua castra sequantur.*

Remstruere) Synecdoche est apud bonos authores frequentissima. Res enim generale est vocabulum, quo omnia significari possunt, ut apud Græcos *κοινον*: ponitur autem pro speciali aliquo, id est opibus & diuitijs. Sic Cicero 2. Catilin. Res eos iam pridem, fides deficere nuper cœpit.

Caso boue) Cuius immolatione deos facile placari & amicos reddi veteres crediderunt, idcirco Ioui à flamine omnibus idibus bos candidus, & ex agro Phalisco aut Menania immolabatur: illos enim ad sacra faginabant, & deorum supplicijs seruabant. Bos autem qui subactus fuisset purus non putabatur. Creditum quoque bouem quinquennalem in signem Ioui victimam esse. Solonis tamen lege, de boue nulli deo sacrificare licebat, quia animal putaretur innocuum & colonum. Vide Plinium lib. 18. cap. 3. de honore bobus delato apud veteres. Ouid. 15. Metamorph.

Quid meruere boues animal sine fraude doloque

*Innocuum, simplexque natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curui dempto modo pondere aratri,
Ruricolam mactare fauum, qui trita labore
Illa quibus toties durum renouauerat aurum,
Tot dederat menses, percussit colla securi.*

Et alio loco de Cerere:

*Farra Deæ micæque licet salientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.
Etsi thura aberunt, vnctas accendite tædas,
Parua bonæ Cereri, sint modò casta, placent.
A boue succincti cultros remouete ministri,
Bos aret, ignauam sacrificate suem.
Apta iugo ceruix non est ferienda securi,
Viuat, & in dura sepe laboret humo.*

Mercuriumque) Mercurius à Latinis dictus, à Græcis Ἑρμῆς vocatur, sermonis & mercaturæ deus: Ἑρμῆς enim interpretem significat, vnde & interpretatio Ἑρμηνεία, quæ propriè ad sermonem pertinet. Fuit enim eloquentissimus Mercurius. Id indicat Horatius Ode. decima, Carm. I.

Mercuri facunde nepos Atlantis.

Vnde etiam mercibus præesse, lucroque ac quæstui præsidere credebatur, quia inter vendentes ac ementes sermo sit medius. Vnde ei & alas in capite, & pedibus antiqui assignauerunt, id scilicet significare volentes: voluerem per aera ferri sermonem. Iouis verò & Maiaæ filius dictus, hoc est ἄνδρα καὶ τῆς ὀρονήσιας, quòd videlicet ex vtraque, mente scilicet & prudentia, oratio ducatur. Mercurium verò à mercibus dictum volunt, quod significat idem apud Horatium, cum ait:

Mercarier vnus

*Cum lucro noram, vnde frequentia mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita.*

Vnde ἐμπολαῖος καὶ κερδῶος à Græcis nominatur, quòd auclionibus & mercimonijs præsit. ἐμπολαῖος enim mercator & ἐμπολαῖος mercatorius dicitur: κερδῶος autem lucrosus. Alij quæstuosum interpretantur. Cæsar Commentariorum de bello Gallico libro sexto de moribus Gallorum loquens: Mercurium (ait) maximè colunt. Huius sunt plurima simulachra: hunc omnium artium inuentorem ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere viam maximam arbitrantur. Vide Diodoram Siculum libro septimo Bibliothecæ ἀγοραῖος. Mercurium igitur rusticus inuocat & implorat in sacrificijs, qui lucro & quæstui præsit, ad quem paulò sunt audiores agricolæ. Ouidius quinto Pastorum:

Clare

*Clare nepos Atlantis ades quem montibus olim,
Edidit Arcadijs Pleias vna Ioui.
Te quicumque suas profitentur vendere merces.
Thure dato tribuas, ut sibi lucra rogant.*

Vide locum circa finem.

Fibra) Id est extis, intestinis: Fibrae enim propriè dicuntur in radicibus arborum per quas succus attrahitur: hinc propter similitudinem pro intestinis. Est & synecdoche singularis pro plurali.

Da fortunare) Profopœcia est rustici felicitatem à Mercurio deprecantis. Est autem fortunæ prosperare & bonis augere, ait Acron in illud Horatij I. epist.

*Tu quamcumque Deus tibi fortunauerit horam
Grata sume manu.*

Penates) Penates (vt apud Arnobium interpretatur Varro) dij sunt introrsus & in intimis cœli penetralibus nati, summi Iouis consiliarij. Horum sex mares, totidem fœminæ, nominibus ignotis & miserationis parcissimæ. Hyginus Deos patrios vocari tradidit, atque ideò à Virgil. dictum 2. Aeneid.

Dij patrij seruate domum.

Ibidem: *Patrijque penates.*

Arnobius lib. 3. aduersus gentes ex Nigidij sententia, Penatium genera constituit quatuor: alios Iouis, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos. De figura eorum verò & forma Timæus quidam historicus scribit, eos fuluos, ferreos & æreos, & Troianum vas quoddam fictile fuisse, eaque in occultis & reconditis Lauij iacuisse sacra. Nonnulli quoque in templo obscuro & humili, quod erat non procul à foro Romano, duas duorum Troianorum imagines fuisse aiunt, duorum iuuenum sedentium, habentiumque pila in manibus, vetera eius artis opera: quibus esset inscriptio: Dij penates. Eorum ædes (vt ait Macrobius) erat in ea parte montis Palatini, quæ Boream spectat, Velia nominatur. Vnde Liuius 5. Decad. Ædes deorum penatum in Velia de cœlo tacta est. Penates autem dicti sunt (vt Ciceroni placet 2. de Nat. Deorum) à penu, siue ab eo, quòd penitus insident: ex quo etiam penetrales dicebântur. Catullus:

Pubes Græca penetrales deseruisse Deos.

Seruius in illud Virgilij:

*Ædibus in medijs nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit.*

Penates (ait) omnes deos esse, qui domi coluntur: vnde pro domibus ipsis sepe sumuntur per Metonymiam tertij generis: possessor nempe, vel qui præest, pro re possessa & cui præest: vt Neptunus pro mari, Hymenæus pro nuptijs. qua in significatione hoc loco penates vsurpantur: Petit enim rusticus, omnia domi suæ feliciter & auspicio euenire.

Da pecus & gregibus) Anaphora in principijs incisorum: sic apud Ouidium 4. Falorum:

Vbera plena premam, referat mihi caseus æra,

Dentque viam liquido vimina rarâ sero!

Sitq; salax aries, conceptaque femina coniunx

Reddat & in stabulis multa sit ægna meis!

Lanaque proueniat nullas læsura puellas,

Mollis, & ad teneras quamlibet apta manus!

Quo pessimè) Acërba & vehemens Persij in rusticum oratio, huiusmodi vota facientem ex repugnantibus, quasi diceret: Petis à dijs vt grex tuus multiplicetur: at quotidianis sacrificijs & immolationibus gregem minuis.

Iunicum) Iunices bobus minores, vitulis maiores, inter vtrosque interiecti, quos Ouidius lib. 3. Amorum. Elegia 12. sic definit:

Et vituli nondum metuenda fronte minaces.

Omenta) Synecdoche est partis intestinorum pro ipsis intestinis atq; extis, quæ in sacrificijs aræ imposta cremabantur. Virgilius:

Et solida imponit taurorum viscera flammis,

Pingue superque oleum fundens ardentibus extis, &c.

Omentum enim membranam crassam significat, qua intestina inuoluuntur (ait Aristoteles I. de Animalib.) quæ vnâ cum intestinis cremabatur. sic Catullus de Gellio:

Natus vt accepto veneret carmine diuos,

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Iuuenalis Satyra decima tertia ad Iouem:

— Aut cur

Ponimus & sectum vituli iecur, albaque porci

Omenta, &c.

Attamen hic extis) Amplificat eandem rusticorum simplicitatem, alijs item repugnantibus petitioni suæ factis: quæ per dissimilitudinem tractantur, collatione paritum illustratam. Quamuis grex quotidianis sacrificijs minuatur, tamen non desinit sacrificare, speratque tandem se compotem fore: tam diuq; hostias dijs cædit, donec totum gregem suum penitus exhaust.

Extis) Extæ plurali tantum numero dicimus, licet & extum apud Plinium & Celsum legamus. Sunt autem Extæ (vt ait Plinius lib. II, cap. 37.) vt cor, pulmo, lien, & iecur in victimis, quoniam super omnia intestina superiora extent, quæ & vno nomine præcordia dici putat lib. 20. Festus Extæ ait dicta, quod dijs ea sacrificentur, quæ maximè extant eminentque: ex quibus diuinationem fieri solitam scribit Cicero libro secundo de Natura Deorum, & primo de Diuinatione. Cæsa enim hostia mox sacerdos cultro ferreo viscera & exta rimabatur, & extispicium faciebat, hoc est, per exta deos consulebat, & an perlitatum esset attentè explorabat, tuncque exta reddi dicebantur, cum

cum probata, aræ supponebantur, vt notat Seruius ad illud Virgilij 2. Georgicorum:

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Ferto) Fertum libi genus, quod sæpe ad sacrificia ferebatur: unde etiam Feralia festa, cum ferebantur dapes ad sepulchra: de quibus Varro.

Intendit) Metaphora à sagittarijs. Intendere enim proprie dicitur arcum sagittarij. sic Virgilius 5. Æneidos:

Arcum intendebat Apollo.

Et Cicero pro Sestio. Fuerat ille annus tanquam in Repub. magno metu & multorum timore intentus arcus in me vnum. Hinc pro sperare apud eundem 2. in Verrem: Quibus rebus quid & ipse speret, & quò animum intendat facile perspicio.

Iam crescit) Protopopœia est agricolæ, vana spe fecunditatis & fertilitatis sibi plaudentis & congratulantis.

Iam) Anaphora in principijs incisorum.

Iam iam) ἴαμι ἴαμι.

Suspiret) Metaphora est ab animalibus.

Imo) Metonymia adiuncti pro subiecto: Imo, pro fundo imo, in quo (vt ait Seneca) sera pœnitentia est. Hesiodus in opere, cui titulus, Opera & dies:

Ἀργυρένῃ ἢ πύρρου καὶ λίχουτος κορέσασθαι

Μεσοῦσι φείδεσθαι, δεινὴ δ' ἐνὶ πύρρῳ φείδω.

Id est: Plena vbi dolia sunt, aut iam propè inania vini,

Tum satiare, sed in medio, fac parciore esto:

Absurdum siquidem & graue, &c.

Vide Erasmus in proverbio, Sera in fundo parsimonia.

*Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudas, & pectore læuo
Excultas guttas, letetur pertrepidum cor:*

*Hinc illud subijt, auro sacras quod ouato
Perducis facies. nam fratres inter abenos
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunt: sitque illis aurea barba.*

*Aurum, vasa Numæ, Saturniaque impulit æra,
Vestalesque urnas, & Thuscum fictile mutat,
O curuæ in terris animæ, & cœlestium inanes.*

*Quid iuuat hoc templis nostros immittere mores?
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?*

Sitibi) Stultam imperitæ multitudinis opinionem deinceps explicat Persius, quæ efficiens causa est tam frequentium sacrificiorum: plebs enim fallaci quadam similitudine inducta, quemadmodum homines, sic & deos muneribus capi & delectari credebat. cuius similitudinis Antapodosis reprehenditur, & Satyrica exclamatione eleuatur. Argumentum est ex adiunctis earum rerum, quæ dijs offeruntur, quæ repugnant deorum maiestati & diuinitati: humanæ enim res profanæ sunt, pollutæ & impuræ.

Sudes) Periphrasis gaudij ex adiunctis.

Pectore læuo) Synecdoche: Læuum pectus pro parte pectoris læua, in qua est cor. Vnde Iuuenalis Sat. 7.

Quod læua in parte papille

Nil salit Arcadico inueni.

Cor enim ait Plin. lib. II. cap. 37. licet in alijs animalibus sit in medio pectore, homini tamen est infra læuam papillam, turbinato mucrone in priora eminus.

Ouato auro) Ouato auro deorum facies exornari ait, vel quia eorum statuæ & imagines prius albumine delinebantur, quam auro inducerentur: quo modo de statuis loquitur Plinius lib. 36. vt ouatus esset Numidicus, vt purpura distinctus esset: vel ouatum aurum dicitur, quod inter prædam & manubias imperator aliquis in triumpho & ouatione duxerit, vt de Africano ait Plin. lib. 33. cap. II. qui deuictis Pœnis quater millies cccclxx mil. pondo in triumpho duxit. Sæpe autem Imperatores ex Manubijs templa construxerunt, vt de Metello Dalmatico legimus, qui ex manubijs eadē Castoris excitauit.

Nam fratres) Exornatio Antapodosis dissimilitudinis ex effectis.

Fratres ahenos) Periphrasis est deorum, quorum ahenæ statuæ in Pantheo Romæ templo stabant: cuius meminit Plinius lib. 24. cap. 3. fratres autem appellabantur, quod eadem sint matre geniti, id est Cybele, quæ magna hominum mater, materque deorum ab Orphee in hymnis appellatur:

Μήτηρ μὲν τε θεῶν ἠδὲ θυγατρὶν ἀνδράπων, &c.

Vnde Erato apud Ouidium 4. Fast. de Cybele:

Illa deos, inquit, peperit, cessere parenti,

Principiumque dati mater bonoris habet.

Somnia) Quæ veteres hominum meatibus à dijs immitti putauerunt. Vnde est illud apud Homerum I. Iliad.

Τὸ ὄναρ ἐκ Διὸς ἔστι.

Ex Ioue sunt somnia.

Quo in loco Eustathius interpres: Somnia (inquit) quæ ex Deo sunt, *διὸ πρῶτα* vocant, velut ex Ioue missa. Quin & huiusmodi somnia propriè dicuntur *δνειροι*: appellantur & *θεῖα ὄνειρα*, id est diuinæ voces, quia *φάσμα τὸ θεῖον*, hoc est verum indicant. Proinde dicitur somnium ab eodē Homero *Διὸς ἄγγελος*, id est Iouis nuntius. Somnia autem Mercurius pro arbitrio virga sua hominibus inferre & auferre dicitur: sicut & à Græcis dea Brizo, quæ olim vaticinijs per somnia præesse credebatur. Somniorum sedem describit Virgil. 6. *Æneidos* his verbis:

In medio ramos anno saque brachia pandit

Vlmus opaca, ingens, quam sedem somnia vulgo

Vana tenere ferunt, folijsque sub omnibus hærent.

Vbi Seruius: Qui de somnijs (inquit) scripserunt, dicunt, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia, quod velut aliud agentem ait attigisse Virgilium.

Pituita) Ex cuius affluentia somnia proficiuntur (ait Celsus.)

Est autē Pituita quilibet in corpore redundans humor, qui à Græcis *φλέγμα* dicitur: cuius quatuor species à medicis assignantur. Vide Fernelium Naturalis medicinæ lib. 6. de Functionibus & humoribus. Sic dicta pituita, quia vt *Ælio* placet, vitam petat. Est enim, vt I. Sat. ex Platone diximus, omnium morborum origo.

Purgatissima) Id est vera & certa, non fallacia & temeraria: qualia delirantium senum aut vinolentorum esse solent: de quibus Tibullus lib. 3. Elegia 4.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

Et pavidas mentes falsa timere iubent.

Nec enim in pituitosis, aut vino languidis, aut cibo confectis, aut aliqua animi perturbatione affectis animus liberè per obtusas & hebetes sensuum velut fenestras cōtemplari potest: an diuina somnia percipere: sed vt Claudianus in præfatione libri sexti de consul. Honorij refert:

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,

Tempore nocturno reddit amica quies.

Venator defessa thoro cum membra reponit,

Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.

Iudicibus lites, aurigæ somnia, curuis:

Vanaque nocturnis metæ cauetur equis.

Furto gaudet amans, permutat nauita merces,

Et vigil elapsas querit auarus opes.

Blandaque largitur frustra stientibus agris,

Irriguus gelido pocula fonte sopor.

Cum autem nulla corpus ægritudine laborat, nullaque animus perturbatione angitur, tum mens, quæ diuina est, facilè potest diuina somnia percipere. Itaque præclarè apud Platonem Socrates de veris so-

mnijis disputat 9. de Repub. Quem locum Cicero sic transtulit 2. de Diuinat. Dicit enim (ait), Cum dormientibus ea pars animi quæ mentis & rationis sit particeps, sopita langueat: illa autem in qua feritas quædam sit atque agrestis immanitas, cum sit immoderato tumefacta potu atque pastu, exultare eam in somno immoderateque iactari. Itaque huic somnia obijciuntur à mente & ratione vacua, vt aut cum matre corpus miscere videatur, aut cum quouis alio, vel homine, vel deo, sæpe cum bellua, atque etiam trucidare aliquem & impiè cruentari, multa que facere impurè & tetrè cum temeritate & imprudentia. At qui salubri, moderato victu atque cultu quieti se tradiderit, ea parte animi: quæ voluptate alitur nec inopia enecta, nec fatietate affluenti (quorum vtrumque perstringere mentis aciem solent) siue deest naturæ quippiam, siue abundat atque effluit. Illa etiam tertia parte animi, in qua iratum existit ardor sedata atque restincta, tum eueniet duabus animi temerarijs partibus compressis, vt illa tertia pars animi & mentis eluceat, & se vegetam ad somniandum acremque præbeat. Hæc Socrates. Vide Cælium Rodiginum libri vigesimi septimi capite septimo. Virgilius 6. Æneid. Fallacia somnia à veris sic distinguit:

*Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus ymbris,
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.*

Somnijis autem præesse credebatur dea Briso, cui & scaphas offerebant omnifariam bonis plenas, piscibus tamen exceptis.

Aurea barba) Qualem Dionysius Æsculapio detraxisse dicitur: Veteres enim deos illos, quorum numine & præsidij vterentur, aureis donabant vestibus aut statuis: sic Thyrsis apud Virgilium:

*Hæc te liba Priape quot annis
Expectare sat est, custos es pauperis horti,
Si fætura gregem suppleuerit, aureus esto.*

Aurum vasa) Alia eiusdem popularis opinionis effecta describuntur. Vnde tot aureæ, tot argentæ diuorum imagines? vnde tot signa, tabulæ, peristromata, vestes, candelabra, tripodes, cortinæ, lychnuchi pensiles? nempe ex ea opinione, qua populus vt homines, sic etiam deos muneribus putat delectari. Quam opinionem ridet Seneca in epistolis his verbis. Exurge quoque & te dignum finge deo, finges autem non auro, nec argento: non potest enim in hac materia dei imago exprimi: quin cogita illos cum propitij fuissent, fictiles fuisse. Cic. 3. de Legib. Aurum & argentum in vrbibus & priuatum prophanis inuidiosa res est.

Vasa Numæ) Id est simpuuia vel fictilia, quibus in sacrificijs vsus est Numa Pompilius, secundus Romanorum rex. Iuuenalis Satyra sexta:

Simpu-

*Simpuuium videre Numæ nigrumque catinum
Ausus erat.*

Sic Cicero i. Paradox. Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas dijs immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam delicatas aliorum pateras arbitramur? fictilibus autem initio Imperij Romani vsus est Numa Pompilius, quo tempore, vt ait Ouid.

*Iuppiter angusta vix totus stabat in æde,
Inq. Iouis dextra fictile fulmen erat.
Frondebis ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis:
Pascebatque suas ipse senator oues.*

Itaque cum meliora & pretiosiora non suppeterent, fictilibus vsum perhibent Numam in sacrificijs: quanquam fictilium vasorum tantam olim fuisse ait Plinius nobilitatem, vt in sacris etiam inter summas opes non myrrhinis cristallinisue, sed fictilibus libaretur simpuijs inenarrabili benignitate, propter quæ Numa rex septimum collegium figulorum institueret. vide Plinium lib. 35. capite duodecimo, & libro 33. capite 110. Hæc autem vasa Græci *αἰσθητὰ* appellabant, à *αἰσθητὸν*, id est sacrificio: hinc *αἰσθητῶν* sacerdotes, qui ijs utebantur.

Æra) Metonymia causæ pro effectu. Æra pro vasis æreis, materia pro re ex materia facta: & Synecdoche, materia pro materia & forma.

Saturnia) Quorum vsus fuit Saturno regnante, in illa aurea ætate, in qua, vt est apud Ouidium i. Fast.

Læuis argenti lamina crimen erat.

Vestalesque urnas) Id est vasa, quibus vestales virgines in sacrificijs Vestæ deæ à Numa institutis utebantur. Lactantius lib. 8. Fictile, inquit, vas est quoddam lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris deæ Vestæ, quia aqua ad sacra in terra non ponebatur: quod si factum esset, piaculum erat: vnde excogitatum est vas, quod stare non posset, sed si positum esset, statim funderetur. Hoc vas nonnulli Cadum, alij Scyphum nominarunt, illudque manibus teneri oportebat à famulis Vestalium, vel Flaminum ministris: sed de Vesta & Vestalibus dicemus suo loco.

Thuscum fictile) Fictilibus enim Thuscis nobilis fuit, vt sub finem primæ Satyræ monuimus, cum de Areto Thuscis oppido ageremus. Vnde est illud Martialis:

*Arretina nimis ne spernas vasa monemus,
Lautus erat Thuscis Porsena fictilibus.*

O curuæ) Exclamatio est per admirationem, qualis initio primæ Satyræ fuit:

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane!

Curuæ) Metaphora à rebus corporeis ad animum: sic Sat. 4.

— Verum dicernis vbi inter Cura subit.

Inanes) Metaphora à vasis, qualis fuit in primo r. Satyræ versu.
Quid iuuat) Refellitur populi opinio paulò antè hac similitudine explicata, vt homines, sic & dii humanis muneribus delectantur: cuius contradictio sic est intelligenda: non vt homines, sic & dii humanis muneribus delectantur: ratio antapodoseos sumitur ex deorum & hominum adiunctis, quæ inter se aduersa sunt: dii enim optimi sunt, & ab omni sceleris contagione liberi: homines verò scelerati, impuri, & ab omni vitiorum labe polluti. Sic Plautus in Rudente.

*Atque hoc in animum scelesti inducunt suum,
 Iouem se placare posse omnibus hostijs,
 Et operam & sumptum perdunt, atque id ideo
 Fit, quia nihil ei est acceptum à periuuris.*

Itaque ait in Alcibiade 2. Socrates: Athenienses, ferunt, cum contra Lacedæmonios bellum gererent, cum terra tum mari infortunatos fuisse, nec vnquam victores rediisse: qua re perturbati Athenienses, cum non haberent quæ arte tantam calamitatem declinarent, decreuerunt Ammonem consulere, quam ob causam dii Lacedæmonijs potius quam Atheniensibus victoriam largirentur, cum ipsi tamen sacrificia tum plura tum decentiora quam reliqui Græcorum offerrent, simula chris donisque templa sic ornantes, vt nemo alius, pompasq; quotaannis sumptuosissimas & venustissimas celebrarent, vt omni sumptu, qui ad rem diuinam spectat, cunctis Græcis magnificentiores existerent: cum Lacedæmonijs nulla istorum esset cura, adeò circa diuinum cultum parcis, vt animalia mutilata passim mactarent, & in alijs omnibus ceremonijs longè admodum parcioribus quam Athenienses. Posteaquam hæc dixisset nuncius, interrogans quo pacto à præsentis calamitate liberari possent, non multa ad hæc respondisse prophetam: Deum enim non permittere. accersito verò Atheniensium legato, in hunc modum fuisse locutum: Hæc dicit Ammon, placere magis Lacedæmoniorum sibi acclamationem, quam reliquorum Græcorum sacra omnia, nec plura ijs respondisse. Acclamationem verò prorsus nullam aliam Deus mihi dixisse videtur, quam illorum preces. Permultum enim illè à cæteris differunt. Reliqui namque Græci partim avaris cornibus boues sacrificantes, partim donarijs egregijs templa ornantes, quæcunque occurrunt siue bona siue mala à dijs petunt. Dijs verò cum illos imprecantes audiunt, dirissimas illorum pompas & sacrificia non acceptant, & paulò post: Nec enim eiusmodi est natura Dei, vt ducatur muneribus, quemadmodum improbus fœnerator.

Templis immittere) Id est ex nostris moribus & cupiditatibus humanis estimare ac metiri: & quæ nobis sceleratis & impuris placeant, eadem dijs optimis maximis grata iudicare.

Pulpa) Metonymia causæ pro effectu. Pulpa enim carnem sine ossibus propriè significat, vnde & pulpamentum: quæ quoniam comedentibus

comedentibus non mediocrem voluptatem affert, pro voluptate & cupiditate ponitur.

*Hæc sibi corrupto casiam dissoluit oliuo,
 Hæc calabrum coxit vitiato murice vellus,
 Hæc baccam conchæ rasisse, & stringere venas
 Feruentis massæ crudo de puluere iussit.
 Peccat, & hæc peccat, vitio tamen vititur: at vos
 Dicite pontifices, in sacro quid facit aurum?
 Nempe hoc, quòd Veneri donatæ à virgine puppæ.
 Quin damus id superis, de magna quod dare lance.
 Non possit magni Messalæ lippa propago?
 Compositum ius, fasq; animi sanctosque recessus
 Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
 Hoc cedo vt admoueam templis, & farre litabo.*

Hæc sibi) Prolepsis est: Occurrit enim his quæ tacitè contra proximam popularis opinionis refutationem obijci potuissent per collationem maiorum. Homines cupiunt splendide vestiri (aiunt plebeij) quanto magis igitur dijs? cuius antapodosis refellitur ex adiunctis dissimilitudine amplificatis: quòd etsi mulieres luxu vestium peccent, tamen commodum sit illis splendide vestiri, dijs autem plane inutile: Vnde Ouid. 3. Fast.

Pietas pro diuite grata est

Munere, non auidos Styx habet vna deos.

Hæc sibi) Protasis dissimilitudinis per species singulares amplificatur, vbi Romanarum mulierum in ornatu cultuque corporis luxuries perstringitur.

Casia) Cinnamomum & Casias fabulosa narravit antiquitas, princepsque Herodotus (ait Pl. n.) auium nidis, & priuatim Phoenicis, in quo situ Liber pater educatus esset, ex inuijs rupibus arboribusq; decuti, carnis quam ipsæ inferrent pondere, aut plumbatis sagittis. Item Casiam circa paludes propugnante vnguibus diro vespertilionum genere aligerisq; serpentibus: his commentis augentes rerum prætia. Vide 19. cap. lib. 12.

Oliuo) Id est vnguentis perfunditur, quæ (vt ait Plin. lib. 3. cap. 2.) in oleo optimè seruantur, quòd diuturnitati eorum tanto est vtilius quanto pinguius, vt ex amigdalibus Virgil.

Nec castia liquidj corrumpitur vsus oliui

Calabrum vellus) Lanam Tarentinam intelligit: Tarentum enim ciuitas Calabriae, ad quam oues lanam producebant optimam: vnde Varro pellibus eas affirmat tegi solitas, ne lana inquinaretur, & Plinius lib. 8. cap. 48. circa Tarentum & Canusium summam nobilitatem lanas habuisse scribit. Martialis:

Velleribus primis Apulia, Parma secundis

Nobilis; Alinum tertia laudat ouis.

Coxit) Id est coquendo tinxit & infecit. Primi autem Lydi lanas inficere docuerunt: auctor Plinius lib. 7. cap. 56. Virgilius Ecloga 4.

Discet mentiri lana colores.

Murice) De purpura & murice vide Plinium lib. 9. cap. 56.

Baccam rassis) Aliud luxuriae Romanae factum describitur. Baccae autem proprie dicuntur in arboribus, vt Lauro, Myrtho, olea: hinc propter similitudinem per metaphoram pro vnionibus vsurpantur: sic Virgilius I. Aeneidos:

Colloque monile

Baccatum gemmis.

Oriuntur autem vniones ex conchis, ijsque ita adhærescunt, vt vix euelli queant, vnde rassis dixit pro extraxisse. Hanc luxuriam grauius & acerbè reprehendit Plin. lib. 9. cap. 35. Parum scilicet (ait) fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore à foeminis iuxta virisque gestarentur. Margaritas enim seu vniones (vt idem eodem ait capite Plinius) digitis suspendere binos ac ternos auribus foeminarum gloria est, affectantque iam & pauperes lictorum foeminae in publico vnionem esse dictitantes: quin & pedibus nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis focculis addunt. Caeterum vbi reperiantur, & quomodo nascantur, vide eodem cap.

Stringere venas) Venae proprie in animantium corpore dicuntur, per quas sanguis veniat. Cicero 2. de Natura deorum: Sanguis per venas in omne corpus diffunditur, vt spiritus per arterias. Hinc in terra venae per Metaphoram dicuntur subterranei meatus. Cicero ibidem: Adde etiam reconditas auri in Romanis luxuriam, quae tanta fuit (ait Plin. lib. 33. cap. 3.) vt M. Bruti in campis Philippicis epistolae reperiantur, frementes fibulas tribunitias ex auro geri. At Hercules, idem tu Brute mulierum pedibus aurum gestari tacuisti: cuius sceleris nos coarguimus illum primum, qui auro dignitatem per annulos fecit: aurum enim habebant (ait idem Plinius) in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrebant catenae circa latera, & incerta margaritarum pondera è collo dominarum auro pendebant: vt aurea verisimè ea dici potuerint secula, in quibus tam profusus esset auri vsus. Hanc auri luxuriam, & è venis eruendi consuetudinem notat Ouid. lib. 3. Amorum, Elegia 7.

At cum

At cum regna caeli senex Saturnus haberet,

Omne lucrum tenebris alta premebat humus.

Aeraque est argentum, cumque auro pondera ferri,

Manibus admorat, nullaque massa fuit.

Eruius terra solidum pro frugibus aurum,

Posidat inuentas sanguine miles opes.

Idem quarto Baetorum:

Eserat in pretio, Chalybis iamondis placebat,

Heu! heu! perpetuo debuit illi regi.

Et primo Metamorphoseon:

Effodiuntur opes, irrikamenta malorum.

Peccat) Responso ad proximam obiectionem per dissimilitudinem, cuius Protasis communicatione & epizeuxi exornatur.

At vos) Antapodosis dissimilitudinis per Apostrophen ad sacerdotes.

Pontifices) Qui à Plutarcho in Numae *πεποποποιοι* dicuntur. Hos numero quatuor Numae Pompilius secundus rex constituit primum ex patrio ordine: quibus postea, cum plebis potestas creuisset, quatuor alij additi ex plebe, M. Valerio, & Q. Apuleio Coss. Inter quos qui minores appellabantur, vnus erat maximus & resti nomine. Hic sacra omnia exscripta habebat & obsignata, hostias, dies, ad quae tempora res diuina esset faciendae, caetera denique sacra cum publica tum priuata: Pontificis vero maximi electio ad ipsos pertinebat pontifices, qui iudex & vindex contumaciae priuatorum magistratum erat. Maiorum vero pontificum maximus is dicebatur, qui primus in id collegium venerat, & minimus, qui nouissimus. Pontifex vero vnde dictus sit, variè traditur. Plurimum à ponte faciendae, in primis que publicio, quibus & Graeca vox *πεποποποιοι* consentit, ait Varro). Scruola vero, quem plerique sequuntur, à posse & faciendae pontificem deducit: de quo vide Fenestellam in Sacerdotibus Romanis, cap. 8. & Pomponium Laetum Gellium lib. 16. cap. 4. Dionysium Halicarnassæum lib. 2.

Sacro) Metonymia adiuncti pro subiecto, sacrum pro templo sacro. Sic antea:

Ad sacra ratum &c.

Nempe hoc) Subiectio est ad proximam interrogationem, quae proxima antapodoseos confirmationem continet ex paribus, non plus prodest aurum in templis, quam puppae Veneri à virgine donatae.

Puppae) Nupturae virgines suas puppas Veneri, vt felix faustumque esset matrimonium, consecrabant: vt & pueri virilem togam sumpturi, bullas Laribus. Vnde est illud Persij Sat. 5.

Cum primum pauide exstos mihi purpura cessit,

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Quin damus) Quenam grata dijs sint munera; & quid illis offeren-

dum sit postremo docet Petrus ex collatione dissimilium: Offerenda sunt dijs munera, non qualia solet vulgus, aut qualia Messalæ filius & impropbissimus quisque (si modò diues) offerre possit, vt vasa, tabulas, vestes: sed candorem animi sanctasque cogitationes. Cicero 2. de Legib. Pietas grata est deo, sumptus remouendus: quid enim est, cur paupertatem deorum aditu arceamus, præsertim cum deo nihil minus gratum futurum sit, quàm non omnibus patere ad se placandum colendumque viam Numæ Pompilij? Horat. 3. Carm. Od. 23.

Te nihil attinet

Tentare multa cæde bidentium

Paruos coronantem marino

Rore deos, fragilique myrtho.

Immunis aram si terigit manus,

Non sumptuosa blandior hostia

Mollibit auersos penates,

Farre pio, & saliente mica.

Socrates in Alcibiade 2. Etenim graue esset, si deus ad donaria & sacrificia nostra respiceret potius quàm ad animum, vtrum iustus sanctusque sit: ad quem equidem arbitror Deum magis attendere quàm ad multi sumptus pompas atque sacra, quæ nihil prohibent eum qui multa in Deum hominesque peccauerit, siue priuatus sit, siue magistratum gerat, singulis annis perficere. Deus autem incorruptus est muneribus, spernit hæc omnia, vt ipse & eius Propheta prædixit.

Lance) Lanx vas latum est & profundum, minus excauatum quàm patinæ, vas scilicet æscarium, in quo caro tam tosta, quàm elixa conditur, mensæque inferitur: Cic. 6. ad Atticum. Lancibus & splendissimis canistris non olusculis nos soles pascere. Plautus in Amphit.

Interea dum isti certant, in popinam diuertendum

Est mihi, lances detergam, omnes scyphos hauriam.

Plin. lib. 33. Lances suo tempore è centenis libris argenti super quingentas numero fuisse ait. Doletus de Re nauali.

Lippa) Metaphora à corpore ad animum: vitium quippe corporis pro animi vitio: idem 1. Satyra:

Hos pueris monitus patres infundere lippos

Cum videas.

Propago) Metaphora à vitibus. Cicero in Catone maiore: Malleoli, plantæ, sarmenta, vites, propagines, nonne ea efficiunt, vt quemuis cum admiratione delectent?

Messalæ) Messalæ oratoris clarissimi filium intelligit, qui à paterna virtute degenerauit.

Compositum) Antapodosis dissimilitudinis, cuius sententiam mirificè laudat Lactant. lib. de Vero cultu, cap. 20.

Recessus) Metaphora à latibulis: sic Cicero: Cum in animis hominum tantæ latebræ sint tanti que recessus.

Incoctum

Incoctum) Id est, purum & defecatum: Metaphora sumpta ab his rebus quæ igne purgantur. In, enim sæpe significationem auget: vnde Virg. 3. Georg. *Vellera (ait) incocta Tyrios rubores.*

Hoc cedo) Amplificatio proximæ antapodoseos ex effectis pietatis & religionis, quod qui ea munera dijs offerrent, litaturi sint, id est, à dijs quod petierint impetraturi. Litare enim ritè sacrificare est & impetrare. Plin. lib. 7. de Vitulo. Quamobrem, inquit, victimarum probatio in vitulo vt articulum suffraginis contingat breuiore non litat. Suetonius in Cæsare: Deum, pluribus hostijs cæsis, cum litare non posset, intravit curiam, spreta religione. Virg. 4. Æneid.

— Sacrisque litatis

Indulge hospitio.

Martialis: *Non quæcunque cadit hostia cæsa litat.*

Farre) Hic collationis maiorum vis quædam est: significat enim, se, si modò pietas vera religioque adfuerit, non modò magnis muneribus & sacrificijs, sed etiam leuissimo munere aliquo, vt farre, deos placaturum. Veteres enim ante repertam sacrificandi rationem per animantium sanguinem & extortum cremationem farre pio & saliente mica deos placabant: vnde Ouidius 1. Fast.

Ante deos homini quod conciliare valeret,

Far erat, & puri lucida mica salis.

Nondum pertulerat lacrymatas tortice Myrrhas

Acta per æquoreas hospita nauis aquas.

Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Ara dabat fumos, herbis contenta sabinis,

Et non exiguo laurus adusta sono.

Si quis erat factis prati de flore coronis,

Qui posset violas addere, diues erat.

Hic qui nunc aperit percussi viscera tauri,

In sacris multum culter habebat opus.

Prima Ceres, &c.

Vide Plinium lib. 18. cap. 3. de Vsu farris in sacris. Statius 1. Syluar.

Sæpe dijs bos inter hongres

Cesses & exiguo placuerunt farræ salino.

Finis Satyræ secundæ.

ANTONII FOVELINI

VEROMANDVI

in tertiam Persij Satyram

COMMENTARIIS.



TERTIÆ Satyræ duo sunt præcipua capita, ad que tota disputatio commodè referri possit. Prius iuuenilis inertie, & alienæ à Philosophia bonarumq; artium studia voluntatis reprehensionem continet. Posterius vero ad philosophiam bonas, que artes cohortationem: ubi monitor, quidam & libidinofus adolescens, voluptatumque cupiditatibus diffluens per dialogismum loquentes inducuntur. Ab hoc iuuenilis inertia, libido, mollities, pronusque ad omne vitium animus mirifice pingitur: ab illo iuuenilis inertie, mollitiei, libidinisque coercendæ, & voluntatis ad philosophiæ virtutisque studium inflammandæ ratio demonstratur. Qua in disputatione ne parum serio philosophari nostris hominibus videamur, verendum esse mihi non puto. Illis enim vnum annum integram in barbaris barbarorum hominum in Logicam, Ethicam, Physicam introductionibus traducere liceat, mihi discipulorum meorum animos hac vna Persiani monitoris oratione iuuenilibus (quibus hæc ætas abundante solet) cupiditatibus perpurgare, & ad honestos philosophiæ fatus excipiendos præparare non concedatur!

O seculum insipiens & infacetum!

*N*Empe hoc assidue, iam clarum mane fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas.
Sertimus, indomitum quod despumare falernum
Sufficiat: quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Iamdudum coquit, & patula pecus omne sub vlmo est.
Vnus ait comitum, verumne? itane? ocyus adsit,
Huc aliquis. nemon? turgescit vitrea bilis,
Fmditur, Arcadiæ pecuaria rudere dicas.

Nempe

Nempe hoc) Primum huius Satyræ caput prudenter & consulte aggreditur Monitor, id est, iuuenilis inertie & mollitiei reprehensionem & obiurgationem. Quemadmodum enim in agris prius arandum, pascendum, eruncinanda herba, remouendi lapides, noxia denique satis omnia remouenda, quam semina terræ mandentur: sic ex animis hominum extrahenda prius stirpatis vitia, detrahendæ cupiditates, eijciendæ libidines, quam illis honesti virtutis fatus committantur. Incipit igitur Monitor à iuuenilium cupiditatum libidinumque reprehensione, ac primum somnus atque sopor in adolescentibus reprehenditur ex adiunctis, quia sit assiduus, & in multam diem: adolescentes enim ut plurimum profundissimos somnos ducunt propter humoris in cerebro copiam: quantum septem horas puero dormire sat esse ait Quintilianus lib. 1.

Assidue) Huius dictionis etymologiam explicat Cicero in Topicis in coniugatorum loco ex Elij sententia: locuples enim (ait) assiduus dictus est, ab asse dando: hinc aduerbium assidue.

Mane) Metonymia est subiecti pro adiuncto: mane enim siue tempus matutinum pro Solis lumine & splendore ponitur, subiectum quippe pro adiuncto: quo loco mane aduerbium pro nomine positum notant Grammatici, ut apud Virgilium:

Mane nouum, &c.

Sertimus) Verba sunt adolescentis, soporetti sum ex partium collatione defendentis, tantum dormimus, quantum ad concoquendum & conficiendum in stomacho cibum satis esse possit.

Indomitum) Metaphora à belluis. Domare enim proprie cicurare est, unde Messapus equum domitor apud Virg. 9. Æneid. appellatur: hinc indomitus is dicitur, qui domari & cicurari nequit. Per metaphoram autem indomitum falernum dicitur vinum merum, non limphatum, ut apud Virgiliuth:

Durum Bacchæ indomitumque falernum.

Despumare) Metaphora à musto seu recenti vino, quod dum excoquitur, spumas agit: Lucanus:

Indomitum mero cogens spumare falernum.

Falernum) Synecdoche est speciei pro genere. Falernum enim vinum ponitur pro quolibet vino: Est autem Falernum vinum præstantissimum & nobilissimum in Campania, ut ait Plin. lib. 14. cap. 6. nec in nouitate, nec in nimia vetustate corpori salubre, ut idem ait Plinius lib. 23. cap. 2. cuius ætas media à 15. anno incipit, hoc nõ in frigido potu stomacho vtile, non item in calido & in diutissima tussi à ieiunis sorbetur, item in quartanis. Huius autem nominis, Falernum, duplex ratio à Grammaticis redditur: alij enim ab agricola, qui eas primum vites excoluit, ex quibus colligitur Falernum, metonymicos dictum putant, inuentorem pro re inuenta. Alij verò ab agro Falerno, in quo nascitur, quem describit Plinius libro decimo quar-

to capite sexto, vt sit metonymia subiecti pro adiuncto: sic Martialis ad Tuccam:

Scelus est iugulare Ealernum,

Et dare Campanis toxica mixta calis.

Quinta dum linea) Periphrasis est horæ quintæ, quæ (vt ait Ouidius lib. 1. Amor. Eleg. 1.)

Pueros somno fraudat, traditque magistris

Vt subeant teneræ verbera sæua manus.

Eadem hora apud Romanos labori & negotijs transigendis destinata fuit, vt docet Martialis in horarum Romanar. descriptione lib. 4.

Prima salutantes atque altera continet hora,

Exercet raucos tertia cauidicos,

In quintam varios extendit Roma labores,

Sexta quies lassis, septima finis erit.

Itaque per lineam quintam intellige horam, quæ significabatur in solario, cum gnomon quintæ lineæ vmbra faciebat: veteres enim ad horarum rationem hemicyclea concha vsi sunt lineis debita proportione distinctis, quibus prælongus ex ære vel ligno baculus Soli oppositus supereminebat, cuius vmbra in lineas incidens, horas indicabat. quæ horarum obseruandarum ratio Romæ in vsu esse cœpit, bello Punico primo, M. Valerio Messala consule, Catina capta in Sicilia, ex qua huiusmodi solarium primum allatum esse nonnulli existimant, cum prius ortus tantum & occasus ratio haberetur: paulo etiam post meridiei, vt author Plin. lib. 7. cap. 60. Hanc autem vmbra- rum rationem, quam vocant gnomonicam, Plin. lib. 2. cap. 76. ab Anaximene Milesio Anaximandri discipulo, Diogenes verò Laertius ab ipso Anaximandro inuentam esse ait: quanquam solarij cuiusdam Sacræ meminerunt literæ, in Ezechisæ regis morte, quod tempus annis ferè ducentis antè vtriusque tempora fuit. De horarum & horologiorum ratione vide Cælium Rhodiginum lib. 12. cap. 9.

En quid) Regreditur ad institutam immoderati soporis reprehensionem Monitor. Argumentum item est ex adiunctis temporis, quia fit meridies, quo tempore fit summus Solis æstus, ideoque tum pecudes (vt est apud Virg. Eclog. 2.)

Vmbra & frigora captant.

Similis est obiurgatio apud Horatium lib. 1. epist. 2.

Nos numerus sumus & fruges consumere nati

Sponsi Penelopes, nebulones Alcioni que:

In cute curanda plus æquo operata iuuentus,

Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &

Ad strepitum citbaræ cessatum ducere curam.

Canicula) Canicula sydus est cœleste, quod aliud Latinum nomen non habet (ait Plinius lib. 18. capite 28.) Græcis Procyon dicitur. Cicero in Arato:

Anticanis

Anticanis procyon Graio qui nomine fertur.

Oritur autem circiter idus Iulij, cuius exortu Solis vapores accenduntur, feruent maria, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna, vt idem ait Plin. lib. 2. cap. 40. vnde sitiens appellatur ab Ouid. 2. Artis, quia suo calore & æstu sitim moueat:

Ne graue te tempus sitiensque canicula tardet.

Caniculam autem idcirco sydus appellari putant: quia canes eo fulgente sæpe in rabiem agantur.

Insana) Metonymia est, effectus pro causa. Insana enim Canicula dicitur ex effectis, quia homines insanos reddat: hæc enim infinita morborum genera parit: vnde Homerus:

Λαμπεσται & ἢ ὄγ' ἔστι, κακὸν δ' τε Σῆμα τελέεται

Καί τε φέρει πόλλον πῦρε τὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.

Id est: Splendidissimus autem hic est; malum autem signum factum est, & fert multam febrem miseris mortalibus. Horatius 1. Carm. Od. 17.

Hinc in reducta valle caniculæ

Vitabis æstus.

Idem libro tertio Carm. Od. 29.

Iam Procyon furit

Et stella vesani leonis

Sole dies referente siccos,

Iam pastor vmbra cum grege languido

Riuumque fessas querit, & horridi

Dumetæ Syluani, carei que

Ripa vagis taciturna ventis.

Messes) Metonymia quarti generis, messis pro frugibus, quarum adiunctum quoddam est: sic Virg. 1. Georgic.

Illius immensa ruperunt horrea messes.

Coquit) Id est vrit: nam (vt ait Ouidius quarto Pastorum) post Caniculæ ortum:

Tota sitit tellus, præripiturque seges.

Et patula) Aliud adiunctum meridiei, qualis est apud Virg. Eclog. 2.

Nunc etiam pecudes vmbra & frigora captant,

Nunc virides etiam occultant spineta lacertos:

Testylis & rapido fessis messoribus æstu,

Allia, Serpillumque herbas contundit olenteis,

Sole sub ardenti resonant arbuta cicadis.

Vlmo patula) De vlmo eiusque generibus vide Plin. lib. 16. cap. 17. Patula autem dicitur, quia protentis brachijs & ramis cum frondibus vmbra facit. Sic Virg. Eclog. 1.

Patule recubans sub tegmine fagi.

Comitum) Id est, pædagogorum, qui inter Comites à Iurisperitis nominantur: nec enim Comes perpetuam (ait Valla) habet ad principem rationem, vt in illo Syllanæ defensionis exemplo. Nec enim

princeps tunc ad salutem esse potuisset, si esse alij comites noluis-
sent: sed aliquando etiam comes pro ipso principe ductore, quem cæ-
teri sequuntur, vsurpatur, vt hic: & apud Virgilium 2. Æneid. cum de
Penatibus dijs loquens ait Hector:

Hos cape fatorum comites.

Ocyus adfit) Experges factus magistri voce mollis adolescens, seruos
tandem in clamat, quos vbi satis præsto (vt animi libido ferr) sibi a-
desse non videt, discruciatûr animi, a deo, scilicet adolescentiæ animus
procliuis est ad libidinem, vt quicquid in mentem venerit, id in ipso
temporis articulo perfici velit.

Turgescit) Verba sunt poetæ Persij, quibus iuuenilis libido & in-
continentia ex adiunctis parium collatione illustratis mirificè de-
pingitur: adolescens vt neminem vocanti adesse videt sibi, ira æstuan-
s tanta tanquæ intentâ quæribundaq; voce seruos in clamat, vt credas
asellum rudere, qui (vt ait Quidius i. Fast.)

Rudens rauco Sileni vector, asellus,

Intempestiuos edit ab ore sonos.

Turgescit vitrea bilis) Quæ pueris & adolescentibus infesta est, vn-
de est illud Horatij in Arte, de puero:

Gestit paribus colludere, & iram

Colligit & ponit temere, & mutatur in horas.

Terentius in Hecyra:

Pueri inter se quam pro leuibus noxiis iras gerunt!

Quapropter: quia enim qui eos gubernant animum infirmum gerunt.

Bilis autem quid sit, quotquæ eius genera, antea dictum est, quam
nonnulli hoc loco vitream à colore dici putant, quia sit lucida vt vi-
trum, vnde splendida ab Horatio appelletur i. Serm. Sat. 3. Alij ve-
rò vitream bilem interpretantur inflatam & turgidam, quia præcef-
sit verbum (turgescit) tu vtramuis sequere interpretationem.

Finditur) Hyperbolica est à ligno Metaphora, id est, discruciatûr.

Arcadiæ pecuaria) Asinorum periphraſis ex subiectis. Arcadia e-
nim abundata asinis propter pascuorum fertilitatem (ait Strabo, &
Plinius lib. 8. cap. 43.) Est autem Arcadia in medio Peloponnesi sita,
sic dicta, ab Arcade Iouis & Calistoni filio, cum multis alijs antea no-
minibus esset dicta, de quibus vide Strab. lib. 8.

Iam liber & bicolor positis membrana capillis,

Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.

Tum querimur, crassus calamo quod pendeat humor,

Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.

Dilutas querimur gemmet quod fistula guttas.

O miser

*O miser, inque dies ultra miser: buccine rerum
Venimus? aut cur non potius teneroq; columbo,
Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis? & iratus mammæ lallare recusas?*

Iam liber) Alia iuuenilis libidinis effecta describuntur: adolescens
enim composito corpore ad studium literarum accingitur, repenteq;
ab illis animum remittit, & varias prætexit incontinentiæ suæ ratio-
nes ex adiunctis calami, chartæ & atramenti.

Liber) Liber de arboris cortice propriè dicitur. Ouid. i. Metamor.
de Daphne in Laurum mutata:

Torpor grauis occupat artus,

Mollia cinguntur tenui præcordia libro.

Quoniam autem ante repertum chartæ & papyri vsum in huius-
cemodi corticibus veteres scribebant, liber metaphoricòs pro char-
ta vsurpatur.

Membrana bicolor) Qua liber inuoluitur, quæ bicolor ex veterum
more & instituto dicitur: solebant enim membranas varijs coloribus
inficere, maxime purpureo, quem Græci Encharisticon vocant (ait
Herodianus) vnde est illud apud Tibullum:

Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.

Et Iuuenalis Satyra quinta:

Crocea membrana tabellæ.

Chartæ) Initio veteres in palmarum folijs, tum in arborum corti-
cibus atque libris, postremò in chartis & membranis scripserunt: illæ
in Alexandria (vt author Varro) post Alexandri de Dario victoriam,
hæ Pergami repertæ sunt, supprimente chartarum vsum Ptolemæo.

Venit arundo) Hoc item ex veterum consuetudine traductum est,
qui arundine pingebant, vt & adhuc Iudæi hodie facere dicuntur,
Græci, Pœni, atque ex Latinis qui sunt antiquitatis studiosi. Est igitur
Metaph. per similitudinem enim arundo pro calamo & stylo v-
surpatur. Virg. 6. Eclog.

Tenui meditabor arundine musam.

Nodosa autem appellatur item per Metaphoram, quia multis geni-
culis tanquam internodijs distinguitur. Plinius lib. 16. capite trigesi-
mo sexto in arundine gracilitas inest, nodis distincta, leni fastigio te-
neatur in agmine.

Tum querimur) Obliqua libidinosi adolescentis profopocia, va-
nas excusationes incontinentiæ suæ prætexentis, vt antè dictum est.

Calamo) Calamus in segetibus propriè dicitur: hinc per Meta-
phoram pro penna, qua veteres in charta plurimum vsi sunt, stylo ve-
rò in cera.

Sepia) Metonymia causæ pro effectu: *Sepia* enim piscis est (ait Plinius lib. 9. cap. 29.) qui ubi lenfit à piscatoribus se apprehendi, effuso atramento (quod illi est pro sanguine) aquam turbat, sicque absconditur. ponitur autem pro ipso atramento, quod ex eo fit, cuius tanta vis est (ait idem Plinius libro trigésimo secundo, cap. decimo) ut eo in lucerna addito, Æthiopas videri, ablato priore lumine, Anaxilaus tradat.

Fistula) Metaphora à canalibus plumbeis vel lapideis meatibus, per quos aqua fluit, qui propriè fistulæ dicuntur. Cicero pro Rabirio perduellionis reo. C. Marius fistulas, quibus aqua suppeditabatur, Iouis optimi maximi templis ac sedibus præcidi imperat: hinc propter similitudinem pro calamo, quo atramentum effunditur, usurpatur, ubi animaduerte rem vnam & eandem tribus metaphoris expressam: arundo, calamus, fistula.

O miser) Monitoris in iuuenilem inertiam mollitiemque exclamatio ex adiunctis minorum collatione amplificatis, quod sit miser, aptior potiendis & perfruendis cupiditatibus, quam philosophiæ studiis,

Miser) Epanodos, id est, regressio ad idem verbum iterandum.

Aut cur non potius) Protasis collationis minorum similibus illustrata, quod sit voluptuosus ut sunt columbi, qui natura sua molles sunt & libidinosi, ut principum liberi, qui cibos expetitos respuunt, & cuncta pro sua libidine geri cupiunt. Antapodosis ex quæstione intelligenda est.

Teneroq; columbo) In columbis singularis est pudicitia, nec illis vlla nota sunt adulteria (ut scribit Plin. lib. 10. cap. 34.) eadem tamen natura sunt præditi qua perdices, ut idem ait, id est lasciuia & salacia: unde aves Veneris à Virg. 6. Æneid. appellantur, currumque Veneris agere finguntur, ut apud Apuleium Asini aurei lib. 6. & Ouid. 1. Amorum Elegia 2.

Pappare) Pappare & Lallare voces sunt infantum, quibus illiterno balbutienti que ore parentibus solent arridere, mammas, lac, cætera que eiusmodi petere. hoc autem loco exprimere voluit Perseus puerilem incontinentiam: puer enim, ut ait Horat. in Arte:

Cupidus & amata relinquere perdidit.

*An tali studeam calamo? cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur, effluis amens,
Contemnere, sonat vitium percussa, malignè
Respondet viridi non coëta fidelia limo:
Vdum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingen-*

*Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum, & sine labe salinum.
Quid metuas? cultrixque foci securâ patella:
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmata quod Thuscoramum millefime ducis,
Censorumve tuum, vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui.*

An tali) Inertiæ suæ culpam in calamum transfert libidinosus adolescens ex effectis calami, quia (ut ex superioribus repetendum est) dilutas guttas geminet, quam inertiam excusationem ridens Horat. ait 1. Serm. Sat. 3.

Culpantur frustra calami.

Cui verba) Adolescentis excusatio reprehenditur ex dissimilibus: quod adolescens huiusmodi excusationibus non magistro, qui eum in officio continere vult, sed sibi ipsi verba det: protasis præcedit.

Ambages) Metaphora est à fluminibus, quæ propriè varias ambages habere dicuntur, id est, flexus & meandros, ut apud Claudian.

Æquoris ambages Atlantibusque recessus.

Et Virgilius de Labiryntho 6. Æneidos:

Tecti ambagesq; resoluit

Cæca regens filo vestigia.

Hinc pro verborum circuitu per Metaphoram sumitur, qualis in velandis & excusandis criminibus, vel ad fallendum & decipiendum adhiberi solet. Liuius 9. ab Vrbe condita: Et vix pueris dignas ambages senes & consulares fallendæ fidei exquirere. Item lib. 2. Per ambages tegens ingenij sui effigiem.

Tibi luditur) Antapodosis dissimilitudinis, quasi diceret:

Δέδωκε μορον ἄρετα πρὸς αἴσου.

Magnoperè stultum metuo pyraustæ exitum.

Nam (ut hunc citans ab Æschylo senarium Zenodotus ait) Pyrausta insectum est, quod lucernis aduolat, atque ita exustis alis sui ipsius causa est interitus: unde proverbum, Pyraustæ interitus. in eos vsurpatur, qui sibi malum aliquod procurant.

Effluis) Confirmatio proximæ antapodoseos ex effectis: teipsum fallis, qui tempus inutiliter traducis: ubi metaphora est ab aquis.

Contemnere) Altera reprehensionis ratio ex ipsius inertiam factis, propter quâ sit omnibus contemptui futurus. sic Horat. 2. Serm. Sat. 3.

Contemnere miser, vitanda est improba Syrem.

Desidia.

Sonat vitium) Confirmatio proximi argumenti ex similibus: syllogismus primi generis tertij modi.

Fictilia quæ percussa vitium sonant & rimas indicant, contemnuntur.

Tu es tanquam fictile vas quoddam, quod sono, id est oratione, vitium & rimas, id est inertiam & molliem prodis:

Contemnere igitur.

Sonat vitium) Propositio syllogismi.

Vdum & molle lutum) Assumptio est syllogismi. *At tu es tanquam vas fictile, qui sono, id est, oratione tuam ignorantiam prodis:* vnde est illud Socratis folers dictum, qui cum adolescentem vidisset diutius tacentem: Dic (inquit Socrates) adolescens aliquid: sic enim hominem voce ut figulina vasa sono pernoscamus. Et Plato sæpe pueritiam luto comparat: ut enim lutum quamlibet formam suscipere potest, in eaque figulus quamlibet speciem imprimere, sic in puero magister. Horatius de figulo:

Et argilla quiduis imitabitur vda

Nunc nunc) Complexio syllogismi per cohortationem ad studium virtutis, ubi Epizeuxis est in repetitione huius dictionis (Nunc) in eadem parte sententiæ, & allegoria à figulis, qui rota vasa sua fingunt.

Sed rure paterno) Prolepsis est: occupat enim Monitor quod fortasse obiecturus erat discipulus, nihil scilicet esse quod tanto studio literis incumbat. argumentum est ex adiunctis, quia sit diues & locuples.

Far) Synecdoche est, species frumenti pro genere. Far enim species frumenti est, quod veteres ad oreum appellauere, primusque in Latio cibus fuit, de cuius vsu in sacrificijs antè dictum est in fine 2. Satyræ. Cætera vide apud Plin. lib. 18. cap. 8.

Salinum) Synecdoche iam altera hic est. ex particula enim suppellectilis nitidam domi esse cultamque suppellectilem significat. Est enim salinum vas, quo sal ad mensæ & sacrificiorum vsum imponitur: sic Horat. 2. Carm. Ode. 16.

Cui paternum

Splendet in mensa tenui salinum.

Quid metuas) Ironicòs ista pronuntianda sunt, quasi extra omnem fortunæ aleam positus.

Cultrixque voci) Metonymia subiecti pro adiuncto. Focus enim pro Penatibus ponitur, subiectum pro adiuncto. nec enim focus colebatur, sed dii Penates, quibus foci sacri erant, ut & dii omnibus terrestribus. nam (ut ait Porphyrius philosophus) veteres aras atque templa cœlestibus statuebant: Chthonis verò seu terrestribus dijs & heroibus escaras, id est focos: subterraneis autem, id est, hypochthon-

ochthonijs dijs, fossas, scrobesque, quæ à Græcis dicuntur *μύραες*, mundo, & Nymphis, cæterisque huiusmodi antra dicuntur.

Secura patella) Metonymia effectus pro causa: patella enim securæ ex effectis dicitur, quia homines securos reddat, ut paulò antè insana canicula, quæ homines insanos faciat.

Hoc fatis) Refutatio proximæ prolepsos ex dissimilibus. Quamuis sis diues & nobilis, tamen inde superbire non debes, & studia literarum contemnere Antapodosis præcedit.

An deceat) Antapodosis dissimilitudinis, non debes superbire.

Pulmonem) De quo initio primæ Satyræ.

Stemmata) Protasis dissimilitudinis, cuius sententiam Iuuenalis persecutus est tota 8. Satyra:

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo

Ordine censer, pictosque ostendere vultus

Maiorum, & stantes in curribus Emilianos?

Et paulò post:

Tota licet veteres oxorment vndique ceræ

Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus.

Est autem Stemma propriè corona ex varijs floribus contexta, à verbo *στέφω*, id est coronare: hinc per Metaphoram pro statuis & imaginibus ponitur, quod ut corona florenti, sic & suis suorumque maiorum imaginibus homines honestentur. Nam ut est apud Plinium libro trigésimo quinto, capite secundo, expressi cera vultus singulis disponebantur armarijs, ut essent imagines quæ comitarentur gentilia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vnamquam fuerat, populus.

Thulisco) Thulci rerum gestarum gloria florentes olim in Italia populi, quibus imperauit Porfenna, sic dicti (ut Pompeio placet) à Thulisco Herculis filio.

Ramum millefina) Allegoria à stirpibus & arboribus.

Censorem) Censor magister morum Romæ fuit, & censoria potestas pudoris & modestiæ magistra, de qua vide Ciceronem ad extremum libri tertij de Legibus: Fenestellam cap. 17. & Pomponium Latium capite vigésimo primo.

Trabeate) Significat in adolescente nobilitatem generis ex adiunctis: Trabea enim fuit nobilium, qua reges olim vsi sunt. Primus autem apud Romanos Romulus. Vnde Ouidius primo Fastorum de Romulo:

Ipse quirinali lituo paruaque sedebat

Succinctus trabea.

Vnde trabeatus Quirinus ibidem:

Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini.

Est autem Trabea purpuræ species, de qua vide Plin. lib. 8. cap. 48. & lib. 9. capite 39.

Ad populum phaleras) Eludit adolescentem Monitor libidini suæ velificantem, animique sordes & maculas splendidiore corporis cultu tegentem: argumentum est ex dissimili. Quod externis illis corporis ornamentis populo & multitudini imperitæ imponi possit, quæ virtutem animi corporis splendore metiatur, sibi vero nõ possit,

Ad populum) Qui (ait Horatius.)

Fame seruit ineptus,

Qui stupet in titulis & imaginibus.

Phaleras) Metaphora est ab equis: sunt enim phaleræ equorum ornamenta. vnde Suidas:

φάλαρα τὰς περὶ τὸ πῖδος καὶ τὴν κόρην αἰν καὶ τὸ μέτωπον ἡδ' ἴσταν, &c.

Iuuenalis Satyra secunda:

*Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus.*

Hinc quia mangones sæpe mercatorum oculos phalarum ornamentis perstringunt, & pro valentibus & generosis ignavos & infirmos equos vendunt: phaleras pro simulatione & exteriori vestitu boni speciem aliquam referente usurpamus: sic phaleratum eum dicimus, qui (vt est apud Horatium)

Introrsum turpis speciosus pelle decora est.

Qualem significat esse discipulum suum Monitor.

Ego te intus) Antapodosis dissimilitudinis: mihi non potes generis aut vestitus splendore imponere, quia te noui intus & in cute, id est, animi tui mores planè perspexi: vide Erasimum in prouerbio, *latus & in cute.*

*Non pudet ad morem discincti viuere Natta?
Sed stupet hic vitio, & fibris increuit opimum
Pingue, caret culpa, nescit quid perdat: & alto
Demersus, summa rursus non bullit in vnda,
Magne pater diuim seuos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Mouerit ingenium feruenti tineta veneno,
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra iuueni,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis,*

Purpu-

*Purpureas subter ceruices terruit? imus,
Imus præcipites, quam si sibi dicat, & intus
Palleat infelix. quod proxima nesciat vxor?*

Non pudet) Altera reprehensio est iuuenilis libidinis & mollitiei ex similibus collatione. Viuis sceleratè vt Natta, qui flagitiosissimus fuit homo, cuius impuritatem notat Horatius hoc carmine:

Vngor olimo,

Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

Legitur autem in quibusdam codicibus Naccæ.

Discincti) id est dissoluti. Metaphora à vestibus. Ouid. i. Metam.

Et velate caput cinctasque resoluite vestes.

Sed stupet) Correctio quædam est proximæ dissimilitudinis per comparisonem minorum, quod Natta minus sit reprehendendus quam iuuenes Romani: protasis ex efficiente causa adiunctis declarata demonstratur, hoc modo. Quamquam minus arguendus Natta, quam nostri adolescentes, quia Natta ignorantia peccat: est enim ventre obeso, qui parum subtilem mentem parit, vt i. Satyra dictum est ad illum locum:

Pinguis aqualiculus protenso sesquipede extet.

Sed stupet) Metaphora est ab his qui Apoplexia laborant, quos Græci ἐμπερονήτους vocant (ait Aphrodisæus).

Et fibris increuit) Id est, ventre est obeso, quo modo, qui affecti sunt, (vt antè diximus i. Sat. ex Plinio) parum ingeniosi esse solent.

Vacat culpa) Nam (vt ait Ouid. in epist.

Præterite veniam dabit ignorantia culpæ.

Seneca *Iners malorum remedium ignorantia est.*

Iuuenalis Satyra decima tertia:

Patitur penas peccandi sola voluntas.

Demersus) Allegoria ab his qui in profundissimis demersi sunt aquis: vt enim illinc emergere vix possunt, sic qui longa consuetudine vitij & nequitie habitum sibi pepererunt, vix se ad bonam frugem queunt recipere: quamquam huic malo mederi conatur Horatius lib. i. Epist. ad Mecænatem, cum ait:

Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit,

Si modo cultura patientem accommodet aurem.

Magne pater diuim) Digressio breuis in virtutis laudem, vbi *ἄλδοξον* illud stoicum, quod virtus sit summum bonum, breuiter attingitur ex priuantibus, quia eius desiderium sit miserrimum, eaque carere sit infelicitissimum.

Magne) Apoptrophe ad Iouem per imprecationem & exclamationem.

Pater diuim) Periphrasis Iouis, qui est ait Iuno 1. *Eneid.*

Diuim pater atque hominum rex.

Et vt eodem libro ait Venus:

Res hominumque deumq;

Alternis regit imperijs & fulmine terret.

Tyrannos) Hic Nerone[m] videtur perstringere Persius, eiusque effrenatas libidines taxare, cui Seneca in Octauia hanc tyrannicam vocem tribuit:

Quicquid excelsum est, cadat.

Libido) Quæ sic describitur à Claudio lib. 2. in Eutrop.

Sed quia cæcus inest vitij amor, omne futurum

Despicitur, suadentque breuem presentia fructum,

Et ruit in vetitum damnum secuta libido,

Diuitibusque dies, & nox metuenda maritis.

Quisquis vel locuples, pulchra vel coniuge notus

Crimine pulsatur falso, si crimina desunt,

Accitus conuiuia perit, mors nulla refugit

Artificem, varios succos spumasq; requirit

Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis

Gramina, &c.

Virtutem) Quam vt ait Horatius Od. 24. lib. 3.

In columen odimus,

Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Cicero 5. de Finibus: Si ipsam honestatem vndique perfectam & absolutam, rem vnam omnium præclarissimam, maximè laudandam oculis videremus, quoniam gaudio completeremur, cum tantopere eius adumbrata opinione lætemur? Item 2. de Finibus: Oculorum est in nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam non cernimus, quam illa ardentes amores excitaret sui, si videretur.

An ne magis) Confirmat grauissimum esse supplicium malis hominibus, & malæ actæ vitæ conscijs virtutis desiderium. Argumentum est ex collatione minorū: Phalaridis taurus, Damoclis gladius non tam crudelis est, quàm si conscientia scelorum oppressus, improbitatem suam profiteri cogatur tyrannus: virtutis igitur desiderium improbis supplicium est grauissimum.

Siculi tyranni) Protasis collationis minorum, vbi attingitur Phalaridis in supplicijs crudelitas. Fuit autem Phalaris crudelissimus Agrigentinarum tyrannus, qui cum præmia proponeret tormentorum repertoribus, ijs allectus Perillus Atheniensis, vir summo ingenio, æreum taurum tanta arte fabrefecit, vt igne subiecto is, qui in eius aluo includebatur, eiulans, in uigore putaretur. Quem cum ad Phalaridem detulisset, artis suæ periculum facere prius à Phalaride coactus est. Plinius lib. 34. capite 8. huius igitur supplicij crudelitatem virtutis desiderio minorem minusque grauem Persius facit. quam

quam illud vt grauissimum imprecatur Ouidius in Ibm.

Vtque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,

More bouis Phario clausus in ære gemas.

Hanc historiam idem attingit Ouidius 3. Tristium contra insultantem suo exilio: & primo Artis, cum ait:

Phalaris tauro violenti membra Perilli

Torruit, infelix imbuat auctor opus.

Æra) Metonymia subiecti pro adiuncto: æra enim non genuerunt, sed Perillus in ære, id est tauro æreo.

Et magis) Altera supplicij species, qua Damoclem Dionysij tyranni assentatorem affectum ferunt, qui (vt ait Cicero 5. Tusc.) cum commemoraret in sermone copias Dionysij, opes, maiestatem, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque vnquam beatiore[m] quenquam fuisse. Visne igitur Damocles (quoniam hæc te vita delectat) ipse eandem & fortunam experiri meam? cum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus pisto, abacosque complures ornauit argento auroque cæato: ad mensam pueros æximia forma delectos iussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare, aderant vnguenta, coronæ: incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis extruebantur: fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari, seta equina appensum demitti iubet, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam, iam ipse defluebant coronæ: denique exorauit tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Hæc Cicero. Hanc item historiam breuiter describit Horat. Od. 2. lib. 3.

Distriktus ensis cui super impia

Cernice pendet, non Sicule dapes

Dulcem elaborabunt soporem,

Non auium citbaræq; cantus

Somnum reducens.

Imus, imus) Antapodosis collationis parium tyranni pro popocæia illustrata: fingit enim Moritor tyranni cuiusdam scelerum conscientia oppressi vocem & orationem, suam apud se miseriam & infelicitatem deplorantis, quo quid grauius & acerbius in vita homini contingere potest? Nam vt præclare Iuuenalis Sat. 13.

Conscia facti

Mens habet attonitos & surdo verberare cædit,

Occultum quatiente animo, sortire flagellum.

Pœna autem vehemens, & multo seuior illis

Quas & Seditius grauis inuenit & Rhadamanthus

Noctæ dieque suum gestare in pectore testem.

Quæ quidem tam dira & acerba conscientiæ supplicia omnes tyrannos manent. Itaque (vt ait Lucanus)

—Omnes in Cesare manes,

Hunc omnes glady, quos aut Pharsalia vidit,
Aut vlerix visura dies stringente senatu,
Illum nocte premuat, hunc infera monstra flagellant:
Heu, quantum misero pœna mens conscientia donat.

Imus imus) Tyranni profopopœia, virtutis pulchritudine attoniti, per epizeuxium.

Nesciat vxor) Alludit ad Dionysij historiam, quem non modò vxori, sed ne liberis quidem confidisse monumentis proditum est. Nam vt ait in Oedipo Seneca:

Qui scepra duro saeuus imperio regit,
Timet timentes, metus in authorem redit.

Sæpe oculos, memini, tangebam paruus otio,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere, ab infano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Iure etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire erat in voto, danmosa canicula quantum
Raderet, anguste collo non fallier oræ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello:
Haud tibi inexpertum est curuos deprehendere mores,
Quæque docet sapiens brachbatis illita Medis
Porticus insomnis, quibus indetonsa iuuentus
Inuigilat siliquis, & grandia pasta potenta.
Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstrauit limite callem.

Sæpe oculos) Hactenus Monitor iuuenilem libidinem animiq; molitiam in discipulis suis reprehendit, inertiam deinceps alienamque eâ bonarum artium studio voluntatem in iisdem exagitat, ac primùm ne (vt est apud Horat. in Arte.)

Difficilis, querulus, laudator temporis affi

Se puero, censor castigat orque minorum.

discipulis esse suis monitor videatur, eosque non tam ratione & iudicio,

cio, quàm senili & moroso rerum iuuenilium fastidio reprehendere. Iuuenilem quoque inertiam ipse suam profitetur, quam tamen in se excusat, in discipulis verò suis accusat ex adiunctis per dissimilitudinem, quòd puer aliquando iners fuerit & à studijs literarum alienus, maximè quidem cum quid honestum, quid turpe, quid fugiendum esset ignoraret: adolentes verò illi, quos hac Satyra insectatur, quid honestum sit, possint per ætatem cernere.

Tingebam) Metaphora est ab insectoribus.

Paruus) In hoc verbo excusandæ iuuenilis inertiae in Monitore vis inest ex circumstantia quadam personæ, quòd tum puer esset: datur enim huic ætati concessu omnium ludus aliquis, & ipsa natura profundit cupiditates: quæ si ita erumpunt, vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi solent. Pro Cælio Cicero. Sic Iuuenalis 8.

Fecimus & nos

Hæc iuuenes, esto, desisti nempe, nec ultra
Fouisti errorem, breue sit quod turpiter audes,
Quædam cum prima refecentur crimina barba.

Gaudia) Periphrasis est declamationis, in qua satiùsne fuerit Catoni sibi violentas manus afferre Vticæ, quàm se sibi, patriæ, reipub. suisque ciuibus seruare, disceptabatur: priorem partem Cicero Catone suo, posteriorem Cæsar Anticatone disputauit. De Catonis autem morte vide Plutarchum in eius vita: de declamandi autem ratione, exercitatione, & vtilitate Quintil. lib. 10.

Laudanda) Id est, quas declamationes multùm laudaturus esset magister. Insanus, id est valde sanus & doctus. (In) enim aliquando auget significationem, vt in verbo, in audio. Hoc autem bono & diligenti magistro faciendum ait Quintil. lib. 2. nam vt est apud Ouid. 5. de Trist.

Non paruas animo dat gloria vires,
Et facunda facit pectora, laudis amor.

Quæ pater) Scilicet (vt est apud eundem)

Excitat auditor studium.

Itaque vt liberos suos sua præsentia ad benedicendum excitarent, solebant eorum declamationibus patres interesse, quod significat Iuuenalis Sat. 7. cum ait:

Et protinus accipe quod do,
Vt toties illum pater audiat.

Declamabant autem in schola discipuli sexta quaque die, vt ibidem notat Iuuenalis:

Nil salit Arcadico iuueni: cuius mihi sexta

Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet.

Iure id) Amplificat pueritiæ suæ libidines Monitor ex effectis eiusdem ætatis, quæ item adiunctis excusantur. Detur enim oportet aliquid ætati, non omnia voluptatibus denegentur, non semper supe-

rare debet vera illa & directa ratio, vinci aliquando à voluptate cupiditateque rationem necesse est, dum modò in hoc genere præscriptio moderatioq; teneatur. Cicero pro Cælio.

Senio dexter) Significat se talorum & tesserarum fuisse in pueritia studiosissimum, quorum ludum puellis discendum esse docet Ouid. 3. Artis, cum ait:

Parua mouere pudet, talorum discere iactus,

Ut sciat, & vires tessera missa tuas.

Et modò tres iactet numeros, modò cogitet aptè

Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Fuit autem senio punctus in talis, qui à Cræcis ἐξίτης dicitur, ab Aristotele καὶ σ, libro secundo de Cælo, qui dexter appellatur, quia lucrum afferebat, sicut & canis, seu (vt paulò post appellatur) canicula damnosa, quia damnum, atque vt faciliùs itte a tragalorum ludus intelligatur, quid de eo exploratum habeam, hinc lubet adscribere. Astragali seu cubi dicuntur τὰ ἐστραγάλια ὄσση, id est, punctis distincta ossa, quib. vtuntur οἱ τὰ ἐστραγάλια, id est tabulantes (vt est apud Diomedem duobus locis) qualia sunt quæ tessera & tali appellantur, inter quæ hoc apud veteres fuit discriminis, quòd tessera laterib. constabat sex, talus autem 4. quodq; tessera inter ludendum vtentur tribus, talis verò quatuor. quod videtur animaduertisse in Diuinatione Cicero, & in Senectute, cum sic Catonem loquentem facit: Nobis semibus ex multis lusionibus talos relinquunt, & tesseras. & Martialis:

Non meam magnanimo depugnat tessera talo.

Item: Non sum talorum numero par tessera, cum sit

Maior quam talis alea sepe mihi.

In tessera numerus certi descripti erant, vt 1, 2, 3, 4, 5, 6. in talis autem figuræ numeri vicem habebant: vnitatem enim canis (quam caniculam vocat Persius) significabat, quòd signum infelix erat & damnosum. Stefichori verò signum, quia (vt ait Pollax) illius poetæ sepulchrum quod erat in Hymera vrbe Siciliæ, octoangulorum fuit, 8. representabat. Euripidis poetæ species, quia post eiectos Athenis 30. tyrannos vnus ē. 40. præfectis fuisse putaretur 40. fuit & Midæ signum fortunatissimum: ex 4. autem talis diuersas species referentibus Venus exurgebat. Sic Sueton. in August. Talis iactatus, vt quisq; canem aut seniore m miserat, in singulis talos singulos denarios conferebat in medium, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Vide Cælium Rhodig. lib. 20. cap. 27.

Damnosa canicula) De qua paulò antè. Propertius canem appellat.

Semper damnosa subfluere canes.

Et Ouidius secundo Artis:

Seu iacies talos victam ne poena sequatur,

Damnosa facito stent tibi sepe can. s.

Anguste collo) Puerilem iuacum lusu significare videtur. *Orcæ enim*

enim vasculum est, quod pueri olim in terram solebant defigere, vt in illud mediocri distantes interuallo nuces immitterent. *Quidius de Nuce:*

Vas quoque sepe cauum, spatio distante locatur:

In quod missa leui nux cadit vna manu.

Pueri nostrates non in Orcam, sed scrobem & fossam nuces immittunt.

Buxum) Significat turbini seu trochi ludum, cuius speciem nobis describit Virg. 7. Æneid. his versibus:

Seu quondam toruo volitans sub verbere turbo,

Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum,

Intenti ludo exercent, ille actus habena

Curuatis fertur spatijs, stupet inscia turba

Impubesque manus mirata volubile buxum:

Dant animos plage, & c.

Est igitur Metonymia primi generis, buxum pro turbine seu trocho ex buxo facto, caussa pro effectu. quanquam aliter buxum interpretatur Iulius Pollux.

Haud tibi) Antapodosis dissimilitudinis, quòd adolescentes iam adulti cum per ætatem quid honestum, quid turpe, quid fugiendum, quid expetendum sit, possint intelligere, inertes tamen sint, & alieni à literis.

Curuos) Metaphora est à corporeis rebus ad incorporeas. sic postea quinta Satyra:

Apposita intortos offendit regula mores,

Queque) Proximæ Antapodoseos dissimilitudinis confirmatio ex efficientibus causis, id est magistris atque libris, ex quibus quid honestum, quid turpe, quid fugiendum, quid expetendum sit, discere poterant discipuli.

Porticus) Metonymia tertij generis: ex subiecto enim adiunctum significatur, ex in somni porticu in somnes & diligentes philosophi in porticu disputantes, qui à loco Stoici sunt vocati, vt ait in Academico fragmento Cicero. hic autem Pisanactia porticus ex adiunctis significatur, quæ referta fuit multæ scientiæ varia pictura Polygnoti, Thasij, & Mychonis: vnde postea ποικίλη dicta est, id est, varia, propter varietatem picturarum. Vide Plinium libro trigesimo quinto capite nono.

Medis brachatis) Significat in ea porticu, in qua Stoici philosopharentur depictam fuisse Themistoclis victoriam, quam obtinuit contra Xerxem Medorum & Persarum regem ad Salaminem insulam, de qua vide Plutarchum in Themistocle. Sunt autem Medi Asiæ populi, à Medo Medæ filio dicti, vt scribit Iustinus libro quadagesimo: qui Bracchati appellantur, quia Bracchis, id est, vestibus varijs coloribus floridis vtentur: vel potiùs (vt alij volunt) foeminalibus, quibus pudendas partes velarent, quas definit Diodorus lib. 7.

Ἐἴδησι δὲ χροῶντι χαταπληκτικῆς, χροῶνας μὲ ἐλπίοισι χροῶμοισι παντοδαποῖς
 Νιλωθησιάνοις, καὶ ἀναξιδείδης ἐπινοῖ βροῦχος πρὸς πυροδοσίαν.

Id est, vestibus autem vtuntur mirabilibus, tunicas quidem tingunt
 floridas, & Anaxyridas illi bracas appellant. Hoc genere vestium vfos
 esse Persas, testis est Herodotus, cum ait: Breues arcus ac breuia spi-
 cula longas bracas gerentes in pugnam eunt.

Indetonfa iuuentus) Metonymia adiuncti pro subiecto: id est, in de-
 tonfi iuuenes. Pilum enim & barbam nutriebant veteres, ac potissi-
 mum philosophi: vnde est illud, Barba non facit philosophum. & Sa-
 tyra 4. *Barbatum credere magistrum dicere.*

Siliquis & grandi) Id est tenui cibo, victuque parco, qui bonarum
 artium studiosis hominibus conuenit. Sic Horatius epist. I. lib. 2. de
 victu poetarum:

Viuat siliquis & pane secundo.

Copia enim ciborum vt corpori, sic etiam nocet animo, & mentis a-
 cciem quodammodo perstringit. Horatius Sat. 2. lib. 2.

Nam variae res,

*Vt noceant homini credas, memor illius escae
 Quae simplex olim tibi sederit, an simul assis
 Miscueris elixa, simul conchyliis turdis,
 Dulcica se in bilem vertent, stomachoque tumultum
 Lenta feret pituita, vides vt pallidus omnis
 Cena defurgit dubia: quin corpus onustum
 Hesternis vitijs, animum quoque praegravat, vna
 Atque affigit humo diuinæ particulam aure.*

Itaque Pythagoras (ait Iuuenalis Sat. 15.) cunctis animalibus abstinit.
*Tanquam homine, & ventri indulget non omne.
 Legumen.*

Est autem hoc loco Synecdoche speciei pro genere: filiqua autem
 folliculus est leguminis.

Et tibi quae) Aliæ efficientes causæ sunt cognitionis honesti & vir-
 tutis, quales sunt libri philosophorum, ex quibus quid rectum & ho-
 nestum, quid contra fugiendum & declinandum potuerint discere,
 vt ex libris & sermonibus Pythagoræ Samij, qui literæ v similitudine
 virtutis & vitij vias ostendebat. Horatius libro primo Epistolarum
 ad Meccenatem:

*Feruet auaritia miseraque cupidine pectus
 Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
 Possis, & magnam morbi deponere partem.
 Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quae te
 Ter pure lecto poterunt recreare libello.*

Est autem hoc loco periphrasis literæ Pythagoræ, id est v sic dictæ,
 non quia à Pythagora inuenta sit: nam ante Pythagoram à Cadmo
 cum alijs aliquot ex Phœnicia in Græciam allata esse dicitur, sed
 quia

quia huius literæ similitudine humanæ vitæ speciem Pythagoras no-
 bis expresserit, vt ex illo eleganti Maronis intelligi potest carmine.

*Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
 Humanæ vitæ speciem præferre videtur:
 Nam via virtutis dextram petit ardua callem,
 Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
 Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
 Molle ostentat iter via lata, sed vltima meta
 Præcipitat captos, voluitque per ardua saxa.
 Quisquis enim duros casus virtutis amore
 Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.
 At qui desidiam luxumque sequetur inertem,
 Dum fugit oppositos incauta mente labores,
 Turpis inopsque simul miserabile transiget æuam.*

Ramos) Metaphora est ab arboribus.

Samios) Id est Pythagoræ, Samij Philosophi, qui contemptis De-
 marathi patris sui opibus, totum orbem discendi studio peragravit.
 In ea tandem Italiæ parte, quæ tum magna Græcia dicebatur, conse-
 dit, vbi populos luxuria diffuentes ad frugalitatem, matronas ad pu-
 dicitiam, iuuenes ad modestiam reuocauit: vbi in tanta hominum
 admiratione fuit, vt ex eius mortui domo templum facerent, eumque
 pro deo colerent: author Trogus lib. 20.

Monstravit) Allegoria ab his, qui aberrantes in rectam viam reuocant.

*Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
 Oscitat besternum, dissutis vndique malis:
 Est aliquid quod tendis, & in quod dirigis arcum?
 An passim sequeris coruos, testaque, lutoque,
 Securus quod pes ferat, atque ex tempore viuus?
 Helleborum frustra, cum iam cutis agra tumebit,
 Poscentes videas: venienti occurrere morbo.
 Et quid opus Cratero magnos promittere monteis?*

Stertis adhuc) Adolescens Monitoris discipulus magistri voce non
 modo ad literarum studia vehementius non excitatur, sed etiam adeo
 iners est, & ab omni bonarum artium studio alienus, vix somnum te-
 nere potest, vnde incitator & acerbior Monitoris in discipulum ex-
 urgit oratio: argumentum est ex factis.

Laxumque caput) Elegans est descriptio hominis inertis, so-

innolenti, nocturnamque crapulam oscitando exhalantis ex adiunctis corporis.

Compagē) Metaphora est à commissuris trabium & lignorum. Virgil. 2. *Aeneid.* de equo Troiano:

In latus, inque feri curvam compagibus aluum.

Disubis) Hyperbolica est à vestibus Metaphora.

En aliquid) Altera est inertiae reprehensio per dissimilitudinem: cuius protasis alia dissimilitudine illustratur: non quemadmodum sagittarij certam metam atque scopum sibi proponunt, ad quem sagittas suas dirigant: sic & tu certum vitae genus deligis, ad quos omnes tuas actiones referas: quod tamen ei, qui in vitae perpetuitate sibi constare velit, faciendum esse suadet Cicero 1. *Offic.*

Dirigis arcum) Allegoria à sagittarijs.

Anpassim) Antapodosis dissimilitudinis similitudine illustrata ab aucupibus. Nam ut est apud Horat. in *Arte*:

Veluti merulis intentus decipit auceps

In puteum fouedimue.

Sic qui certum sibi vitae genus ab ineunte aetate non delegerunt, quibusque viuendi via non est perspecta & considerata, in maximas calamitates & miseras solent saepe devenire. Cic. 5. de *Finibus.*

Sequeris coruos) Id est, rem vagam, incertam, & inconstantem. Alludit autem Persius ad prouerbium, Aues quærere, quemadmodum & Plato in *Euthyphrone*:

πὶ τῷ πετόμενῳ πνεύματι.

Id est: Quid aut quempiam volantem insectaris? Vide prouerbium, Nullo scopo iaculari.

Ex tempore viuus) Id est, citra sollicitudinem futurorum, quo modo in diem viuere dicimus, quæ vitæ ratio à Græcis *καθημέριος βίος* appellatur, & *καθημέριος βίος*, qui ad hunc modum viuunt, qui ab Homero *Odyss.* φ

Νήπιος ἀγέωται ἐφημέρια φρονέοντες.

Id est: *Agrestes stolidi tantumque diurna scientes* appellantur. quanquam hanc vitam seu omnium felicissimam probauit Christus, quam sequutus est, & suis sequendam proposuit. Erasmus in prouerbio, In diem viuere.

Helleborum) Prius huius Satyræ caput positum in reprehensione & obiurgatione iuuenilis libidinis, & alienæ à studio literarum voluntatis expeditum est: posterius deinde sequitur, id est, cohortatio ad studium philosophiæ, cuius initio huiusmodi quæstio statuatur: Philosophiæ est incumbendum. Primum argumentum sumitur ex fine, ne vitia in animis nostris inueterascant, & agant radices, vnde vix postea ac ne vix quidem possint erui & euelli: cuius argumenti vis hac eleganti similitudine declaratur. Quemadmodum enim in corporis ægritudinibus non est expectandus morbi exitus, sed ipsi

venienti

venienti occurrendum: sic animi ægritudinibus, id est vitij, præceptis institutisq; philosophiæ est occurrendum. Est enim animi medicina philosophia, cuius auxilium non ut in corporis morbis petendum est foris, omnibusq; opibus & viribus ut nosmetipsi nobis mederi possimus, elaborandum est, ait Cicero 3. *Tuscul.* & 4. Radicem omnium malorum stirpitus philosophia se extracturam pollicetur: demus ergo huic nos excolendos, patiamurque nos ab ea sanari, si boni & beati esse volumus, omnia adiumenta atque auxilia petamus bene beateque viuendi.

Helleborum) Synecdoche, species quippe medicamenti pro ipso genere, id est medicamento. Helleborus autem quid sit, & ubi nascatur abundè dictum est Satyra prima.

Venienti) Epiphonema, acclamatio in fine sententiæ.

Occurrite morbo) Nam, ut ait Ouid. 1. de *Remedio amoris*:

Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus

Dilatatum, longæ damna tulisse moræ.

Ibidem eodem libro:

Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi,

Et tuus in cipiens ire resistat equus.

Item: *Principijs obsta, serò medicina paratur,*

Cùm mala per longas inualuere moras.

Item: *Sed propera, nec te venturas differ in horas.*

Cratero) Synecdoche. Craterus enim pro medico ponitur, species pro genere. Fuit enim Craterus illustris medicus, summa Augusti tempore autoritate præditus. Horatius 2. *Serm. Sat. 3.*

Non est cardiacus, Craterum dixisse putabo

Hic alget.

Montes) Metaphora & Synecdoche est in hoc genere dicendi: ex simili enim simile, & ex specie genus significatur, mons nempe pro re magna, ut est mons. Sic Virg. equum Troianum quem maximum esse significare voluit, instar montis esse dixit secundo *Aeneidos*. Terentius in *Andria*:

Pellexit modò non auri montes pollicens.

*Discite que ô miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & vnde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Vtile nummus habet, patriæ, charisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse*

*Iussit, & humana qua parte locatus es in re
Disce, neque inuideas quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, & pernae, Marfi monumenta clientis,
Maenaque quod prima nondum defecerit orca.*

Disciteque à miseri) Secundum cohortationis argumentum ex subiectis philosophiæ naturalis & moralis: illa enim causarum naturalium, hæc virtutum & vitiorum subiectam habet explicationem.

Causas) Quæ à Physicis explicantur, quarum cognitio ad omnia utilis est. vnde Virg. 2. Georgic.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Cuiusmodi causarum inquisitio & inuestigatio tota est hominis propria, vt docet 1. Offic. 1. cap. Cicero. & Virgil. in Æthna:

Sed prior hæc hominum cura est cognoscere terram,

Et que nunc miranda tulit natura notare,

Hæc nobis magna affinis celestibus astris.

Quid sumus) Ethicam deinde philosophiam ex subiectis explicat Monitor, ac primum ad sui cognitionem adolescens adhortatur, quod propriè in Ethica præcipitur. Hæc enim vna nos cum cæteris res omnes, tum quod est difficillimum docuit, vt nosmetipfos nosceremus, cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuiquam, sed Delphico deo tribueretur. Nam qui seipsum norit, aliquid se habere sentiet diuinum, ingeniumque in se suum, sicut simulachrum aliquod putabit, tantoque munere deorum semper aliquid dignum faciet, & sentiet: & cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam. Cicero 1. de Legib. Iuuenalis Sat. 2.

E caelo descendit γῶδ' ἰσχυρῶν.

Figendum & memori tractandum pectore, siue

Coniugium quaeras, vel sacri in parte senatus.

Esse velis.

Victuri gignimur) Secundum Ethicæ philosophiæ dogma de humana vitæ fine, de quo variè & inconstanter philosophi differuerunt. Quem tamen Plato in Idea, id est Dei contemplatione constituit. Deus enim ait 1. Metamorp. Ouid.

Cum spectent animalia cætera terram

Os homini sublime dedit, cæli. m. qu. videre

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Boetius M. tr. 9. lib. 3. ad Deum:

Tu res

Tu requies tranquilla pjs, te cernere finis,

Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Ordo quis datus) Tertium dogma de vitæ ratione, quam nobis deus & natura præscripsit, à Iustiniano his verbis descripta initio Institutionum: Vt honestè viuamus, neminem lædamus, ius suum cuique tribuamus: nulla enim vitæ pars neque publicis, neque priuatis, neque domesticis, neque forensibus in rebus, neque si tecum agas, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque excollendo sita est vitæ honestas omnis, & in negligendo turpitudine. Cicero primo Officiorum.

Aut metæ quam) Quartum philosophiæ moralis dogma de humana vitæ breuitate, miseris & calamitatibus considerandis, & diligenter animaduertendis: quod qui fecerit, huic nihil improuifum poterit accidere, nihil inopinatum, nihil omnino nouum. ille enim ita aciem in omnes partes intendet, vt semper videat sibi esse locum sine molestia viuendi: vt quemcunque casum fortuna iniunxerit, hunc aptè & quietè ferat. Cicero tertia Tuscul. Est autem hoc loco allegoria à stadiodromis, qua vitæ breuitas eleganter significatur. Iuuenalis Satyra 9.

Festinat decurrere velox

Elofculus, anguste misereque breuissima vitæ

Portio, dum bibimus, dum ferta, vnguenta, puellas

Poscimus, obrepit non intellecta senectas.

Itaque Theophrastum in mortis articulo conquestum scribit esse Laertius, quod ceruis & cornicibus (quorum nihil interesset) longissimam vitam Deus dedisset, hominibus verò breuissimam. Sapienter igitur hoc loco homines monet Perseus, vt sint mortis memores. & Horat. Serm. lib. 2. Sat. 6.

Viue memor quam sis æui breuis.

Et Plautus in Mostellaria.

Loquar, si decet morem geras, vitam, quam sit

Breuis simul cogita quidem.

Quis modus) Quintum dogma de argenti comparandi modo. Pecuniarum enim & opum quærendarum non solum ratio est, sed etiam collocandarum, que perpetuos sumptus suppeditent, nec solum necessarios, sed etiam liberales, Cicero 2. Offic. In quibusdam autem nec pecuniæ modus est, neque cupiditatum, quos nulla vnquam præda improbè parta minuit, sed auget potius & inflamat (ait idem Cicero primo de Finibus.) Itaque certum modum in comparandis opibus seruare oportet, quem describit Iuuenalis Satyra decima quarta:

Mensura tamen quæ

Sufficiat census si quis me consulat, ædam.

In quantum sitis atque fames & frigora poscunt,

*Quantum Epicure tibi paruis sufficit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.*

Horatius 2. Epistoliarum lib. 1.

Quod satis est cui contingit, nil amplius optet.

Ausonius: *Refruere ut natus mortalibus, dilige sed rem
Tanquam immortalis, &c.*

Vide Horatium lib. 1. Carmin. Od. 31. ad Apollinem.

Quid fas optare) Sextum dogma, quod ex philosophia morali percipi & intelligi posse docuimus secunda Satyra ex Iuuenali ad hunc locum:

Optandum est ut sit mens sana in corpore sano.

Horatius libro 1. Epistol. ad Lolium:

*Quid sentire putas? quid credis amice precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus mihi viam ut
Quod superest aui, si quid superesse volunt di,
Sit bona librorum & prouisa frugis in annum
Copia, ne fluitem dubie spe pendulus hore.*

Det vitam, det opes aequum mihi animum ipse parabo.

Quod Plato diligenter videtur animaduertisse, cum Socratem suum sic orantem facit in libro de Pulchritudine: O amice Pan atque cetera numina, date obsecro ut intus pulcher efficiat! quaecunque & mihi extrinsecus adiacent, intrinsicis sint amica! sapientem solum diuitem putem! tantum verò aurum mihi tradite, quantum nec ferre, nec ducere alius quam vir temperans possit.

Quid asper) Septimum dogma de liberalitatis exercendae ratione, quae tota ex philosophia morali audienda est. Vide Cicer. 1. Offic. & Aristot. lib. 3. Ethicorum.

Asper) Nummi asperi dicuntur propter figuras principum in his impressas & insculptas.

Vtile nummus) Diuitiae cum propter vitae necessarios vsus vtilis sunt, tum verò ad exercenda liberalitatis officia propè necessaria. Liberalis enim est hominis, suis facultatibus aut captos à praedonibus redimere, aut aes alienum suscipere amicorum causa, aut in filiarum collocacone adiuuare, aut opitulari, vel in re quaerenda vel augenda. Itaque ad has res commodè gerendas vtilis sunt pecuniae: quem etiam diuitiarum vsu diuitibus praescibit Horat. Sat. 2. lib. 2.

—Ego vestigia magna,

*Diuitiasque habeo tribus amplas regibus, ergo
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te diuite? quare
Templa ruunt antiqua deum? cur improbe chara
Non aliquid patrie tanto emetiris aceruo?
Vni nimirum tibi rectè semper erunt res?*

Quantum elargiri) Liberalitas enim multas habet cautiones, quas ordine

ordine exequitur Cicero 1. Offic. Ita que in collocando beneficio hoc maximè officium est, ut quisque maximè opis indigeat, ita ei potissimum opitulari.

Patria) Quae communis est omnium parens, cuius cognatione nulla potest esse propior. Chari enim sunt liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere? Offic. 1. Cic.

Charisque propinquis) De liberalitate in propinquos. sic Cic. in Laelio: Si quam praestantiam virtutis, ingenij, fortunae consecuti sunt nonnulli, impertiant eam suis, communicent cum proximis, ut si parentibus nati sunt humilibus, si propinquos habeant imbecilliores, vel animo, vel fortuna, eorum augeant opes, eisque honori sint & dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorantiam stirpis & generis in famulatu fuerint, cum cogniti sunt, aut deorum aut regum filij inuenti, retinent tamen charitatem in pastores, quos patres per multos annos esse duxerunt. Horat. Od. 2. lib. 2.

*Viuet extento Proculeius aeo,
Notus in fratres animi paterni,
Illum aget penna haud metuente solui
Fama superstes.*

Deus esse iussit) Octauum & postremum Ethicæ dogma per dissimilitudinem explicatur: Viue tua forte contentus, aliorum verò opibus quas sibi defensionibus comparauerint, noli inuidere. Cicero 5. Famil. Homines esse nos meminerimus ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra, neque esse recusandum, quò minus ea qua nati sumus, conditione viuamus.

Neque inuideas) Antapodosis dissimilitudinis, vbi Romanorum patronorum auaritia notatur, qui se defensionibus locupletabant, quod quam sit turpe, declarat Ouid. lib. 1. Amor. Eleg. 3.

*Turpe reos empta miseris defendere lingua,
Quòd faciat magnas turpe tribunal opes.*

Vbi praecipuum salutare de fugienda vitandaque inuidia ponitur, quae à Cicerone definitur, aegritudo ex alterius rebus secundis. Nam (ut ait Ouid. 1. Artis.)

*Fertilior seges est vicinis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius vber habet.*

Vnde Cicero 3. Tuscul. à nimis intuendo fortunam alterius Inuidere deductum esse ait, vbi verbi illius syntaxim & constructionem docet ex hoc Accij versu in Metamorph.

Florem quisnam liberum inuidit meum?

Malè (ait) Latine vertitur, sed praclarè Accius: ut enim videre, sic inuidere florem rectius, quam flori dicitur.

Fidelia) Fidelia vas (ait Marcellus) sic dictum, quia commissa fideliter contineat. Plautus in Aulularia:

Mulsi congialem tibi fideliā.

Sic Satyra. 5.

Tumet alba fidelia vino.

Penu.) Metonymia est adiuncti pro subiecto. Penu enim (vt à Cicerone definitur 2. de Natura deorum) id proprie dicitur, quo vescuntur homines, vt vinum, triticum, oleum, lens, faba, atque huiusmodi cætera: vt item ait apud Gellium Fauorinus lib. 4. capite 7. Virgilius primo Æneidos:

*Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere.*

Ponitur autem pro cella penuaria, vbi conditur & asseruatur penuus. *Pinguibus Vmbri*) Vmbri (vt ait Ptolemæus lib. 3. cap. 1.) antiquissimi Italiæ populi, quos Plinius lib. 3. cap. 14. *Ἰνδὸ τῶ ὀμβρῶν*, id est ab imbre, Vmbros appellatos esse ait: quod inundatione aquarum imbribus superfuissent. Alij ab umbra, quod eorum regio propter altitudinem montium & Apennini vicinitatem vmbrosa sit: patria fuit ProPERTIJ, vt hoc versu indicat in fine lib. 1.

*Proxima supposito contingens Vmbria campo
Me genuit, terris fertilis vberibus.*

Hos alij pingues dici putant propter generosum olei liquorem: alij metaphoricòs propter opulentiam atque diuitias: hos ego pingues vt ventri gulæque inseruientes & obesos esse putauerim: Ouidius tertio Artis:

*Illa velut coniunx Vmbri rubicunda mariti
Ambulat, ingentes varia fertque gradus.*

Horatius Vmbros pro conuiuiis dixit per synecdochem. Epist. 5. lib. 1.

Locus est de pluribus Vmbriis.

Pernæ) Pernæ dicuntur tam priores quàm posteriores coxæ porcinae salitæ cum toto pede, Martialis Petasones appellat. Plautus in Captiuis:

Quanta pestis Pernis veniet, quanta labes larido?

Marsi clientis) Vel quæ Marsus quidam ex clientibus patrono dederit, vel Marsi populi Italiæ miserint, de quibus vide Plinium libro septimo, cap. 2.

Mænæque) Mænæ piscis marinus, qui (vt ait Plin. lib. 9. cap. 26.) colorem mutat, candidus hyeme, ætate niger. huius meminit Aristoteles 8. Animantium, & Cicero 2. de Finib. cum ait: Qui enim voluptatem contemnit, huic licet dicere, se Accipenserem Mænæ non antepone: cui verò in voluptate summum bonum est, &c.

Orca) Orca piscis est marinus, Balenæ infestus, de quo Plin. lib. 9. cap. 6. & libro 33. cap. 11. hunc in frustra dissectum solebant falsamentarij in vasis asseruare, vnde ipsa vasa Orcas appellabant, ex adiuncto seu contento. vtroque modo hinc licebit interpretari, vel pro pisce, vel pro vase.

Hic

*Hic aliquis de gente hircosa Centurionum
Dicat, quod satis est sapio mihi, non ego curo
Esse quod Archefilas, ærumnosique Solones
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cùm secum & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrocto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantès somnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.
Hoc est, quod pallet: cur quis non prandeat, hoc est:
Hoc populus ridet, multumque torosa iuuentus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.*

Hic aliquis) Prolepsis est: occurrit enim Monitor tacitæ libidinosorum adolescentium obiectioni, eosque inertiae suæ velificantes per profopopœiam inducit.

Centurionum) Sic Horatius 1. Sermonum.

Quo pueri magnis è centurionibus orti.

Est autem hoc loco Synecdoche: Centurio enim pro milite quouis ponitur, species pro genere: quorum gens hircosa, id est pilosa appellatur: quia vt ait Iuuenalis:

*Hispida barba quidem, & dure per corpora setæ
Promittunt atrocem animum.*

Quales esse solent milites: vnde barbati & pilosi ad bellum & ad militiam idonei dicuntur. Pili enim corporis robur indicant. Ouidius secundo Fast. de Hercule:

Horrebant duris aspera crura pilis.

Polyphemus apud eundem 5. Metamorph.

Barba viros hirtæque decent in corpore setæ.

Centuriones autem à numero pedum, cui in militia præerant, dicebantur, ait Vegetius lib. 2. Euius primipilos appellat.

Dicat) Præparatio ad sequentem profopopœiam.

Quod satis) Profopopœia inertis & libidinosi adolescentis, inertiam suam alienamque à philosophia mentem excusantis, prius argumentum est ex adiunctis, quia satis sibi sapiat.

Non ego) Secundum argumentum ex dissimilibus, quod non quemadmodum Archefilas, aut illi qui celebrantur septem Græciæ sapientes totum ætatis suæ tempus in philosophiæ studio velit traducere.

Archefilas) Archefilas Polemonis discipulus fuit, eiusdemque in

Academia post Cratem Cratoremque successor, qui Socraticum disputandi morem reuocauit: huic, ut ait Cicero i. Acad. magna cum Zenone fuit disputatio, non altercandi causa, sed verum inueniendi: quamquam eum paulò pertinaciorum in disputando ferunt fuisse, & constitutam philosophiam, ut Cracchum reimp. euertisse: vide Laertium & Ciceronem in Academicis.

Erurnnosi) Nam ut ait Horatius:

Nil sine magno

Vita labore dedit mortalibus.

Et in Arte:

*Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudauit, & alsit,
Abstinet Venere & Baccho.*

Vnde philosophi ærumnosi, id est miseri appellantur, qui ad sapientiam per multis erumnis & laboribus perueniunt.

Solones) Id est, Solonis similes: vbi duplex tropus est, Metaphora primùm, quia ex simili simile significatur, & Synecdoche speciei pro genere. Solon enim vnus fuit è septem sapientibus Græciæ, idemque legislator, qui Athenis vnà cum Pisistrato, regnante Romæ Seruio Tullio, floruit (ait in Bruto Cicero). Hic autem pro sapientibus & philosophis ponitur, qui in veri inuestigatione totum vitæ suæ cursum traduxerunt.

Obstipo capite) Descriptio quædam philosophorum, quos libidinosus adolescens ridet, primùm ex adiunctis, tum ex effectis similitudine illustratis.

Obstipo) Id est curuo & inflexo, quales sæpe solent esse, qui aliquid apud se diligentius meditantur, ut philosophi, qui in perpetua veri inquisitione versantur.

Et figentes) Metaphora est ab arboribus, rebusque in terra defixis: ut enim inde vix dimoueri & elocari possunt: sic philosophorum aliquid apud se attentius & consideratius meditantium oculi vix à terra (quam intentissimè tumentur) abduci & auocari queant. Ut de Socrate scriptum legimus, quem ferunt non prius ab ea re, in quam vultum manè conuertisset, oculos deicere solitum, quam sibi videnti facultatem noctis caligo eripuisset. Hunc Alcibiades sic describit in eo dialogo, qui Alcibiades seu de voto inscribitur: Tristitiam quamdam præferre videris, & oculos in terram defigere, tanquam aliquid tæcum ipse præmeditatus. Horatius 2. Serm. Sat. 5.

Stes capite obstipo & figas lumine terram.

Quem locum explicans interpres Porphyrio, obstipare idem quod contorquere & incuruare docet esse. vnde est illud apud Plautum in Mercat. Circumfert se, obstipat verticem.

Lumine) Metonym. tertij generis, adiunctum oculi pro ipso oculo.

Murmura) Metaphora est ab aquis, qualis antea 2. Satyra:

Ille

Ille sibi introsum & sub lingua immurmurat.

Rabiosa) Allegoria est à canibus rabidis, cuiusmodi fuit prima Satyra. Virg. in Epigram. de est, vel non.

Multi quoque talia commeditantes,

Murmure concluso rabiosa silentia rodunt.

Trutinantur) Metaphora est à trutina seu libra, de qua item i. Satyra diximus.

Egroti veteris) Breuis similitudo, sed sine nota, ad philosophorum factorum illustrationem, tales animo menteque res agitant, & quæstiones rimantur philosophi, quales ægroti somniantes. Horatius in Arte:

Velut ægri somnia vana

Finguntur species.

Quid enim (ait ex vetere poeta Lactantius) egrotus vnquam somnauit, quod philosophorum aliquis non dixerit? Itaque Ariston philosophos dicebat esse similes cancos edentibus, qui propter exiguum alimentum circa plurimas crustas occupantur.

De nihilo) Proposiopeia quædam est obliqua philosophorum de rerum principijs apud se mulsitantium, de ijsque Democriti, Epicuri, & Diogenis sententiam & opinionem accuratius trutinantium & expendentium. Illi enim (ut ait Laertius) nihil ex eo quod non sit, fieri, neque in id quod haudquaquam sit, corrumpi posse putauerunt. Quam sententiam suis verbis sic expressit Lucretius lib. 1.

Nihil igitur fieri posse de nihilo putandum est,

Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ

Aeris in teneras possint proferrier auras

& paulò antè: *Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus*

Omne genus nasci posset, nil semine egeret.

Hæc enim opinio (ait Aristoteles) philosophos omnes perterruit, ex nihilo aliquid fieri, quam tamen Sacræ confirmant literæ, & Christiani omnes affirmant philosophi. vide Lactantium lib. 3.

In nihilum) Polyptoton, nil, nihil, nihilo, nihilum.

Hoc est) Confirmatio proximæ dissimilitudinis, quod non quemadmodum philosophi, velit in studio philosophiæ conuiescere. Argumentum est ex effectis philosophiæ, quod sui studiosos pallidos reddat, maceret, ridiculos faciat: philosophi enim assiduo studio se macerant, atque inde pallefcunt. vnde Aristophanes in ea Comœdia, cui titulus est *Νεφέλας*, philosophos *αρχιλήντας καὶ ἀνυποδίτους* contumeliosè vocat, id est pallentes & nudipedes.

Palles) Sic prima Satyra de effrenata gloriæ cupiditate, qua poetæ vani flagrant:

En pallor seniumque.

Non prandeat) Id est, se maceret, & minimo cibo contentus viuat: vnde impransii appellantur ab Horat. philosophi 2. Serm. Sat. 3.

Postquam est impransus correptus voce magistri.

Nam cum omnes homines decet sobrietas, tum verò eos maximè, qui literis incumbunt: mente enim rectè uti non possumus multo cibo & potione completi (ait Cic. 5. Tusc.) Horat. lib. 2. Sat. 2.

— Nam varia res

*Vt noceant homini credas, memor illius esca
Quæ simplex olim tibi sederit. At simul asis
Miscueris elixa, simul conchyliis turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita: vides, ut pallidus omnis
Cæna desurgat dubia, quin corpus onustum
Hæsternis vitijs, animum quoque pergrauat vnà,
At que affligit humo diuinæ particulam auræ,
Alter ubi dicto citius curata sopori*

Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit, &c.

Hoc est) Epanalepsis, qualis est apud Virgilium 1. Æneid.

Multa super Priamo rogans super Hectore multa.

Hos populus) Quod significauit Persius circa finem 1. Sat. cum dixit:

*Nec qui abaco numeros & secto in puluere metas
Scit risisse vaser, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.*

Torosa iuuentus) Metonymia adiuncti pro subiecto, iuuentus torosa pro iuuenibus torosis, id est fortibus & validis. Toros enim (ait Baptista) pulpam carnis musculosam & succulentam vocamus, cui inest robur: sic Quid, colla boum torosa appellat. & Hercules apud Sophoclem: *O pectora, O terga, O lacertorum tori.* Vnde per Metaphoram in herbis torus dicitur.

Cachinnos) Quos reprehendit Plato 3. de Repub. cum ait, neque in nimium risum profusos esse nos oportet: nam effusum risum vehementem mutatio sequitur. & Ouidius 3. Artis, ubi ridendi rationem puellis tradit:

*Est quæ peruerso distorquet ora cachinno,
Cum risit læta est, altera flere putes.
Illa sonat raucum quiddam, atque inamabile ridet,
Ut rudis à scabra turpis afella mola.
Sint modici rictus, sint parua virinque lacuna,
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu,
Sed leue nescio quid femineum ½ sonent.*

*Inspecte: nescio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exudat grauis halitus, inspecte sodes,*

Qui

*Qui dicit medico iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo modicè sitiente lagæna
Lenia loturo sibi Surrentina rogauit.
Heus bone, tu palles. nihil est. videas tamen istud
Quicquid id est, surgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deterius palles, ne sis mihi tutor.
Iampridem hunc sepeli. tu restas: perge, tacebo.*

Inspecte) Philosophis insultanti, philosophiamque ipsam deridenti libidinoso adolescenti resistit Monitor, & philosophorum philosophiæque consilijs parendum esse docet ex similibus. quemadmodum enim in morbis corporis, qui medicorum consilia respuunt, artisque medicinæ præceptis obsequi recusant, sæpe repentina morte opprimuntur: sic qui animi morbis, id est vitijs afficiuntur, nisi philosophiæ præceptis obsequantur, miserè pereant necesse est. est enim animi medicina philosophia, quæ medetur animis, sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores, vitia radicitus extrahit, & præparat animos ad virtutis fatus accipiendos: cuius auxilium non ut in corporis morbis petendum est foris, omnibus opibus & viribus ut nosmetipsi nobis mederi possimus elaborandum est, ait 2. & 3. Tuscul. Cicero.

Inspecte) Protasis dissimilitudinis ægroti cuiusdam & medici dialogismo illustrata, ubi libidinosus adolescens morbi sui quædam suspensiones mouet ex adiunctis, quæ sunt signa & indicia morbi, ex quibus medici de morbis iudicant.

Nox) Metonymia subiecti pro adiuncto: nec enim nox vidit, sed æger tertia nocte: tempus, pro adiuncto temporis. Hoc autem ex medicina debet intelligi. Nam (ut ait Cornelius Celsus) ubi corpus ægrotare incipit, quamuis vnâ febris accessione secuta sit integritas, tamen quia tertiana timeri potest, expectandus est dies tertius: & ubi accessione dies præterijt, cibus dandus est, sed exiguus, quia quarta timeri potest: vnde hic quem describit nobis hoc loco Monitor, in grauiorem morbum fingitur decidisse, quod post tertiam noctem bene constitutus venis & salutem promittentibus, ad pristinam incontinentiam & intemperantiam redierit.

De maiore domo) Intemperantia iuuenis ægri ex eius factis describitur, quæ causa est efficiens mortis, quam postea describet.

Sitiente) Metaphora est ab animalibus, quæ propriè sitire dicuntur. per metaphor. autem lagæna sitire pro continere ponitur, ut apud

Plautum de Læna: *Sicut quadrantal*, id est, tantum vini capit & continet, quantum quadrantal.

Surrentina) Surrentina, quemadmodum & Falerna dicuntur ex subiecto loco in quo nascuntur, id est, Falerno aut Surrentino colle, cuius meminit Plinius lib. 14. cap. 2. Surrentinum autem vinum (ait idem Plinius libro 23. capite 1.) veteres maxime probauere: illud enim nullo modo caput tentat, stomachi & intestinorum reumatismos cohibet.

Heus bone) Verba sunt medici repentinam ægri paulò antè conualescentis immutationem admirantis ex adiuncto pallore. Nam (vt ait Virgilius)

*Continuò est ægris alius color, horrida vultum
Deformat macies.*

Nihil est) Verba sunt ægroti, pallorem suum ex adiunctis excusantis.

Videas tamen) Instat ægroto in temperantiam suam dissimulanti peritus & exercitatus medicus, palloris causam intelligens. itaque ægrum sibi prospicere & consulere iubet ex dissimilibus: quamuis hoc tibi exiguum aut etiam nihil esse videatur, tibi tamen prospicere debes.

Surgit tibi) Confirmatio proximæ antapodoseos dissimilitudinis ex quadam circumstantia cutis, quæ in ægro lethale signum est: significat enim hydropisum, qua qui laborant, lutei & cærulei coloris videntur esse ob aquam intercutem.

At tu) Profectò hoc verè dicunt, admoneri optimus quisque gaudet, correctionem improbissimus fert ægerrimè: æger enim adolescens vbi restrictam à medico teneri sui palloris causam videt, stomachatur & irascitur, medicique iudicium eludit huiusmodi collatione minorum: Tu medice deterius palles quàm ego, & tamen tibi periculofum non est: multò igitur minus mihi.

Ne sis mihi) Sic Horatius:

Sive ego prauè

Seu rectè hoc volui, ne sis patruus mihi.

Comminatur autem hoc loco corripienti acerbius & redarguenti medico ægrotus ex sine similibus illustrato. Noli me deinceps reprehendere ac corrigere, ne tevt olim tutorè mihi molestum interficiam,

Tutor) Tutor is dicitur, qui potestatem habet in caput liberi ad tuendum eum, qui propter ætatem tueri se non potest (ait Iustinianus) de cuius potestate vide orationem pro Flacco.

Perge tacebo) Permissio est, qua medicus, vbi etiam benefactis & meritis suis fastidientem videt ægrotum, quidlibet illi pro libidine peragendi potestatem facit. Sic apud Terentium Demea:

Pereat, profundat, perdat: iam si verbum vllum posthac!

Turgidus

*Turgidus hinc epulis, atque albo ventre lauatur,
Gutturè sulphureas lentè exhalante Mephites.*

Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem

Excudit è manibus: dentes crepuere reiecti.

Vincta cadunt lacris tunc pulmentaria labris.

Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto

Compositus lecto, crassisq; litatus amomis

In portam rigidos calces extendit, at illum

Hesterni capite induto subiere Quirites.

Turgidus) Alia iuuenilis inconstantia facta describuntur & adiunctis amplificantur, quæ item causæ sunt mortis paulò post describendæ: sic Iuuenalis Satyra 1.

Turgidus est crudum pavonem in balnea portas,

Hinc subitæ mortes atque intestata senectus.

Mephites) Duplex in hoc verbo tropus est: Synecdoche primum, Mephitis enim putoris species est, qui ex aquis sulphuratis oritur.

Virgil. *Seuamque exhalat terra mephitim.*

Pro genere autem i. fetore & hidore ponitur. Est & Metaphora, Mephitis nempe pro fetore mephiti simili.

Sed tremor) Hactenus intemperantia iuuenilis ex iuuenis libidinosi factis demonstrata est, deinceps intemperantiæ ipsius factum, id est mors, ex adiunctis describitur.

Tremor) Imminentis & iam instantis mortis index ex nimia cibi potusq; repletionem proueniens. Sic Horat. Epist. 1. lib. 1.

Non si te populus sanum recteque valentem

Dicitet, occultam febrem sub tempus edendi

Dissimules, donec manibus tremor incidit vinctis.

Stultorum incurata pudor malus, vlcera celat.

Trientem) Triens vas potorium, sic dictum à numero vnciarum, quarum est capax. Est enim Triens tertia pars assis. Martialis:

Crebros ergo licet bibas trientes.

Hinc tuba) Significat mortuum esse adolescentem ex varijs adiunctis, quæ in funere adhibebantur, vt tuba, quæ (vt ait Lactantius) in ditiorum funeribus adhibebatur, sicut & tibia in plebeiiorum & popularium. Virgilius in funere Pallantis:

It cælo clamorque virum clangorque tubarum.

Ouidius 5. de Tristibus Elegia prima:

Tibia funeribus conuenit ista meis.

Vnde in Euang. Christus puellâ suscitaturus tibicines auferri iubet.

Candela) Quæ item in funeribus adhibebantur, unde nonnulli funera dicta putant fuisse, quia funalia in funebri pompa incenderentur.

Lectio) Quo apud veteres mortui efferebantur. Suetonius de funere Cæsaris, lectum pro rostris in forum magistratus honoribus funeri detulere.

Amomis) Amomum genus fruticis in Syria proveniens, cuius vna in usu est, frutice venenoso palmi altitudine, capiturque cum radice: ex eo fit unguentum pretiosissimum, quod maxime nares ferit (ait Plin.) quo non solum corpora viuorum, sed etiam mortuorum inungi solita fuisse docet Iuuenalis hoc carmine:

*Et matutina sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.*

Nascitur autem optimum amomum in ea Armeniæ parte, quæ Olene vocatur, & in Media, & in Ponto, cuius honos ad mortuos pertinere coepit (ait Plin. lib. 13. cap. 1.). Propertius:

Cur nardo flammæ non oluere meæ.

In portam) Domus, vel Urbis aiunt interpretes: malim tamen Urbis dicere, cum quia Romæ lege cautum fuit, ne quis intra Urbis mœnia sepeliretur (vt refert Seruius in vndecimum Æneid.) tum quia portæ Urbium sunt, fores verò ædium priuatarum: quod discrimen obseruasse videtur Quidius Amorum lib. 1. Eleg. 9. cum militem & amatorem comparans ait:

*Ille graues vrbes, hic duræ limen amicæ
Obsidet, hic portas frangit, at ille fores.*

Calces extendit) Quibus anterioribus mortui efferebantur: cuius rei causam explicat Plutarchus in Proble: nempe quia occasus ortui sit contrarius, vt plurimum autem in caput nascamur.

Capite nudato) Serui enim libertate donati raso capite pileum assumebant: unde postea 5. Sat. Persius:

Hæc mera libertas, quam nobis pilea donant.

Pileus enim nobilitatis erat apud veteres argumentum. Vide Cælium Rhodogin. lib. 20. cap. 12. de statua Hippocratis, & lib. 7. cap. 31.

Quirites) Quirites à Romulo Quirino dicti sunt Romani ciues: unde autem Quirinus Romulus dictus fuerit, explicat Ouid. 1. Fast. his versibus:

*Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Sive quod hasta quiris prisus est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra deus:
Sive suo regi nomen posuere Quirites:
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.*

*Tange miser venas, & pone in pectore dextram:
Nil calet hic, summosq; pedes attinge, manusq;*

Non

*Non frigent: visa est si forte pecunia, siue
Candida vicini subrisit mollè puella,
Cor tibi ritè salit: positum est argente catino
Durum olus, & populi cribro decussa farina.
Tentemus fauces, tenero latet vlcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris timor albus aristas:
Nunc face supposita feruescit sanguis, & ira
Scintillant oculi: dicisque, facisque, quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.*

Tange miser) Prolepsis ad antapodosin similitudinis ex dissimili: obijcit enim Monitori libidinosus adolescens, se non ægrum esse, eiq; cui comparetur similem: itaque medicina nihil opus habere. Antecedens testimonij cuiusdam specie comprobatur: ex testimonij enim loco sunt illa, cum contradicentem iubemus experiri, quod hoc loco facit adolescens per permissionem.

Venas) Venas dixit pro arterijs, quæ micant continuè in corpore, quas vulgus ab arterijs nihil distinguit. Cicero in Fato: Si cui venæ sic mouentur, is habet febrem.

Et pone) Quod facere solent medici, dum morbum aliquè explorant. *Nil calet hic*) Verba sunt medici, libidinosi adolescentis membra attrectantis.

Visa est) Respondet ad proximam libidinosi adolescentis obiectionem Monitor distinctione quadam morbi. Morbus enim (vt 4. Tuscul. disputat Cicero) tam in animo quam in corpore dicitur: quoq; modo in corpore morbus est ægrotatio, sic vitium in animo: itaq; quamuis corporis morbo careat, non tamen animi morbo carere iuuenem libidinosum docet ex eius adiunctis atque factis, auaritia, libidine, mollitie, timiditate, ira, quæ omnia non minus animo quam morbus corpori infesta sint. Primus autem iuuenilis animi morbus, vel potius omnium morborum causa & mater auaritia primo loco describitur, unde Claudianus in laud. Stilcon. lib. 2.

*Ac primum scelorum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens, patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis auaritiam.*

Sive candida) Secundus animi iuuenilis morbus, id est libido voluptatis: nullum enim est tantum scelus, ad quod suscipiendum non imellat, vt docet in Catone maiore Cicero.

Positum est) Tertius morbus, id est mollities, quæ ex adiunctis iuuenis significatur, cuius os suauissimis cibis assuetum, duro & malè cocto olere, aut nigriore pane offèndatur.

Beta) Beta herba nullius saporis & pretij, quam Martialis fabrorum prandium appellat: itaque hoc loco per Synecdochen pro vili cibo ponitur, species pro genere.

Alges) Quartus animi iuuenilis morbus, id est timiditas, quæ ex efficiente causa declaratur, id est frigore præcordia obsidente.

Timor albus) Metonymia secundi generis: ex effectis enim causa significatur: nec enim timor albus est, sed albos & pallidos homines reddit propter sanguinis abscëssum.

Excussit) Id est erexit: timor enim pilos erigit. Virg. 2. Æneid.

Obstupui steterunt que comæ, & vox faucibus hæsit.

& Ouid. 1. Fast. *Obstupui, sensu, metu riguisse capillos.*

Cuius rei rationem reddit Aristotel. Probl. sect. 8. quæstione verò 18.

Aristas) Metaphora est à spicis, ubi propriè dicuntur aristæ, quia cito arescant, vt aiunt Grammatici.

Nunc face) Quintus & postremus animi morbus, id est ira ex adiunctis describitur, vt apud Claudianum:

Iram sanguinei regio sub pectore cordis.

Protegit imbutam flammis avidamque nocendi,

Præcipitemque sui rabie succensa tumescit,

Contrahitur stupefacta metu, cumque omnia secum

Duceret, & requiem membris vesana negaret,

Inuenit pulmonis opem madidumque fluenti

Præbuit, vt tumida ruerent in mollia fibræ.

Feruescit sanguis) Iræ enim nulla est alia causa, quam ebullitio sanguinis circa cor.

Scintillant oculi) Sic Ouidius 3. Artis:

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,

Lumina Gorgoneo seuius angue micant.

Cicero 7. Verr. Ardebant oculi, ex toto corpore crudelitas emicabat.

Dicisq; facisq;) Concludit ad extremum Monitor insanum & ægrum esse adolescentem, ideoq; medicina, id est, (vt antè diximus) philosophia indigere, ad quam suscepta fuerat posteriore loco adolescentiæ cohortatio: argumentum est ex factis, quia ea dicat & faciat, quæ sunt insani hominis, quod testimonio Orestis confirmatur.

Non sanus) Atque idcirco huiusmodi iudicio dignissimus. Nam si de rebus sibi quisque cognitis optimè iudicat, num de furore optimè furiosus Orestes iudicabit, quem veteres poetæ propter interfectam Clytemnestram matrem in furorem verti, & Furiarum tædis ardentibus cruciari finxerunt? hic autem obserua elegans polyptoton in his vocibus, Non sanus, Non sani.

Tertiæ Satyræ finis.

ANTO-

ANTONII FOQUELINI

VEROMANDVI

in quartam Persij Satyram

COMMENTARIUS.



VARTA Satyra politica ferè tota est, de idoneo ciuitatis rectore & optimo reipub. gubernatore ex Alcibiade Platonis maiore deducta: cuius Dialogi non solum sententiam hic expressit, sed etiam personas ipsas retinuit Persius. Vt enim illic Socrates Alcibiadem generosum adolescentem incredibili laudis cupiditate flagrantem magna recondita cuiusdam doctrinæ & eruditionis suæ opinione elatum reprehendit, quod cum ignarus esset, & omnis virtutis expers, (vt ipse Socratis argumentis edomitus atque victus Alcibiades confiteri cogitur) ignarus, inquam, & omnis virtutis expers esset, Reip. tamen gubernacula subire, in populi concionem ascendere, de grauisissimis Reipublicæ negotijs decernere auderet. Sic hac Satyra Socrates, vel potius sub persona Socratis Persius Neronem (qui post Claudij mortem per matris Agrippinæ scelus Romanum imperium inuaserat) eodem argumento reprehendit. Est enim (ait Cicero) ei, cui Respublica commissa est, necessaria oratio & sapientia, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta laudis & salutis edat suis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, consolari possit afflictos, factaq; & consilia fortium & sapientium cum improborum ignominia monumentis sempiternis prædere. Nam si (vt est apud Horatium)

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotonon ægro

Non audet nisi qui didicit dare, quod medicorum est

Promittunt medici, tractant fabrilis fabri.

Nos eum qui nihil didicerit, nihil audierit, nihil cognouerit, nulla ratione populum ad virtutem allicere, & à vitijs reuocare possit, idoneum populi pastorem appellabimus? Itaque omnis ille quidem ingenij doctrinæque princeps Plato, tum denique beatas fore Respub. dicebat, cum aut docti sapientesq; homines eas regere cœpissent, aut eas qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent: à qua cum abhorrentem & alienum videret esse Neronis animum Persius, eius tyrannidem impurasque libidines hac vna Satyra sibi testandas & proclamandas esse iudicauit. Princeps igitur Satyræ

quæstio est, quod Nero non sit idoneus Reipublicæ Romanæ rector & gubernator: argumenta ducuntur ex repugnantibus, quæ syllogismo conclusa sententiam hanc continet. Syllogismus secundi generis, secundi modi:

Omnes idonei Reipublicæ rectores & gubernatores prudentia debent esse præditi:

Nero non est prudentia præditus:

Nero igitur non est idoneus Reip. rector & gubernator.

Assumptio multis argumentis demonstratur, quæ repugnant prudentiæ. Huius autem Satyræ principium, ut ferè reliquarum, abruptum est: Apostrophe enim est initio ad Alcibiadem, vel potius, ut antè dixi, Neronem, quem ex effectis indicat & designat, quippe qui Reipublicæ gubernacula teneat: tum ad sequentem disputationem audiendam excitat autoritate Socratis, cuius persona abutitur Persius, cum velandi sui in Neronem odij causa, tum vt maiorem auctoritatem habeat oratio. Ergo quò facilius distinctiusque tota disputatio intelligatur, Alcibiadis nomine Neronem, Socratis verò Persium intelligamus.

*REM populi tractas? barbatum hoc crede magistrum
R Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.
Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium & rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda, tacendaque calles.*

Rem populi) Hoc per admirationem legendum est. Nerone enim Persius miratur, qui cum iners omnisque virtutis & doctrinæ expertus esset, tantam tamen provinciam suscipere, tantumque onus populi regendi suis humeris imponere auderet. Est enim bellua multorum capitum (vt ait Horatius) vnde sæpe monere solitum Pythagoram ferunt *καταμαρτυροῦν ἀπὸ πλείων κεφαλών*, id est à fabis abstineto, vel potius (vt interpretatur Plutarchus in libello De liberis educandis) à Reipublicæ gubernaculis, propterea quòd antiquitus in creandis magistratibus suffragia per fabas vice calculorum ferebantur. Tantam igitur audaciam & confidentiam in Nerone admiratur Persius, ad quam comprimendam subinde Socratem inducit.

Barbatum crede) Præparatio quædam est ad sequentem propositioem Socratis, ad quam Alcibiades excitatur ex adiunctis & circumstantijs, quibus Socrates ipse describitur: primum est barba. Socratem enim ex veterum philosophorum more barbam aluisse memoriam

moriam præditum est, nisi forrè barbatum hoc loco interpreteris prudentem, bene moratum, & in refrenandis adolescentiæ cupiditatibus seuerum atque vehementem: quod videtur in homine barba polliceri. vnde Iuuenalis:

Barbatus licet admoneas mille inde magistros.

Id est seueros & vehementes.

Magistrum) Secundum adiunctum Socratis: fuit enim Alcibiadis magister, & (vt aiunt) pædagogus, quo doctore (vt ait idem Socrates initio Alcibiadis maioris) arteis eas, quæ ad humanitatem pertinent, Alcibiades perdidit, quem tanta diligentia studioque instituit, vt ab eius lateribus nunquam discederet, nec ab eo dimoueret oculos, quin etiam cum illo pernoctaret, à quo (vt ait Alcibiades in Symposio) non aliter surgebat quam filius à parente debuerit. Vtriusque meminit 3. Tusc. Cicero. & Quint. lib. 8. cap. 4.

Sorbitio) Tertio & postremo loco Socrates ex adiuncto mortis genere, efficiente causa declarato describitur: id est sorbitione cicutæ. Nam cum Socrates omnem virtutis laudem in actione poneret, Atheniensem populum à honestæ vitæ rationem animare nunquam desinebat, cunctorum vitia insectari, & bonos quoad liceret ciues facere: qua ex re cum multorum & quidem potentum in se conflasset inuidiam, (veritas enim odium parit) in primis verò Anyti locupletis & factiosi hominis inimicitiam contraxit. Qui cum Socratis morsus ferre nequirit, Aristophanem doctum quidem comicum, sed hominem parum probum induxit, qui comœdiam, cui titulus est, *Nebulæ*, scripsit, & agendam in scena spectandamque curauit: in ea & alia complura in Socratem & illud finxit, Socratem nebulas colere, & Atheniensium religioni detrectare, mentes præterea iuuenum sic imbueret, vt parentibus manus afferre pœ & officiosè possent. ea res cum vniuersum populum à Socrate auertisset, auribus ab ipsa adhuc recitatione calentibus, postridie Socrates in iudicium vocatur, accusatores apponuntur, Anytus diues, Melitus poeta, Lycon orator: Polycrates autem sophista accusationem scripsit, quam ad iudices Polyæctus habuit: capita accusationis ex ipsa oratione licet adhuc cognoscere, quæ sunt eiusmodi: Iura violantur à Socrate, cum quia minimè deos existimat, quos à ciuitate coli videt, tum quia novos quosdam deos introducit. Accedit ad iniuriam, quòd iuuentutem corrumpit, pœna mors esto. Surrexerat ad Socratis defensionem Plato, sed reclamatione populi & iudicium circumfusum conticuit. Itaque multitudinis inuidia & furore venenum bibere iussus Socrates, in carcere occubuit. Eius post mortem, vt ait ille,

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Maxima pars Socratem sanctitate & omni virtutis genere venerabilem luget, pub. mœror inclinatur, clauduntur officinæ, deferuntur gymnasia, destituuntur theatra, fit in vrbe iustitium, fit in accusatores

impetus, quorum cum alij exilio turpique fuga salutem sibi quaesivissent, Melitus deprehensus ultimo supplicio afficitur: Anytus cum Heracleam fugisset, ab Heracleensibus turpiter pulsus, eius bona fisco addicta: Socrati aerea statua, Lyssippi opus, posita pro vita, quae sempiternam eius memoriam propagaret. Ciceſo 1. Orat. Plin lib. 7. Augustin. lib. 8. de Civitate Dei cap. 1. Guarinus Veronensis in vita Platonis. Iuuenalis Sat. 13.

Dulciq; senex vicinus Hymetto,

Qui partem acceptae seuae inter vincla cicutae,

Accusatori nollet dare.

Vide Ciceronem 1. Tuscul. de morte Socratis.

Cicutae) Cicuta venenum est, pub. Atheniensium poena inuisa (ait Plin. lib. 25. cap. 13.) semenque habet noxium. & quemadmodum Androcides sapientia clarus ad Alexandrum magnum scripsit, (intemperantiam eius cohibens) quemadmodum cicuta homini venenum est, ita cicuta vinum. vide Plin. lib. 14. cap. 5.

Quo fretus) Profopoeia est Socratis mortui: hac enim figura deos deducere licet, & inferos excitare, (ait Quintil. lib. 9.) vt Cicero pro Caelio, vbi Appium Claudium Caecum ab inferis ad obiurgandam Clodiae libidinem excitat.

Pupille) Hoc ex Platonis Alcibiade primo traductum est, vbi Socrates statim initio Periclem Xantippi filium Alcibiadis tutorem a Clinia patre relictum ait. & in Alcibiade 2. sic Alcibiadem affatur Socrates: Si tibi in mentem veniat Periclem tutorem & amicum tuum interficere, &c. Alcibiadem vero Periclis pupillum nominat: fuit enim Alcibiades Cliniae filius, a quo Alcibiadis tutores Pericles auunculus, & Ariphon fuerant relictum, viri tum in Republica Atheniensium celebres, qualis postea euasit Alcibiades, vt constat ex eius vita, quae est apud Plutarchum, cuius mores, vita, exitusque attingitur a Iustino libro 5.

Pericli) Pericles Atheniensis dux & orator, eloquentia & auctoritate clarus, qui tonare, fulminare, permiscere Graeciam suis concionibus dicebatur, de quo vide Ciceronem in Bruto, & Valer. cap. de Eloquentia, lib. 9. cap. 9. de Pericle: de bellicis autem eius factis, Iustinum lib. 3. & Plutarchum in eius vita: floruit anno a mundo condito 3536, ante Christum natum 426.

Scilicet) Aggreditur propositam huic Satyrae disputationem Socrates, & principis Syllogismi assumptionem priore loco disputat, quod Alcibiades non sit prudens. primum argumentum est ex adiunctis aetatis, quia Alcibiades nondum aetate processerit. Syllogismus simplex est secundi generis.

Sapientia aetate comparatur & longo rerum usu:

Nero aetate nondum processit, nec magnum rerum usum habet:

Nero igitur non est sapiens.

Syllogismi

Syllogismi sola propositio ponitur, assumptio vt clara & manifesta relinquitur. Nero enim annum 17. agens imperium inuasit, nihil suo, sed Agrippinae matris & Senecae magistri sui ingenio & arbitrio gerebat, vt illi aliquando ab Octauia obiectum scribit Tacitus in Nerone.

Scilicet) Ironia est: ex dissimili enim dissimile significatur, quae ad locum hunc vsque (*Quin tu igitur*) continuatur, vbi mirifice decorum personae seruauit Perſius, qui ironicam Socrati mortuo tribuit orationem, a qua viuus *εἰρων* dictus fuerat, id est, dissimulator. Vtebatur enim (ait Cic. 1. Offic.) lubenter ea dissimulatione, quam Graeci *εἰρωνία* vocant, quam ait in Affricano fuisse Laelius:

Prudentia) Quae vna cum aetate crescit, longoq; usu & magna experientia comparatur: vnde illud est apud Ouid. 6. Metamorph.

Non omnia grandior aetas

Quae fugiamus habet, seris venit usus ab annis.

Idem 2. de Arte, de senibus:

Adde quod est illis rerum prudentia maior,

Solus & artifices qui facit, usus adest.

Sic apud eundem Nestor 15. Metamorph.

— Etenim mihi multa vetustas

Scire dedit.

Nunquam enim quisquam (ait Terentius) ita bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, aetas, usus semper aliquid apportet noui, moueat, vt illa quae te scire credas, & quae tibi putaris prima in experiendo, repudies. Itaque praecclare apud procos Thelemachus dixisse fingitur apud Homerum Odiss. 6.

Εγὼ δ' ἐπὶ νῆπι ἤα

Ναῦ δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμι ἄλλων μῦθον ἀκούων

Πρωδάνομαι, ἔγ' δὴ μοι ἀέξεται ἐνδοθι θυμός.

Id est: *Eram adhuc puer, est vbi iam sum*

Grandior, & reddit me aliorum oratio doctum,

Ipseque grandescit mihi animus.

Vide Erasmus in proverbio, Prudentia senilis.

Velox) Metaphora a rebus corporeis. Sic Iuuenalis 6. Sat.

Ingenium velox, audacia perdita.

Dicenda tacendaque) Secundum argumentum ad eiusdem generalis assumptionis comprobationem, quod Alcibiades non sit prudens, ex repugnantibus ducitur, quia quae tacenda sint dicendaq; nesciat, quod tamen maxime prudentem deceat principem. quemadmodum enim (vt est apud Ouid. 2. de Arte.)

Eximia est virtus praestare silentia rebus:

Sic contra gratis est culpa, tacenda loqui.

Itaque praecclare in Pici sententijs dixit Ausonius:

Loqui ignorabit qui tacere nesciet.

Qua de caussa Pythagoras discipulis suis quinquennale silentium indicebat, vt prius tacere quam loqui discerent. Nam, vt ait Horatius libro primo Satyra 4.

*Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueo.*

*Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus: quid deinde loquere? Quirites
Hoc puto non iustum est? illud malè, rectius istud:
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ. verùm discernis, vbi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et patis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summa nequit quam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior forbere meracas?*

Ergo vbi) Tertium argumentum ad eandem assumptionem ex partibus prudentiæ ciuilibus sumitur, quibus instructum esse oportere bonum principem ex Cicerone initio diximus: vt maiestate ad silentium indicendum iratæ turbæ & tumultuanti: eloquentia ad placandas & sedandas populi seditiones: iustitia ad tribuendū suum cuique ius: feueritate ad vindicanda melesicia: quibus rebus cum præditus non sit Alcibiades, sequitur vt & bonus princeps atque prudens esse nullo modo possit: his enim carere, & bonum prudentemque esse principem repugnantia sunt. Has igitur omnes prudentiæ ciuilibus partes sigillatim in Alcibiade requirit, ac primū maiestatem.

Feruet) Metaphora est ab aquis bullientibus, quibus videntur homines irati similes: ira enim nihil aliud est (vt superiore Satyra diximus) quam ebullitio sanguinis circa cor.

Maiestate) Quam in principijs vultu manuque inesse conuenit: vnde Lucanus de Cæsare silentium castris indicente:

Composuit vultum, manuque silentia fecit.

Et Papinius de Domitiano: *Dextra vetat pugnas adesse.*
Ouidius primo Metamorph. de Ioue:

Qui postquam voce manuque

Murmura

*Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.
Substitit & clamor pressus grauitate regentis,
Iuppiter hoc iterum sermone silentia rupit.*

Quid sit autem maieestas, describit Ouidius lib. 5. Fast. his versibus:

*Donec honor placidoque decens reuerentia vultu
Corpora legitimis imposuere toris.
Hinc fata maieestas, quæ mundum temperat omnem,
Quaque die partu est edita, magna fuit.
Nec mora, consedit medio sublimis olympo,
Aurea, purpurea conspicienda sinu.*

Vide Valerium max. lib. 2. cap. 5. de Maiestate.

Quid deinde loquere) Eloquentiam deinde in Alcibiade desiderat Socrates, ad placandas discordias irasque temperandas: qua in re quantum eloquentia valeat, declarauit illa Meuenij Agrippæ concio, quæ Romanam plebem ab Auentinō monte in urbem reuocauit, vt est apud Liuium lib. 2. Decad. 1. Virgilius 1. Æcid.

*Ac veluti magno in populo cum sepe coorta est
Seditio, furitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauem & meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, atque arrectis auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mallet.*

Hoc puto) Protopopœia est quædam Alcibiadis de iusto & iniusto, honesto & turpi, in concione apud populum disputaturum esse se respondentis: qui locus ex Platonis Alcibiade huc quoque traductus videtur esse, vbi à Socrate interrogatus Alcibiades, quæ de re in concione sit dicturus: de iusto, iniusto, bono, malo, vtili, honesto respondet: quomodo verò (ait Socrates) ijs de rebus differes, quas planè nescias? vbi Socrates Alcibiadem boni, mali, honesti, turpis, planè ignarum esse longiore oratione docet: quam disputationem sic ad artis regulas reuocatam breuius complexi sumus. Sic igitur Socrates ignarum boni, mali, honesti, turpis, vtilis, inutilis docet esse Alcibiadem:

*Quæ nec quesuimus ipsi, nec ab alijs didicimus, ea nos ignorare necesse est:
At Alcibiades nec quid iustum esset, &c. quesuit per se vnquam, nec ab alijs didicit:*

Nescit igitur.

Sylogismi huius propositionem, quia vera videretur & necessaria, concedit Alcibiades: Assumptionem sibi postulat probari: hanc igitur Socrates sic confirmat:

*Quæ nos scire putamus, aut scire nolumus, ea nec querimus, nec discimus:
At Alcibiades in hunc usque diem semper quid iustum, quidue iniustum
esset scire se putauit, aut discere noluit:
Nunquam igitur didicit.*

Propositionem rursus concedit Alcibiades: negat item assumptionem, quam per partes ætatis & anteaetæ vitæ sic confirmat Socrates:

Tu id te hoc tempore putas intelligere, triennio antè scire te putasti, anno præcedente puer eras, nec discere propter iudicij infirmitatem poteras, aut volebas:

Ergo cum nec unquam quæseris, nec didiceris, sequitur ut quid iustum, quid honestum, quid contra, hoc te quoque tempore ignoras re fatearis.

Ex quibus omnibus (quod tandem hac Satyra concludet) effici docet Socrates, Alcibiadem ineptum esse reipub. gerendæ.

Scis etenim) Iuris & æquitatis cognitionem tertio loco in Alcibiade requirit Socrates ad dilceptandas ciuium causas, & controuersias dijudicandas. Ius enim (ait Cicero pro Cecinna) si non modò oppressum, sed etiam desertum aut negligentius asseruatum fuerit, nihil est quod quisquam se habere certum, aut à patre accepturum, aut liberis relicturum arbitretur. Seneca in Thyest.

Vbi non est pudor,

Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,

In stabile regnum est.

Gemina suspendere) Allegoria à ponderibus, quæ lancibus expendantur & trutinantur. Cicero secundo Academic. Necessè est, ut lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere.

Et potis es) Seueritatem postremo loco in Alcibiade suo desiderat Socrates, qua ciues improbos in officio contineat: nam ut est apud Poetam:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Hinc illud Solonis: Rem publicam duabus rebus contineri, præmio & pœna: quemadmodum enim verus, iustus, atque honestus labor honoribus, præmijs ac splendore decoratur: sic vitia hominum atque fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte denique mulctanda sunt: primo de Orat. Cicero. Horatius: Satyra 3. lib. 1.

Adsit

*Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas
Nec scutica dignum, horribili sectere flagello.*

Nigrum) Id est, (ut Budæus interpretatur in annotationibus in Pandectas) mortiferum: significat enim *δεναιον* id est mortem, cuius nominis prima litera est θ .

Theta) Varia fuit apud veteres in capitalibus iudicijs dicendæ sententiæ ratio: aliquando enim tabellæ datæ sunt iudicibus ab eo, qui iudicio præerat, qui Quæstor dicebatur, (ait Asconius) vnde Ouidius 15. Metamorph.

*Mos fuit antiquis, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.*

Aliquan-

Aliquando etiam literæ & elementa dabantur, ut apud Græcos & Latinos: apud illos enim θ damnationis, τ absolutionis, λ ampliatio- nis. apud hos verò C damnationis, A absolutionis, N L ampliatio- nis symbolum fuit, quoties significabant sibi parum adhuc lique- re, & causam rursus agi oportere. Ergo θ nigrum, id est infauftum, quod Martialis mortiferum signum ad Castricum vocat:

Nosti mortiferum Quæstoris Castrive signum,

Est operæpretium dicere Theta nouum.

Cicero pro Milone literam tristem damnationis appellat: vide Cæ- lium Rhod. lib. 10. cap. 8. de longa litera, & Asconium Pædianum in diuinationem Ciceronis in Cecilium ad hunc locum: Ceratam vni- cuique tabellam dari cera legitima, non illa infami ac nefaria.

Vitio) Metaphora quarti modi, vitium pro vitioso.

Quin tu igitur) Hic ironiæ finis est, vbi concludit Socrates, ine- ptum esse reipublicæ gerendæ Alcibiadem: id quæ rursus ex adiun- ctis confirmat, quia corpore duntaxat pulcher & formosus sit. sic Ho- ratius epist. 16. lib. 1.

Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota,

Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

Summa nequiquam) De forma Alcibiadis sic familiaris quidam cum Socrate loquitur in eo Platonis dialogo, cui titulus est Protago- ras, siue Sophista, vbi tamen Socrates formam non corporis linea- mentis, sed ingenij præstantia metiendam esse docet. Famil. Vnde- nam θ Socrates prodis? an videlicet à venatione illa redis, ad quam honesta Alcibiadis indoles prouocare te solet? Nam nuper contem- planti inhiuifus est pulcher vir, iam vir, inquam, qui possit scilicet inter nos ipsos ceneri, ut puta, cui per genas plurima lanugo iam ser- pit. Et paulò post: Nec enim formosior vllus è ciuibus nostris adesse poterat. Socr. Imò aderat quidam admodum pulchrior. Fam. Quid ais? cuiusne an peregrinus? Soc. Peregrinus. Fam. Cuius? Soc. Ab- derites. Fam. Non quid adeò insigni forma tibi præditus visus est pe- regrinus ille, ut Clinix filio præstare eum putaueris? Soc. Quid pro- hibet, θ beate, quò minus quod sapientius est sit & pulchrius? vbi Socrates pulchritudinem nò corporis sed animi specie metitur. nam, ut ait Ouid. 3. de Tristibus:

Ista decens facies longis vitabitur annis,

Rugaque in antiqua fronte senilis erit.

Inyicietque manus formæ damnosa senectus,

Quæ strepitum passu non faciente venit.

Idem secundo de Arte:

Clam mollire animum, qui duret & astrue formam,

Solus ad extremos permanet illa rogos.

Vnde illud vulgatum est Alexandri de Antipatro dictum:

Ἀντίπατρος ἔξωθεν λαλοῦντος ἐνδοῦ ὀλοπόρου.

Id est: *Antipater extrinsecus albis vulgaribusque vestibus, intrinsecus vero planè purpureis.* Reconditam scilicet eius sapientiam significans, quam hoc loco in Alcibiade suo requirit Socrates.

Caudam iactare) Allegoria est à pavonibus, qui caudam rotantes agitant.

Blando popello) Qui blanditijs & assentationibus maximè ducitur. vnde 3. Satyra:

Ad populum phaleras, ego te intus & incute novi.

Anticyras melior) Amplificatio proximæ complexionis per collationem minorum, quòd Alcibiades helleboro sumendo sit aptior quàm gerendæ reipubl. id est, quòd se potius suasq; cupiditates regere & refrenare quàm suam rem publicam suosq; ciues debeat. Helleboro enim veteres ad purgandam mentis insaniam utebantur: vide primam Satyram.

Anticyras) Metonymia subiecti pro adiuncto. Anticyra enim insula est ad sinum Maleacum (vt ait Strabon lib. 9.) in qua Hellebori maxima est copia. Ouid. 4. de Ponto:

I, bibe dixissem purgantes pectora saccos.

Quicquid & in tota nascitur Anticyra

Hic autem pro ipso Helleboro sumitur, vt apud Horat. 2. Epist.

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam

Tonsori Licino commiserit.

Sed de ijs prima Satyra.

Meracas) Id est puras. Horat. 2. epist. lib. 2.

Expulit helleboro morbum. bilemque meraco.

Quæ tibi summa boni est? vncta vixisse patella.

Semper & assiduo curata cuticula sole.

Expecta, haud aliud respondeat hæc anus. I nunc.

Dinomaches ego sum, suffla, sum candidus, esto:

Dum ne deterius sapiat pannucia: Baucis,

Cum bene discernito cantauerit ocyma vernæ.

Vt nemo in sese tentat descendere? nemo.

Sed precedenti spectatur mantica tergo.

Quæ tibi summa boni) Confirmat prothasim proximæ comparationis minorum, quòd Alcibiades sit aptior sorbendo veratro & helleboro, quàm regendæ reip. id est, vt antè dixi, suas cupiditates refrenare potius quàm alienas debeat, argumentum est ex adiuncta mollitie. quæ

tie, quæ alijs adiunctis, vt lauto cibo & luxuriosa vnguentorum profusione demonstratur, in quibus summam bonorum collocabat Alcibiades. qui locus ex Platone quoque traductus est, vbi Socrates & se, & Alcibiadem curatore egere docet: tum Alcibiades: quid igitur Socrates faciendum est? Soc. nec hæsitandum, nec etiam mollitiei indulgendum est, ò amice, &c.

Summa) Id est finis bonorum, quem primo Ethic. definit Aristoteles, quò omnia referuntur, ipse autem nusquam: qua in definitione omnes ferè philosophorum scholæ acquiescunt. quis autem ipse sit, aut qua in re positus, maxima iater eos contentio est. Alij enim (vt ait in Finibus Cicero) finem bonorum omnis expertem honestatis esse volunt, vt Aristippus, & Epicurus, qui voluptatem: vt Hieronymus, qui vacuitatem doloris: vt Carneades, qui principijs naturalibus frui summum bonum esse putauerunt. Alij verò honestatem cum aliqua accessione, vt veteres Academici & Peripatetici, qui finem bonorum dixerunt secundum naturam viuere, id est, virtute adhibita frui principijs à natura datis, vt Calpho: qui ad virtutem voluptatem adiunxit: vt Diodorus, qui ad virtutem vacuitatem doloris adsciuit. Vna autem & simplex est opinio, quæ in solo decore, id est honestate positum esse summum bonum existimet, cuius author Zeno: quam quæstionem de fine bonorum quoniam tantoperè controuersa erat, Aristoteles primo Ethic. tanquam honorarius arbiter componere nititur, quam rectè pieque vide in explicationibus Talæi in eundem librum:

Summa) Metaphora est à ratiocinatoribus, qui propriè addendo deducendoq; summam dicuntur facere: hinc pro argumento & præcipuo quod vocant puncto: sic, Summa libri, summa orationis.

Vncta patella) Subiectio, id est responsio ad proximam interrogationem, vbi Metonymia est tertij generis. vncta enim patella ponitur pro vnctis, id est delicatis & lautis cibis, qui patella continentur, subiectum scilicet pro adiuncto.

Curata cuticula) Id est, assiduo genio indulgere & voluptatibus obsequi. Cuticulam enim curare dicuntur, qui in conuiujs magis voluptati student quàm famæ, quippe hoc vnum curant, vt summa cutis niteat, eaque gratia lautioribus epulis, balneis, vnguentis, somno, conuiujs, alijsque genus delicijs vtuntur. Horatius in. Seru.

Ire domum atque

Cuticulam curare iube.

Idem in Epistolis.

Mæ pinguem & nitidum & bene curata cute vises,

Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Sole) Alludit ad veterum consuetudinem, qui si quando infirmiore essent stomacho (vt ait Cornelius Celsus) ad iuuandam concoctionem ante epulas solebant exerceri, & oleo ad Solem æstatis, ad

ignem hyemis tempore perfundi. Plinius iunior lib. 3. epist. de Spurina loquens: Vbi hora balnei nuntiata est (est autem hyeme nona, æstate octaua) in Sole si vento caret ambulat nudus. Est autem hoc loco Metonymia subiecti pro adiuncto: Solem enim dixit pro calore Solis: vt Iuuenalis Sat. 12.

Vestra bibat vernum contracta cuticula Solem.

Expecta baud) Reprehendit Alcibiadis sui mollitiem Socrates, qui in potiundis cupiditatibus summam bonorum statueret: argumentum est ex paribus, quod idem quoque anus pannosa sentiat.

Nunc) Concludit ineptum esse gerendæ reipub. Alcibiadem, vbi proximum argumentum dissimili amplificatur, & ironica permissione illustratur, hoc modo: Quare extolle quantum voles generis tui nobilitatem, tamen cum idem de summo bono sentias quod anus, indignus es reipub. procuratore.

Suffla) Id est, intumesce vana quadam opinione nobilitatis: sic antea Satyra tertia:

An deceat pulmonem rumpere ventis, &c.

Et apud Iuuenalem Satyra 8.

Hæc satis ad iuuenem, quem nobis fama superbum

Tradit & inflatum plenumq; Nerone propinquo.

Sum candid.) Altera est Alcibiadis profopoeia contra proximam Socratis complexionem, cui rursus Alcibiades formam & corporis pulchritudinem opponit.

Pannutia Baucis) Id est pannosa & detrita, vbi Synecdoche est specialis pro generali, Baucis anus pro quauis alia. Est autem Baucis apud Ouidium nomen anus cuiusdam, Philemonis vxor, qui quia Iouem & Mercurium hospitio exceperant, se suamque casam in templum transformata ab aquarum inundatione saluam retinuerunt: de quibus vide Ouid. 8. Metamorph.

Ocyma) Ocymum recentioribus Græcis βασιλικόν, quod nomen Galli retinuerunt, Baselicam herbam vocantes: sic autem quibusdam dicitur à nascendi celeritate, siquidem tertio à fatu die emicat: quod tamen Ocymo pabuli & farraginis generi videtur commodius conuenire, vulgus Francicum vocat, *Dragée aux chœuaults*. vide Stephanum in herbar. & Plinium lib. 9. cap. 12.

Vernæ) Synecdoche speciei pro genere. Verna enim serui species est: domi ex ancilla nati, quales serui sæpe solent esse dissoluti & libidinosi. Horatius:

— Vernasque proceres

Posco libatis dapibus.

Vt nemo) Aliud argumentum ad eandem quæstionem, quod Alcibiades non sit idoneus reip. gubernator: argumentum item est ex repugnantibus, quia seipsum non norit, quod generaliter disputatur, & ab hypothefi ad thesim quæstio reuocatur: syllogismus simplex primi generis:

Idoneus

Idoneus reipubl. gubernator non est, qui se ipsum non nouit:

Alcibiades se non nouit:

Alcibiades igitur non est idoneus reipub. gubernator.

Propositio deest, cuius loco digressio quædam interponitur in eos, qui in aliorum vitijs oculatissimi sunt, in suis verò cæcutiunt.

Vt nemo) Dissimilitudinis sententiæ quædam hic est huiusmodi: nemo se, at alium quemque nosse cupit. Protasis præcedit.

Tentat descendere.) Allegoria ducta est à fodinis vel cellis (ait Erasmus in proterbio, In se descendere) in quas vt qui descendunt, quid illic reconditum repositumque sit nosse possunt: sic qui seipsum examinant, & à seipsis vitæ suæ rationem repossunt, quibus vitijs abundant intelligunt.

Nemo) Epanalepsis est, in eiusdem dictionis repetitione in principio & fine sententiæ.

Sed præcedenti) Antapodosis dissimilitudinis, vbi alludit Socrates ad Ælopi fabulam, qui immoderatam hominum philautiam notans vnicuique duas fingit esse manticas, vnâ in pectus propendentem, ideoque oculis semper obiectam & oppositam, in quam aliena vitia immittantur: alteram verò in tergum, ab oculis scilicet remotam, in quam propria. quod notans Catullus ad Varum, sic scribit:

Nimirum idem fallimur, neque est quisquam

Quem non aliena re. videre. Suffenum:

Possis: suus cuique attributus est error:

Sed non videmus mantice quid in tergo est.

Et Plautus in Sticho:

Sed curiosi sunt hic quamplures mali,

Alienas res qui curant studio maximo,

Quibus ipsis nulla est quam procurent sua.

Vnde Christus in Euangelio: Festucam (ait) in oculo fratris tui vides, trabem in tuo non vides. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Meuius absentem Neuium cum carperet: Heus tu

Quidnam (ait) ignoras? an tu ignotum dare nobis

Verba putas? egomet mihi ignosco (Neuius inquit)

Stultus & improbus hic amor est dignusq; notari:

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,

Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,

Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? &c.

Quæsieris. Nostin? Ventidi prædia? cuius?

Dives arat Curibus, quantum non miluus oberret:

Hunc ais? hunc dijs iratis, genioq; sinistro,

*Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriola veteris metuens deradere limum,
Ingemit, hoc bene fit: tunicatum eum sale mordens
Cepe, & farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam facem morientis sorbet aceti,*

Quæsieris) Confirmat proximæ dissimilitudinis antapodosim, quod homines non in suis, sed in alijs vitijs sint oculatissimi per species singulares: impuros enim quosdam nebulones omni genere libidinis diffuentes per dialogismum inducit, à quibus Ventidij avaritia perstringatur: quorum postea sordes & scelera ab alijs pari scelere & improbitate prædictis eadem procacitate notentur.

Nostrin) Dialogismus nebulonum flagitiosorum, Ventidij avaritiam procacissimè deridentium.

Ventidij prædia) Ventidij plures Romæ fuerunt diuites, hoc autem loco eum voluit intelligi interpretes, qui Calliæ præfectus prouinciam totam spoliavit, vt ait Suetonius, & Tacitus lib. 12. quem ditissimum fuisse indicat Iuuenalis, cum ait Satyra vndecima:

In Rutilo nam

Luxuria est, in Ventidio laudabile nomen,

Sumit, & à censu famam trahit.

Diues erat) Definitio quædam est Ventidij ex adiunctis collatione minorum amplificatis. Ventidius est diues, tantum agri possidet, quantum miluus non possit volando circumdare.

Curibus) Cures oppidum Sabinorum, Tatij & Numæ Pompilij patria. Ouidius 2. Fast.

Te Tatius, paruiq; Cures, Cecinnaque sensit.

De Romulo loquens, à quo Cures deuicti fuerant, & à quibus *Qui-*rinum Romulum nonnulli dictum fuisse suspicantur. Ouid. 2. Fast.

Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

Miluus) Prouerbialis est hyperbole de homine supra modum locuplete, cui tantum sit agrorum, quantum nec miluus peruolet. sic Iuuenalis Satyra 9.

Cui tot montes, tot prædia seruas

Apula tot, miluos inter tua pascua lassos.

Est autem Miluus ex genere Accipitrum auis rapacissima, quam propter rapacitatem cælo frui fingunt poetæ. Ouid. 3. Fastor.

Quid dederit volucrisi vis cognoscere cælum,

Saturnus regis ab Ioue pulsus erat, &c. Vide locum.

Dijs iratis) Erasmus in proverbio, Genius malus, hoc sumptum esse ait ex prisca veterum opinione, qui singulis genios binos attribue-

attribuebant, quos deos aut angelos appellarent. nostri Theologi angelos vocant, alterum amicum, qui nostra procuret comoda: alterum inimicum, qui modis omnibus in nostrum exitium imminet. Hinc dijs iratis aggredi aliquid dicimur: id est angelis seu demonibus, siue malo-fato. Contrarium est, Dijs propitijs, Dijs auspibus. Terentius:

Nescio, nisi deos iratos fuisse mihi satis scio, qui auscultauerim ei.

Horat. 2. Serin.

Immeritus que laborat.

Iratis natus paries dijs atque poetis.

Idem contra: *Diuis orta bonis optime Romule.*

Homerus Iliade:

Σὺ δὲ νότις ἑκκοθήεις.

id est:

Deus quisquam iratus est.

Et Virgilius quarto Æneidos:

Dijs equidem auspibus reor & Iunone secunda.

Genioque sinistro) Id est, suum defraudans Genium. Cæterum de Genijs antè dictum est.

Qui quandoque) Altera eiusdem Ventidij descriptio ex effectis, quæ adiunctis temporis declaratur, eiusdemq; profopocæia illustratur.

Iugum pertusa) Periphrasis est Compitaliorum ex adiunctis. Fuerunt autem Compitalia, festa Laribus sacra, quæ in Compitis, vbi viæ competunt (ait Varro) celebrabantur. Lares enim Augustus in compitis posuit, quibus sacerdotes ex libertinis consecrauit, qui Augustales dicti sunt. Propertius lib. 4.

Parua saginati lustrabant compita porci, &c.

Pertusa ad) Id est, secta in multas vias. Ouid. 1. Fast.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,

Seruet vt in multas compita secta vias.

Seriola veteris) Seriola diminutivum à seria vasis genere, de quo antea dictum est ad 2. Satyr. Vñus autem Persius est diminutiuo hoc nomine ad rem extenuandam, & amplificandam Ventidij avaritiam, qui die festo Compitaliorum, quo agricolæ solebant (vt ait Iuuenal.)

Sicciterga suis rara pendentia crata,

Et natalitium cognatis ponere lardum,

Accedente noua si quam dabat hostia carne.

eo (inquam) ipso die suum miserè fraudaret Genium, & vappa contentus, seriolis & vini optimi amphoris parceret.

Linum) Id est, picem vel gypsum, quo solebant ora vasorū obduci.

Hoc bene) Breuis profopocæia Ventidij avari, sibi suisque seruis propter appositam ipso Compitaliorum die pulstem & cœpe gratulantibus, vt intelligatur quotidiana eiusdem victus tenuitas, qui festis diebus & solemnibus sola pulte vesceretur: simile est illud Horatij in Opinium 2. Serin. Sat. 3, qui etsi ditissimus erat, tamen, vt ait ille:

Vellent auiis festis potare diebus

*Campana solitus truita vappamque profestis,
Tandem lethargo grandi est oppressus, &c.*

Hoc bene) Hæc ironicos de re leui pronuntianda sunt, quæ in rebus arduis & grauibus solent vsurpari: simile enim quiddam in magnis rebus auspiciandis præfari solebant veteres, vt Cicero in principijs defensionum Murenæ, Rabirij, & aliorum. simile est illud: Quod Deus bene vertat.

Farratam ollam) Metonymia subiecti pro adiuncto, olla nempe pro pulte quæ in olla coquitur. Martialis:

Imbue plebeias Clusinis pultribus ollas

*At si vnctus cesses, & figas in cute solem,
Est propè te ignotus, cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores, penemque, arcanaq; lumbi
Runcantem populo marcentes pandere vulvas.
Tu, cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus, quare detonsus curgulo extat?
Quinq; palestritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca.
Non tamen ista filix vlllo mansuescit aratro.*

At si vnctus) Anticatigoria & recriminatio quædam est in Ventidij reprehensorem & detractorem ex eius impuris factis & detestandæ nefandæque Veneris plenis, quæ ab altero vicissim nebulone per proloporœiam explicantur. quem locum castis fortasse auditorum auribus ingratum, consultus præterij.

*Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Viuitur hoc pacto: sic nouimus. ilia subter
Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro
Protegit: vt manus, da verba, & decipe neruos,
Si potes. egregium cum me vicinia dicat,
Non credam? viso si palles improbe nummo,
Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellis,*

Ne quicquam

*Ne quicquam populo bibulas donaueris aures:
Respue quod non es: tollat sua munera cerdo.
Tecum habita, vt noris quàm sit tibi curta supellex.*

Cædimus, inque) Concluditur digressio propositionis loco posita, vbi argumentum ex factis breuiter repetitur, & ex efficientibus causis illustratur. Omnes in aliorum vitam atque mores inquirunt, in suamque rursus inquirendi alijs ansam præbent, cuius rei causa est consuetudo & institutio. simile est illud Horat. epist. 2. lib. 2.

Cædimur & totidem plagis consumimus hostem.

Vide Erasim. in prouerbio, Cædimus & cædimur: & Pilam reddere.

Inque vicem) Sic Horatius:

— At tibi contra

Euenit, inquirant vitia vt tua rursus vt illi.

Est autem Allegoria à sagittarijs, qui vt metam sagittis, sic homines maledictis videntur proponere: sic enim comparata est hominum natura, (ait Terentius) omnium aliena melius vt videant & iudicent quàm sua.

Ilia subter) Assumptionis sententia deinceps disputatur ex adiunctis allegorica similitudine declaratis. At Alcibiades seipsum non nouit, quia multis animi vitijs diffuit. vbi Allegoria est à gladiatoribus, qui vt accepta in acie vulnera sæpe occultant & dissimulant, sic Alcibiades animi vulnera, id est vitia, generis nobilitate & fumosorum imaginum commendatione velabat.

Cæcum) Cæcus adiectiuum actiuam & passiuam habet significationem. Actiuam in eo, qui oculis captus est: Cicero de Appio Claudio in Catone maiore: ad cuius senectutem hoc accedebat, quod cæcus esset. Passiuam verò pro eo, quod oculis videri non potest: vt hic. & apud Virg. 6. Æneid.

Cæca regens fillo vestigia.

& 9. Æneid. *Nec equi cæca condemur in aluo.*

Vulnus) Vulnus in corpore propriè dicitur, per Metaphoram in animo, pro prauo aliquo animi habitu & perturbatione, qualis est amor, ira, &c. Virg. 4. Æneid.

At regina graui iam dudum saucia cura,

Vulnus alit venis & cæco capitur igni.

& paulò post: *Est mollis flamma medullas*

Interea & tacitum viuit sub pectore vulnus.

Balteus) Balteus militare est cingulum, ex corio bubulo bullis ornatum. Virg. 5. Æneid.

Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis

Threycijs, lato quem circum amplectitur auro

Balthæus, & tereti subvertit fibula gemma.

Vide finem 12. *Eneidos* de balthæo Pallantis, quem ei Turnus detraxerat.

Lato auro) Antiptosis est casus pro casu, qualis est in loco Virgilij proximè citato.

Decipe neru) Infitit in eodem allegoriæ genere à gladiatoribus, qui vt frustra vulnus acceptum dissimulant, cum non minor inde ad eos doloris sensus perueniat: sic Alcibiades frustra sua vitia dissimulat, cum eorum conscientia dies noctesque torqueatur.

Egregium) Profopocœia est Alcibiadis, populi testimonium proximæ assumptioni contrarium, Socrati opponentis: vbi enthymema est eiusmodi.

Populus me principem egregium esse dicit: Sum igitur.

Egregium) Metaphora est à tauris (ait Donatus in *Hecyra*) ad sacrificandum delectis, qui propriè egregij vel eximij dicuntur, quasi ex toto grege delecti, vel exempti ad sacrificium peragendum. Virgilius quarto *Georgic*.

Quatuor eximios præstanti corpore tauros.

Mactat.

Hinc eximiæ vel egregiæ hostiæ dictæ sunt, de quibus vide Liliam Gregor. *Syntagin*. 7.

Vicinia) Metonymia adiuncti pro subiecto, vicinia pro vicinis.

Viso si) Refellit publ. populi testimonium Socrates ex adiunctis Alcibiadis, dissimilium collatione amplificatis. Syllogismus connexus primus.

Si Alcibiades est auarus, sibi libidinosus, si grauis obærat & molestus, indignus est reipub. gubernaculis:

At primum verum: Et secundum igitur.

Connexi propositio dissimilium collatione amplificatur. Assumptio ex superioribus intelligenda est, vbi Alcibiadem multorum scelerum conscientium fuisse significauit: Complexionis loco breuis ad sui ipsius cognitionem adhortatio ponitur.

Viso si) Sic antea:

Visa est si forte pecunia, siue

Candida vicini subrisit molle puella,

Cor tibi ritè salit.

Vtrobique autem notat immoderatam auri argentiq; cupiditatem, quæ homines excruciat & pallidos reddit. Propertius lib. 3.

Ergo sollicita tu causa pecunia vitæ es,

Per te immaturum mortis aditus iter,

Tu vitij hominum crudelia pabula præbes,

Semina curarum de capite orta tuo.

Si facis) Perstringit hominis mollitiem impurasque libidines. simile est illud Iuuenalis Sat. 8.

Cur

Cur Allobrogis & magna gaudeat ara,

Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus si

Vanus & Euganea quantumuis mollior agna?

Si puteal) Id est, si tu astutus & callidus fœnerator grauis & molestus es obærat tibi in repetendis pecunijs creditis.

Puteal) Puteal alij prætoris tribunal subselliumque esse aiunt. Acron locum esse putat ad quem conuenirent fœneratores: Porphyrio sedem prætoris prope arcum Fabianum, ita nuncupatam, quia à Libone illic primum tribunal & subsellia collocata fuerint. Est qui interpretetur dici puteal, quod ibi creditor debitori dans bona tanquam in puteum mittit. Cælius tamen Rodigin. hunc locum explicans, & illum Horatij t. epist. ad Mecœnaten:

Forum putealque Libonis.

Mandabo ficiis:

In veteribus libris comperisse se ait in comitij gradibus ipsis fuisse Aetij Nauij statuam, capite velato, quo in loco is cotem nouacula discidit, qui locus (vt ex Dionysio refert) puteus vocatur à Romanis, vbi ara subterranea. Cicero t. de Diuinat: Cotem (inquit) & illam nouaculam defossam in comitio supraque impositum puteal accepi-mus. Est autem puteal (vt apud Iurifconsultos obseruasse se scribit idem Cælius) vt apud Pomponium Digestis de actionibus emptorum & venditorum, quo putei operiuntur, hoc est veluti umbella quædam aut petasus, qualem Pyramidibus impositum scribit Plinius, qualisque in Patauino visitur foro, concinnè fastigiatus præterque plumbeis inductus tabellis, quo in loco iudicia solebant exerceri. Ouid: *Si puteal lanumque times celeresque calendas.*

Et Horatius 2. Sermon, Satyra 6.

Rofcius orabat sibi adesse ad puteal cras.

P. Victor in octaua regione Urbis puteal Libonis constituit & Ianos duos, qui (inquit) locus erat mercatoribus frequens. Legitur quoque in Græcorum thesauris fuisse in Attica iuri dicendo stationem, siue iudiciale forum, quod diceretur *εν ορεατη*, id est in puteo, in quo causæ eorum agitabantur, qui cædis inuoluntariæ semel accusati, rursus sponte admissi facinoris iudicium subirent. Hæc Cælius Rodiginus libro decimo capite decimo septimo. Est igitur in hoc verbo Metonymia tertij generis: ex subiecto enim, id est loco, in quo obærat vexabantur à creditoribus, qui (vt antè docuimus) puteal dicebatur, obærat ipsi significantur.

Flagellus vibice) Allegoria est, id est metaphora ex eodem genere continuata: sunt enim vibices cicatrices & vestigia, quæ relinquit scutica (ait Plin. lib. 30.)

Populo) Qui vt antè diximus 1. Satyra ex Horatio:

Stultus honorem

Sæpe dat indignis & fame seruit ineptus.

Respice quod non es) Complexionis loco brevis ad sui ipsius cognitionem cohortatio ex fine ponitur, qualis est apud Platonem in fine Alcibiadis, ubi venusta & eleganti similitudine ab oculo ducta, quomodo nos ipsos nosse, & nostram naturam contemplari debeamus docet his verbis. Socrates: Num animaduertisti quod facies hominis in oculum intuentis in oppositi visu relucet velut in speculo, quam summam vocamus pupillam, simulachrum inspicientis existens? Alcibiad. Aduerti. Socrat. Oculus igitur ita demum seipsum cernit, cum in oculum inspicit, in idque præterea intendit quod oculi optimum est, & quo oculus ipse videt. Alcib. apparet. Socr. Si autem in aliud aliquod membrum hominis inspexerit, vel in quoduis aliud præterquam id cuius hoc est simile, haud quaquam seipsum percipiet. Alcibiad. Verum. Socrat. Oculus ergo cum seipsum visurus est, in oculum respicere debet, atque in eum oculi locum, in quo virtus est oculi: is autem visus atque pupillæ acies est. Alcibiad. Sic est. Socrat. Eodem pacto & anima (ô amice Alcibiades) si se ipsam noscere vult, in animam intueatur, in eamque præcipue locum animæ, in quo virtus inest animæ sapientia, & illud cuius hoc est simile. Alcib. Mihi quidem videtur ô Socrates. Socrat. Non reperire possumus quidpiam in anima diuinius illo, circa quod intelligentia sapientiaque versatur. Alcib. Nequaquam. Socr. Id igitur animæ diuini simile est, in quod sanè quis intuens, & omne diuinum, Deum scilicet & sapientiam, cernens, ita & seipsum agnoscet. Alcib. Apparet. Socr. Seipsum verò cognoscere prudentiam esse concedimus. Alc. Prorsus, &c. Vide locum Platonis & Stobæum in sententijs de cognoscendo seipsum. Horat. lib. 1. Epist. ad Quintium:

*Tu rectè viuis si curas esse quod audis,
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas,
Neue putes alium sapiente bonoque beatum.*

Respue) Metaphora est ab ingratis cibis, quos proprie ore respuitur. Cicero secundo de Orat. Gustatus quod valde dulce est aspernatur & respuit. Hinc per Metaphoram pro reijcere & aspernari. Cicero in Pisonem de Pifone & Gabinio: Quis vos oculis non fugiat, auribus respuat, animo aspernetur?

Tollat sua) Horatius paulò aliter:

*Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas
Neu si te populus sanum recteque valentem
Dicit et, occultam febrem sub tempus edendi
Disimules, donec manibus tremor incidat vinctis.*

Sic Cicero tertia Tusculana: Te autem etsi in oculis sis multitudine, tamen eius iudicio stare nolim, nec quod putat, idem te putare pulcherimum: tuo tibi iudicio est vtendum, atqui magna pars mortua-

mortalium pendet ex alienis iudicijs, viuimus ad opinionem, fecimus quod pecudes, sequimur in gregem antecedentium.

Tecum habita) Sic antea Sat. 1.

Nec te quesieris extrà.

Egregia verò & digna Persio sententia: quam Plato in Alcibiade & Charmide pro foribus templi Delphici inscriptam ab Amphictyonibus fuisse memoriæ prodidit, his verbis *γῶδι σαυτῶν*: Nosce teipsum: vnde Apollo apud Ouid. lib. 2. Artis, de suo templo loquens:

Est ibi diuersum fama celebrata per orbem

Litera cognosci quæ sibi quemque iubet.

Id est, vt interpretatur Erasimus, ne nobis vel maiora, vel etiam indigna sequamur. Nam hinc omnis vitæ pestis oritur, quod quisque sibi blanditur, & quantum alijs præter æquum detrahit, tantum sibi *φιλαυτίας* vitio præter meritum tribuit. Cicero ad fratrem libro tertio: Illud *γῶδι σαυτῶν* noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum: verum etiam vt bona nostra norimus. Iuuenalis Satyra vndecima:

E caelo descendit γῶδι σαυτῶν,

Figendum & memori tractandum pectore, siue

Coniugium queras, vel sacri in parte senatus

Esse velis: nec enim loriam poscit Achillis.

Thersitis, in qua se traducebat Pylles.

Ancipitem sentis magno discrimine causam

Protegere affectas, te consule, dic tibi, quis sis

Orator vehemens, an Curtius, an Maabo: buccæ

Noscenda est mensura tuæ, spectandaque rebus

In summis minimisque, etiam cum piscis emetur.

Hanc sententiam Ouidius refert ad Pythagoram: Plato ab Apolline profectam putat: sic enim ait in Phædro: Non possum meipsum iuxta delphicam inscriptionem agnoscere: de hac sic tertio de Finibus Piso apud Ciceronem de cognitione sui disputans: Hoc præceptum (ait) quia maius erat, quam vt ab homine profectum videretur, idcirco assignatum est Deo. Iubet nos igitur Pythius Apollo noscere nosmet ipsos. cognitio autem hæc est vna, vt vim nostri corporis animique norimus, sequamurque eam vitam, quæ rebus ipsis perfruatur: quod tamen præceptum Cicero prima Tusculana de corpore non vult intelligi: non enim (inquit) id præcipit, vt membra nostra aut staturam figuramque noscamus, sed cum nosce te dicit, dicit nosce animum tuum. Nam corpus quoddam quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum, ac animo tuo quicquid agitur, id agitur à te: hunc igitur nosce.

Tecum habita) Allegoria est ab ædibus, in quibus quemadmodum qui habitant quod intus sit suppellectilis probè norunt, sic qui-

Delphici Apollinis oraculum secuti in sui cognitionem incumbunt, animi sui suppellestem, id est virtutes, quibus præditi sint facile perspiciunt. Sic in Epistola ad Curionem Cicero: Tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera: nemo est qui tibi sapientius possit persuadere teipso, nunquam labere, si te audies. simile est Horatianum illud Sermon. lib. 1. Satyr. 3.

*Denique teipsum
Concute, non tibi quid vitiorum infenerit olim
Natura, an etiam consuetudo mala, namque
Neglectis vrenda filix inuascitur agris.*

Finis quartæ Satyræ.

ANTONII FOQUELINI
VEROMANDVI
in quintam Persij Satyram
COMMENTARIUS.



QUINTA Satyra Stoicam habet de vera libertate & seruitute disputationem: qua omnes cupidi & libidinosi, serui: omnes sapientes liberi esse demonstrantur: vt apud Ciceronem 5. Paradox. Scribitur autem ad Cornutum philosophum Stoicum eiusdem opinionis & sententiæ assertorem grauisimum, cuius opera Persius in philosophia usus fuerat, & quem studiosissime semper coluerat. itaque expositis initio voluntatis ac potius pietatis erga illum suæ causis, institutione puerili, doctrina, familiaritate, constellatione, philosophiæ studio, adolescentes ad sapientiam adhortatur: cuius comparandæ rationem ex efficiente causa describit, id est vera animi libertate: vnde paulatim captata occasione descendit ad institutam de vera libertate disputationem. Incipit autem à muta quadam & obliqua optatione per similitudinem, cuius protasis sola adhibetur, facilius tamen intelligi poterit, si plena antapodosis subijciatur hoc modo: quemadmodum

dum poetæ, si quando in difficilem & nodosum locum inciderint, exclamant sibi que centum ora centumque voces dari postulant: sic ego mihi hoc tempore. Protasis ex vario fine declaratur.

VAtibus hic mos est, centum sibi postulare voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum
Fabula seu mæsto ponatur hianda Tragædo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.

Mos est) Sic Ouidius 2. Fast.

*Nunc mihi mille sonos quoque est memoratus Achilles
Vellem Maonide pectus inesse tuum.*

Virgilius sexto Æneidos:

*Non mihi si linguæ centum sint ora que centum
Ferre vox, &c.*

Centum) Epanodos.

Ponatur) Sic antea ponere pro describere, Sat. 1.
Nec ponere lucum

Artifices.

Hianda) Iuuenalis Satyra septima:

Grande Sophocleo bacchamur carmen hiatu.

Vox enim & pronuntiatio rebus conuenire debet, quæ cum graues, tristes & calamitosæ in Tragædijs tractentur, hiare dixit pronuntiare, quia varios hiatus, clamores, & lamentationes Tragædia capiat: sic Ouid. in Tristibus:

*Et dedimus Tragicis sceptrum regale coturnis,
Quæque grauis debet verba, coturnus habet.*

Est enim tragædia heroicæ fortunæ in aduersis declaratio: vnde petenti cuidam principi ab Euripide vt de se Tragædiam scriberet, imò verò Deos rogo (respondit) ne quid tibi vnquam tragædia dignum contingat.

Vulnera seu) Metonymia quarti modi, vulnera pro bello vbi vulnera inferuntur & accipiuntur.

Parthi) Ferocissimi in oriente populi à Scythijs oriundi. Ouid. 5. Fast.

Gens fuit & campis, & equis, & tuta sagittis:

*Et circumfusus in uia fluminibus.
Addiderant animos Crassorum funera genti,
Cum perijt miles signaque, duxque simul.*

Synecdoche igitur est: Parthi enim pro bellicosissimis hominibus ponuntur, nisi malis ad historiam referre: nam cum recens adhuc esset mo-

moria Parthorum ab Augusto deuietorum, credibile est multos poetas in eo bello describendo intentos fuisse, crebrisque inuocationibus Musarum auxilium ad virtutem Augusti Cæsaris explicandam implorasse: quales sunt apud Virgil. in *Aeneid.*

Musa mihi causas memora.

Item: *Vos ô Calliope, &c.*

Item: *Pandite nunc Heliconâ, &c.*

Ferrum) Synecdoche quoque est: ferrum enim pro ferratis sagittis aut sagittarum mucronibus ponitur. Sagitta enim excellunt Parthi, qua fugientes non minorem hostibus plagam & calamitatem, quam stantes inferunt: vnde Parthorum bellum fugax à Lucano appellatur. Virg. 3. *Georgic.*

Fidentemq; fuga Parthum versisq; sagittis.

Ouidius quinto *Fastorum*:

Quid tibi nunc solitæ mitti post terga sagittæ?

Quid loca? quid rapidi profuit usus equi?

*Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, vt par sit centeno gutture niti?*

Grande locuturi, nebulas Helicone legunt

*Si quibus aut Prognés, aut si quibus olla Thyestæ
Feruëbit, sæpe infulso cœnanda Glyconi.*

Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,

Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus.

Nescio quid tecum graue cornicaris ineptè,

Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.

Verba togæ sequeris, iunctura callidus acri

Ore teris modico, pallentes radere mores

Doctus & ingenio culpam defigere ludo.

Hinc trabe quæ dicas, mensamque relinque Mycenis

Cum capite, & pedibus, plebeiaq; prandia noris.

Quorsum hæc) Prolepsis est per Cornuti prolepseam: Occupat enim quæ sibi Cornutus contra huiusmodi optationem obijcere potuerit ex dissimilibus: cum non fabulas aut turgida poemata, sed placida philosophicaque scribas, cur tot voces & ora concedi tibi potestas? Protasis præcedit.

Offas

Offas) Offa quicquid intumescit appellatur (ait Baptista) vnde frusta esculenta offæ dicuntur, quia superinducto iure tumescant. Hinc per Metaph. poemata inflata & turgida, in quibus maior soni & concinnitatis quam subiectæ sententiæ ratio habetur, offæ appellantur: qualia ridentur 1. Sat. ad hunc locum:

Torua mimalloneis implerunt cornua bombis, &c.

Grande locuturi) Protasis dissimilitudinis ironica permissio illustrata. sic 1. *Satyra*:

Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber,

Grande aliquid, &c.

Nebulas) Fabulosas musas nebulis similes, quas passim in re facilima vani poetæ inuocant: vnde est illud in præfatione:

Heliconidas pallidamque Pyrenem

Allis relinquo, quorum.

Musas enim poetis inuocare non licet, nisi in summa rei obscuritate & difficultate, vt præcipit Horatius in *Arte*:

Nec deus interfit nisi dignus vindice nodus.

Si quibus) Id est, si cui *Tragœdia Prognés* aut *Thyestis* describenda sit, quam Glyco *Tragœdus* agat in theatro. cuiusmodi fabularum scriptores ridet *Martialis* lib. 10.

Qui scribis Oedipodem caligantemque Thyestem,

Colchidas, & Scyllas, quid nisi monstra legis.

Quid de vana iuuant miseræ ludibria chartæ?

Hoc lege quod possis dicere iure, meum est.

Prognés) Quæ vt vim sorori *Philomelæ* à marito suo *Tereo* turpi-ter illatam vindicaret, *Ichim* filium ei in cœuiuio apposuit, quam cum districto ense persequeretur, *Tereus* in vupam, *Progné* in hirundinem, *Ithis* in phasianum, *Philomela* in lusciniam commutati esse dicuntur: vide *Ouidi.* 6. *Metamorph.*

Thyestem) *Thyestes* *Pelopsis* & *Laodamiæ* filius *Europam* fratris *Atrei* uxorem adulterio polluit, in cuius sceleris ultionem *Atreus* *Tantalum* *Thyestis* filium in epulis patri apposuit: quod cum molestissime ferret *Thyestes*, intellexit alio scelere posse facinoris illius ultorem nasci, si cum *Pelopeia* filia congrederetur. quod cum fecisset, natus est *Ægistus*, à quo tandem & *Atreus* & *Atrei* filius *Agamemnon* est interfectus. Hanc fabulam scripsit *Varius*, scripsit *Seneca*, & *Cassius* *Hetruscus* *Parmensis*.

Glyconi) *Glycon* nomen fuit *Tragœdi*, aliàs etiam gladiatoris apud *Horatium* 1. *Epistola*:

Et quia desperes inuicti membra Glyconis.

Tu neque) *Antapodosis* dissimilitudinis, quæ alio dissimili amplificatur. sic *Martialis* lib. 1.

A nostris procul est omnis vesica libellis

Musa nec infano surnate nostra tumet.

Coquitur dum massa) Allegoria est à fabris ferrarijs, vt enim cum fer-
rum igne molliunt, ventos follibus exceptos efflant & effundunt: sic
poetæ cum poema aliquod vanum describunt, fabulas animo conce-
ptas euomunt. Sic Horat. i. Serm. Sat. 4.

*At tu conclusas hircinis follibus auras,
Vsq; laborantes dum ferrum molliat ignis,
Vt maui imitare.*

Murmure) Sic antea de philosophis Satyra 3.

Murmura cum secum & rabiosa silentia rodunt.

Cornicaris) Metaphora à Cornicibus, quæ spatiantes nescio quid
semper crocitant. de quibus sic Virg. i. Georgic.

*Tu quoque cornix plena pluuiam petit improba voce,
Et sola in sicca secum spatiat arena.*

Scloppo) Scloppus fictitium nomen est, quo sonus ille & strepitus
significatur, qui emittitur à buccis inflatis vt quadam compressis.

Verba togæ) Metonymia adiuncti pro subiecto, toga pro pace. To-
ga enim veteres pacis tempore vsi sunt: vnde Romanorum gens to-
gata dicta: belli verò tempore chlamydem induebant. Cicerò in
suis temporibus:

Cedant arma togæ concedat laurea lingue.

Iunctura) Allegoria à marmorarijs qualis tuit antè Sat. 1.

Et por leue seueros

Effundat iunctura vngues.

Pallentes) Mores pallentes pro vitijs metonymicòs dixit, effectum
pro causa: nec enim pallidi sunt, sed pallefcere hominem cogunt,
cum perstringitur. Iuuenal. Sat. 1.

*Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa.*

Radere) Id est perstringere & notare. Sic Sat. 1.

*Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas.*

Doctus) Sic ante 1. Satyra de Horatio:

*Omne vafer vitium videndi Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit.*

Ingenuo ludo) Id est, ingenue, liberaliter, non rusticè & procaciter.

Hinc trabe) Illustratio eiusdem antapodoseos, item ex dissimili.

Hinc) Ex corruptis & deprauatis hominum moribus: hoc enim
est proprium subiectum Satyræ, vt docet Iuuenalis Sat. 1. vbi cur se ad
Satyram scribendam contulerit, docet his versibus:

*Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus eques Aruncæ flexit alumnus,
Si vacat & placidi rationem admittitis, edam.
Cum tener uxorem ducat Spado, Mentia Tbu, cum*

Figat

*Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.
Patritios omnes opibus cum prouocet vnus,
Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat:
Cum pars Niliacæ plebis, cum verna canopi,
Crispinus Tyrias humero reuocante lacernas
Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ
Difficile est Satyram non scribere.*

*Mensa*que) Metonymia subiecti pro adiuncto: mensa pro con-
uiujs cruentis & sanguinolentis, vt Thyestis & Terei, quæ in mensis
celebrata fuisse feruntur.

Mycenæ) Mycenæ ciuitas Laconicæ, de qua Strab. lib. 8. sic dicta, vt
ait Porphyrius in 2. Iliad. à Mycena Laconica nympha. in ea vrbe
regnauit Agamemnon. Virgil. 6. Æneid.

Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenæ.

Plebeia prandia) Id est, describe ea quæ pertinent ad mores & vi-
tam conformandam. Nam domi (vt ait Hom.) καλον ἢ ἀγαθόν τε τίτληται,
id est, agitur prauumque bonumque. Sic Martialis bonum poema
definit, in quo

Agnoscat mores vita, legatque suas.

*Non equidem hoc studeo, bullatis vt mihi nugis
Pagina turgescat: dare pondus idonea fumo,
Secreti loquimur. tibi nunc hortante camæna
Excutienda domus præcordia, quantaque nostræ
Pars tua sit Cornute animæ, tibi dulcis amice.
Ostendisse iuuat: pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepet, & pictæ tectoria lingue
Hinc ego centenas ausim deposcere voces.
Vt quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.*

Non equidem) Respondet ad proximam Cornuti obiectionem Per-
sius, vbi optationis suæ finem consiliumque aperit ex dissimilibus:
non peto centum mihi ora centumque voces dari, vt fabulas & vana
quædam conscribam poemata, sed vt possim meum animum erga te
testari, & oratione exprimere: Protasis præcedit.

Bullatis) Inflat. & turgidis leuissimo quodam vento, vt bulla, de qua ante diximus. 2. Sat. Ouidius:

Intumuit fuluo sicut perlucida celo.

Surgere bulla solet.

Et Martial. *Crasior offensæ bulla tumescit aquæ.*

Pagina) In qua versus panguntur & exarantur (ait Festus).

Dare pondus) Sic Martialis in inepti Poetæ carmina:

Materia est mihi crede tuis aptissima chartis

Deucalion, vel si non placet his, Phaethon.

Secreti loquimur) Ratio protaficos ex dissimili.

Tibi nunc) Antapodosis dissimilitudinis. efficiente caussa illustratur.

Excutienda) Id est examinanda & inspicienda. Metaphora à rebus corporatis.

Præcordia) Metonymia tertij generis: præcordia pro animo, quem vulgus in præcordijs habitare censet: vnde illud Momi celebratur, qui fenestras in hominum pectore desideraret, vt sibi inspicere liceret, quidnam in illis latebris reconditum esset. Nam in amicitia (vt ait in Lælio Cicero) nisi (vt dicitur) apertum pectus videas, tuumque ostendas, nihil fidum.

Cornute) Cornutus Stoicus philosophus à Nerone quarto post Persij mortem anno in exilium pulsus.

Anima) Amicorum enim vna dicitur in diuersis habitare corporibus anima. Vnde vulgatum illud est Ouidij de Oreste & Py-lade carmen.

Qui duo corporibus mentibus vnus erant.

Horatius ad nauem littore soluentem de Virgilio loquens l. Carm.

Et serues animæ diuidium meæ.

Pulsa) Declarat singulare suum in Cornutum præceptorem studium & amorem: eumque testimonio ipsius Cornuti confirmat. Nam ex hoc loco sunt ista, cum contradicentem iubemus experiri: vt apud Ouidium 2. Metamorph.

Aspice vultus.

Ecce meos vtinamque oculos in pectore posses.

Inferre, & patrias intus deprehendere curas.

Vtrobique autem est permissio.

Solidum crepet) Allegoria est ab ijs, qui sono fictilium integritatem & bonitatem prætantant & explorant. sic antea 3. Satyra:

Sonat vitium percussa malignè,

Respondet viridi percussa fidelia limo.

Sic Virgilius de viro bono:

Nec inania subtus

Indicet, admotus digitis pellentibus ictus.

Picta testoria) Metaphora est à partibus, qui cum veteres sunt, rectorio

rectorio iniecto & noua adhibita incrustatione noui videntur. Sic Iuuenalis Sat. 6. de muliebribus fucis loquens:

Tandem aperit vultum & testoria prima reponit.

Vide Budæum in Annotat. in Pandect. in leg. quod si seruis: parag. primo de in rem versa.

Hic ego) Finis optationis hic apertius repetitur, cuius illustratio ex dissimili præcessit.

Sinuoso) In quo multi sunt recessus, multæque latebræ: vt homines sæpe aliud in ore promptum, aliud in pectore reconditum habeant: Metaphora est à vestibus aut fluminibus.

Trabam) Metaphora à puteis, ex quibus vt aqua trahitur & hauritur, sic ex pectore oratio. Cicero 2. de Natura deorum: atque etiam ex puteis iugibus aquam trahi.

Resignet) Metaphora à literis & epistolis, quæ resignari, id est signo resolutio aperiri propriè dicuntur. Plautus in Trinummio:

Iam si obsignatas non feret, dici hoc potest, apud

Portitorem eas res resignatas tibi inspectasque esse.

Fibra) Metaphora ab arborum radicibus.

*Cum primum pauido custos mihi purpura cecit
Bullaque succinctis laribus donata pependit:
Cum blandis comites, totaque impune suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo:
Cumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,
Nec tibi supposui: tenexos tu suspicis annos
Socratico Cornute sinu: tunc fallere solers:
Apposita intortos ostendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.*

Cum primum) Hactenus præfatio & prolusio: quædam fuit ad sequentem Satyram, deinceps amoris in Cornutum caussæ explicatur. Prima est institutio & informatio puerilis, quæ adiunctis Persij declaratur.

Purpura) Synecdoche est, purpura nempe pro prætexta, cui purpura prætebatur: vnde vestis illa prætexta dicebatur, quam cum lictoribus & sella curuli ab Hetruscis translata Romæ reges aliquan-

do vsi sunt. Vide Macrobius libro primo. Traducta est postea ad pueros, cuius rei author memoratur fuisse Tarquinius priscus, qui aurea bulla & purpurea prætexta filium suum, qui in bello Sabino primus in hostes impetum fecerat, donauit (ait Plinius lib. 33. capite primo. cuius exemplum secuti principes Romani, prætexta liberos suos donauerunt, qua ad annum vsque decimum quartum vterentur. Martialis :

*Tu mihi simplicibus Manni dilectus ab annis
Et prætextata cultus amicitia.*

Bullaque) Bulla, prophylacion seu catena quædam fuit, quæ ex puertorum collo dependebat, ingenuis & liberis aurea vel argentea, feruis verò scortea, sic dicta (vt aiunt) à nomine βουλή, id est consilium, quod hæc ætas alterius consilio regi debeat: hanc Bullam pueri prætextam deponentes, & virilem togam assumentes, dijs laribus vouebant, quemadmodum puellæ suas puppas Veneri: de quibus 2. Sat.

Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Ad quam consuetudinem alludens Horat. 5. Sat. 1. Seru.

Donasset iamne catbenam.

Ex voto Laribus querebat.

Laribus) Lares dij domestici, Penates etiam dicti & Præstites, qui ab antiquis, teste Plauto, in canis figura colebantur. Plutarchus in Problem: Cur (inquit) Laribus (quos propriè Præstites vocant) canis assistit. Ipsi autem Lares canum vestibus vestiuntur: idem & Macrobius scribit. Causam autem explicat Plutarchus his verbis: Atque ideò valde considerandum puto, quid Cornutus siue Probus Grammaticus in Persij Satyris voluerit, cum scribit succinctis Laribus (inquit) quia Gabino habitu cynonia, id est canina pelle dij Penates formabantur, obuoluti toga supra humerum sinistrum, & sub dextro. Ouid. 5. Fast.

Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem

Stabat, quæ standi cum Lare causa fuit?

Seruat vterque domum, domino quoque fidus vterque est,

Compita grata Deo, compita grata cani.

Exagitant & Lar, & turba Diania fures,

Peruigilant & Lares, peruigilant & canes.

Vide Larium fabulam apud Ouid. 2. Fast. Solebant autem pueri cum bullas deponerent, eas Laribus suspendere. Vnde Propert. lib. 4.

Mox vbi bulla rudi demissa est aurea collo,

Matris & ante deos libera sumpta toga est.

Suburra) Suburra Romæ vicus à meretricibus cultus. Martialis lib. 6.

Famæ non nimium bonæ puellam

Quales in media sedent suburra

Vendebat modò præco Gellianus.

Permissit) Id est (vt ait apud Terentium Simo de Sofia) postquam ex ephebis excessit, liberiorque viuendi potestas fuit.

Candidus vmbo) Vestis pura & candida, quam adolescentes tyrocinij die inducebant, quæ à forma vinbonis & clypei (qui rotundus esse solet) vmbo dicitur. Hanc Cicero appellat togam puram. Scribit enim ad Atticum in tyrocinio filij Ciceronis togam se illi puram dedisse Arpini: vel vmbo vestis huiusmodi appellatur, quia fit velut vinbonis & clypei loco aduersus acerbiores & grauiores pædagogorum reprehensiones & castigationes: vide Cælius Rodiginus libro 14. capite decimo sexto.

Cumque ita) Amplificatio primæ causæ amoris in Cornutum ex adiunctis, vbi elegans est allegoria à viatoribus: qualis est apud Ouidium initio quinto Fastor.

Vt stat & incertus quæ sit sibi nescit eundem,

Cum videt ex omni parte viator iter.

Huiusmodi autem allegoria de genere vitæ deliberandi difficultas declaratur: ineunte enim adolescentia, cui inest maxima consilij imbecillitas, tunc id sibi quisque genus ætatis degendæ constituit, quod maxime adamauit. Itaque Herculem (vt ait 1. Officior. Cicer.) Prodicum ferunt, cum primum pubesceret (quod tempus à natura ad deligendum quam quisque viam viuendi fit ingressurus datum est) existisse in solitudinem, atque ibi sedentem secum diu multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi esset melius. Vide Virgilium in litera Pythagoræ.

Ramosa in compita) Metaphora ab arboribus, qualis fuit antè Sat. 3. de litera Pythagoræ:

Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos,

Surgentem dextro monstrauit limite callem.

Teneros annos) Metonymia adiuncti pro subiecto. Teneri enim anni pro Persio in teneris annis & ætate tenera constituto dicuntur.

Socratico sinu) Allegoria est à matribus, quæ vt suos liberos in sinum recipiunt, sic philosophia sui studiosos in disciplinam capit. Ea enim mater est bonarum artium, nec quicquam aliud (ait Plato) nisi bonum & inuentum Deorum, sic Cicero homines feros in gyrum rationis deducendos monet 1. Offic.

Socratico) Morali philosophia: cuius parens & author videtur fuisse Socrates. Nam ante Socratem numeri tantum motusque tractabantur, & vnde orientur omnia, quoque reciderent, studiosè ab his syderum magnitudines, interualla, cursus inquirebantur, & cuncta cœlestia. Socrates autem primus philosophiam deuocauit è cælo, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita & moribus rebusque bonis & malis quærere (ait Cicero quarta Tuscul.) Cum enim animaduerneret rerum naturalium scientiam non magnoperè ad bene vi-

uendum prodesse, primus philosophiam de moribus induxit, quàm cum in officinis, tum in publicis locis profiteretur, admonebat ea esse quærenda, quæ mores formarent, quæq; ad domesticas utilitates necessaria: effent ait Diog. Laer. in eius vita.

Solers fallere) In fallendis & inescandis puerorum animis, paruisq; muneribus ad studium bonarum artium excitandis. De quo vide Quintil. lib. 1. cap. 3. Horatius:

Olim pueris dant crustula blandi

Doctores, elementa velint ut discere prima.

Apposita) Allegoria est à fabris ducta, qui ut linea & amussi ad ligna rectè secanda vtuntur, sic præceptis & doctrina præceptores ad informandos & instituendos puerorum animos. Eodem alludit Virgilius, cum ait:

Nihil ut deliret amussis.

Similis & illa fuit Satyra prima:

Scit tendere versum,

Non secus ac si oculo rubricam dirigat vno.

Ratione animus) Cupiditas: nam cum duæ partes animorum sint, vna in appetitu, quæ Græcè ὄρεσις, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione. appetitus rationi obsequi debent, ait 1. Offic. Cicero & 2. Tuscul. Hæc ut inferuiat illi parti cui obedire debet, velut seruo dominus, velut imperator militi, videndum est. Horat. 1. Epist.

Animum rege, qui nisi pareat,

Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catenis.

Ouidius lib. 1. de Remedio amoris:

Impatiens animus nec adhuc tractabilis arte

Respuat, atque odio verba monentis habet.

Vincique laborat) Quemadmodum enim equi generosi frena habent, inter dum etiam fessorem detrectant: sic animus noster ratione compesci se & donari non sinit, quauis bellua intractabilior (vt ait Plato) quem qui in iuuentute domuerit, multa reportabit bona. Plautus in Trinummio:

Qui homo cum animo inde ab ineunte etate depugnat suo,

Vtrum id itane esse mauclit, vt eum animus equum censeat,

An ita potius, vt parentes eum esse & cognati velint:

Si animus hominem perpulit, actum est: si animo seruiuit, non sibi:

Si ipse animum perpulit, dum viuuit victor victorum cluet,

Tu si animum vicisti, potius quàm animus te, est quod gaudeas.

Artificemque) Allegoria est ab artificibus, qui cereas formant imagines, quibus vt quamlibet formam & speciem inducunt, propterea quod mollis est & flexibilis: sic præceptores puerorum animis quoslibet mores possunt imprimere, qui si malè morati euadunt, id primæ ætatis formatoribus imputandum fuerit. Horat. lib. 1. Epist.

Fingit equum tenera docilem ceruice magister.

Ire

Ire viam, qua monstrat eques venaticus ex quo

Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,

Militat in syluis catulus: nunc adhibe puro

Pectore verba puer, nunc te melioribus offer,

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem.

Testa diu.

Videtur autem hæc allegoria sumpta esse ex 3. Platonis de Repub. vbi ait Socrates, institui oportere hominem ab adolescentia, vt officiosus adolescat, & his gaudeat quibus gaudendum est, & doleat quibus est dolendum: formatur enim disciplinæ tenera ætas, vt cera manu artificis. Huc illud pertinet Iuuenalis Satyra septima, cum ait, de magistris loquens:

Exigite vt mores teneros ceu pollice ducat,

Vt si quis cera vultum facit, exigite vt sic

Vt pater ipsius cætus, ne turpia ludant.

Tecum etenim longos memini consumere soles,

Et tecum primas epulis decerpere noctes.

Vnum opus, & requiem pariter disponimus ambo,

Atque verecunda laxamus seria mensa.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo

Consentire dies, & ab vno sydere duci,

Nostra vel equali suspendit tempora libra

Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora,

Diuidit in geminos concordia fata duorum,

Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus vna:

Nescio quid certè est, quod me tibi temperat, astrum.

Tecum enim) Secunda causa amoris Persij in Cornutum ex consuetudine, familiaritate, & similitudine studiorum atque operum: nihil est enim quod tam attrahat & alliciat ad amicitiam, quàm similitudo, qua fit vt bonos boni diligant, ascendantque quasi sibi propinquitate coniunctos atque natura. Nihil est enim appetentius similitudinem sui, nihil rapacius, quàm natura. Cicero in Lælio.

Memini) Memini cum præsentis infinitiui ferè semper construi notat Nebricensis: vt apud Virg. 1. Ecloga:

De cælo tactas memini prædicere quercus.

Aliquando etiam cum præterito eiusdem modi: idem 4. Georgic.

*Namque sub Oebaliae memini me turribus altis
Corycium vidisse semen.*

Soles) Metonymia causæ pro effectu: qualis est apud Virgil.
Tres adeo incertos caeca caligine soles.

Id est dies: Sol enim diem reducit, quem suo lumine efficit.

Primum opus) Sic Virgil. 4. Georgic.

Omnibus una quies operum, labor omnibus idem.

Mensa verecunda.) Metonymia subiecti pro adiuncto. Mensa enim verecunda pro sermonibus honestis & verecundis, qui in mensa haberentur, ponitur, quales describuntur à Gellio lib. 13. capite vndecimo, cum ait ex Varrone: Sermones igitur id temporis habendos censeat, non super anxijis aut tortuosis, sed iucundos aut imitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate vtilis, ex quibus ingenium nostrum fiat venustius & amoenius, quod profectò eueniet, si de rebus ad communis vitæ vsum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque agendis negotijs non est otium loqui, cuiusmodi sunt ea, quæ apud Athenæum leguntur.

Non equidem) Tertia eiusdem amoris in Cornutum causa, eaque naturalis, quæ Cornuti testimonio comprobatur.

Vno sydere) Astrologi inferiora corpora à superioribus, id est syderibus & planetis regi credunt. Itaque cum singulorum sit vis quædam atque facultas, eos qui sub eodem sydere eodemque die nati sunt, iisdem inter se & animi & corporis qualitatibus & affectionibus præditos putant: vnde Manil.

Fasta quoque et vitas hominum suspendit ab astris.

Vide Censorium in Natalibus: quod tamen Persius ridet 6. Satyra ad illum locum:

Geminos Horoscope Varo, etc.

Productis genio.

Parca) Parca à Græcis *μοῖρα* & *αἰσα* dicitur, aliquando etiam *ειμαρμένη*, à Latinis Fatum, vel Parca per antiphrasim (ait Seruius) quod nemini parcat. quam triplicem faciunt, Clotho, Lachesis, Atropos, quas Martianus scribas & librarias superum vocat: quarum nomen & fufus, & glomeratum in eo filum, inuitabilem causarum determinationem indicat. Hinc Plato decimo de Republic. eas necessitatis filias esse fingit, quæ æquali intervallo in throno sedent vestibus albis, capite coronato, & ad Syrenum harmoniam canentes. Lachesis quidem præterita, præsentia Clotho, Atropos verò futura. Hesiodus verò Nocte & Hærebo natus Parcas esse cecinit, propter occultam & abditam vim fatorum. Lycophronæ maris puellas dixit, obferam & immitem fatorum legem. Has antiqui effingebant a nus specie, niueis velleribus redimitas, quibus & Narcissum attribuebant florem. quod potest intelligi ex Catullo, in epithalamio Thetidis & Pelei.

Chira

Cum interea infirmo quatientes corpora motu

Veridicos Parca caperunt edere cantus:

His corpus tremulum, complectens vndique vestis

Candida, purpurea talas incinxerat ora:

Et roseo niuea residebant vertice vitæ,

Æternamque manus carpebant ritè laborem.

Laeva colum molli lana retinebat amictam:

Dextera tum leuiter deducens fila supinis

Formabat digitis, tum prona in pollice torquens,

Libratum tereti versabat turbine fufum.

Quibus figmentis & fabulis veteres & philosophi & poetæ significauerunt, quicquid accideret, id ex fatali quadam necessitate causarumque continuatione fluere. Cicero in Fato, & 1. de Nat. deorum.

Libra) Libra (vt ait Higinus) dimidia est pars Scorpionis, ad quam cum Sol peruenit, æquinoctium est Autumnale. Virgil. 1. Georg.

Libra diem somnique pares ubi fecerit horas.

Duorum) Id est geminorum, Castoris & Pollucis. Catullus:

Seque dedicat tibi Gemelle

Castor, & Gemelle Castoris.

Fuerunt autem Iouis ex Læda filij, qui regnum æquissimis animis summa concordia temperarunt & administrarunt, tantaque inter se coniuncti amicitia vixerunt, vt cum Iuppiter Polluci optionem dedisset, vtrum immortalitate solus vti vellet, an eam cum fratre communicare, maluit cum fratre æternis viuere: proinde nunc Castor, nunc Pollux & contrà apparere videntur. Hinc eos Homerus *ἰτεριμύχοις* vocat, Pindarus *πέρ' ἀμαρ*, hoc est per diem, vel interdium: prope Terapnes domos nunc in aula Iouis viuere in Pythijs dixit. Hinc illud est, quod hoc loco Persius se vi quadam diuina & necessaria ratione Cornuto amicum esse dicit: quia sub geminis Castore & Polluce (qui amicitiam inter se fraternam constantissimè coluerunt) natus fuerit.

Saturnumque grauem) Saturnus summus planeta, qui & *φαιωπ* dicitur, & triginta annorum spatio proprio motu conuersionem suam peragit, natura frigidus & siccus, ideoque malignus & grauis hoc loco appellatur, à P'inio verò maleuolus, naturæ rigentis & gelidæ, nec hominum generi frigiditate sua minus noxius, quam calore Mars. Ouidius in Ibis:

Te fera nequicquam placidum splendentia Martis

Sydera præserunt, falciferique senis.

Ioue) Cuius signum atque sydus hominibus salutare est. Cicero in Somnio: Deinde est hominum generi prosper & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis: Ouid. in Ibis:

Natus es infelix, ita dii voluere, nec vlla

Commoda nascenti stella leuisque fuit.

Non Venus affulsit, non vlla Iuppiter hora
Horatius secundo Carminum, Ode. 17.

Te Iouis impio

Tutela Saturno refulgens

Eripuit.

Significat igitur hoc loco Persius, vt & proximo Horatius, si quid mali & inauspicati malignitate sua illaturus fuerit Saturnus, id omne Iouis benignitate temperari: animus enim noster à summo cœlo per omnes planetarum globos delapsus, à singulis variè afficitur, velut aqua à terris, quas præterfluens alluit: de quibus vide Censorinum in diè natali.

Temperat astrum) Sic Horatius 2. Carm. Od. 17.

Seu libra, seu me scorpium formidolosus

Pars violentior natalis horæ:

Seu tyrannus hesperie capricornus vndæ

Vtrumque nostrum incredili modo

Consentit astrum.

Mille hominum species, & rerum discolor usus.

Velle suum cuique est, nec voto viuunt vno.

Mercibus hic Italiam mutat sub sole recenti

Rugosum piper, & pallentis grana cumini:

Hic satur irriguo mauult turgescere somno:

Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille

In Venerem est putris, sed cum lapidosa chiragra

Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,

Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem,

Et sibi iam seri vitam ingenuè relictam.

At te nocturnis iuuat impallescere chartis:

Cultor enim iuuenum purgatas inseris aures

Frugæ Cleomea: petite hinc iuuenesque senesq;

Finem animo certum, miserisq; viatica canis.

Mille hominum) Quarta causa amoris in Cornutum ex eius effectis tumitur, quia philosophiæ incumbat, & iuuentutem præceptis institutisque philosophiæ informet & instituat: idque per dissimilitudinem tractatur, cuius protasis distributione hominum ex subiectis circa

etis circa quæ occupantur, illustratur. Similis est illa apud Cicero- nem in Fato: At enim quæ in naturis hominum dissimilitudines sunt: vt alios dulcia, alios subamara delectent: alij libidinosi, alij iracundi, aut crudeles, aut superbi sint: alij talibus vitij abhorreant? Quoniam igitur (inquit) à natura tantum natura distat, quid mirum est has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?

Mille hominum) Protasis dissimilitudinis & generalis propositio proximæ distributionis.

Species) Sic Ouidius 1. Artis:

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figura,

Qui sapit innumeris moribus aptus erit.

Huc pertinet proverbium: Quot capita tot sensus: quot homines tot sententiæ. Horatius:

Quot capitum viuunt tot studiorum millia.

Item: *Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur,*

Poscentes vario multum diuersa palato,

Homerus Odyss. 5.

Ἄλλοι δὲ ἄλλοισιν αἰεὶ ἐπιπείρουσι ἔργα.

Id est: Nam alijs alia res arridentque placentque.

Virgilius tertia Ecloga:

Trahit sua quemque voluptas.

Mercibus) Sic Horatius Sat. 4. libro primo:

Hic mutat merces surgente sole ad eum, quo

Vespertina tepet regio.

Mutat) Quæ mercaturæ exercendæ veteris fuit ratio, vt quoniam non omnis fert omnia tellus, regionum sterilitas & infœcunditas rerum permutatione sarciretur. Virgilius 4. Ecloga:

Nec nautica pinus

Mutabit merces, &c.

Rugosum piper) De pipere vide Plinium lib. 12. cap. 7. Rugosum autem appellatur, quia ex filiquis in quibus nascitur non prius excutitur, quam illas sol exiccauerit & rugosas fecerit.

Cumini) Cuminum herba, vulgo *du Coumin*, cuius grana sumentibus pallorem inducunt, ait Plinius libro 20. capite 14. idque exemplis approbat.

Pallentis) Metonymia effectus pro causa. sic Horatius epistola penultima libro 1. contra stultos imitatores:

quod si

Pallerem casu, biberent ex angue cuminum.

Est autem hoc loco synecdoche: per aliquot enim species genus significare voluit, id est, aromata & cætera eiusmodi, quæ in oriente oriuntur.

Irriguo) Irrigante & humectante humana corpora. Virgilius primo Æneidos:

*A. Venus Afcanio placidam per membra quietem
Irrigat.*

Ouidius: *Somme quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui fessa diurnis
Membra ministerijs mulces reparasque labori.*

Hic campo) Metonymia est subiecti pro adiuncto: Campus Martius pro honoribus, quos populus Romanus per suffragia demandabat candidatis in campo Martio, vel pro ludis & certaminibus, quibus pueri Romanorum exercebantur in campo Martio trans Tyberim, qui cum Tarquiniorum fuisset, ijs pulvis Marti consecratus est.

Alea decoquit) Ludus aleæ, qui sordidus est, & legibus Romanis interdictus. Hinc illud est quod Lenticulam Antonij collusorem de alea damnatum fuisse ait in Antonium Cicero. de alea vide Aristotelem quarto Ethicorum: sic Horatius libro primo epist. 18.

Quem damnosa Venus quem præcepit alea nudat.

Decoquit) Decoquere cogit: vnde decoctores dicti, quibus lege Roscia locus erat ab alijs seiunctus in Theatro. Cicero 2. Philip. Teneſne memoria, te mecum decoxiſſe? Est autem Metaphora sumpta ab ijs, quæ dum coquantur, minuuntur, vt apud Virg.

Et dulcis musti Vulcano decoquit humorem.

Venerem) Metonymia terrij generis: Venus enim pro voluptate corporis, cui præest, ponitur, vnde à meretricibus colebatur. Ouidius 4. Fastorum:

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ

Multa professorum quæstibus apra Venus.

Chiragra) Dolor in articulis digitorum, qui in manibus chiragra, in pedibus podagra dicitur. Martialis lib. 1.

Litigat & podagra Diodorus Flacce laborat,

Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.

Lapidosa autem dicitur propter tumores, qui in modum lapidis indurantur: Nodosa ab Ouidio & Horatio appellatur.

Fregerit articulos) Sic Horatius 2. Sermon. Satyra 7.

Scurra Volaneriſtus postquam illi iuſta chiragra

Contulit articulos.

Hic autem morbus ex nimis frequenti coitu & Venere solet accidere.

Veteris) Brevis similitudo, cum chiragra articulos omnes ita exiccauerit & arefecerit, vt solent rami veteris fagi exiccari & in utiles reddi: hominem enim veteres arboris inuersæ speciem referre crediderunt, cui pili essent pro fibris, brachia & pedes pro ramis, corpus pro trunco.

Fagi) Fagus (vt ait Plin.) arbor est, cuius glans muribus & turdis est gratissima, sic dicta ἄρτος φαγέω, id est à comedendo, quia ante repertas fruges homines glandibus vescerentur.

Lucemque

Lucemque palustrem) Turpem, obscenam, cœnosam, & in voluptatibus traductam: vbi Meton. est adiuncti pro subiecto, lux pro vita.

Seri) Nomen est pro aduerbio, seri pro sero & tarde: Serò enim sapiunt Phryges, vt in equo Troiano inscriptum fuisse memoriæ proditum est.

In gemuere relictam) Sic apud Virgilium Euander:

Tuque o sanctissima coniunx

Felix morte tua neque in hunc seruata dolorem,

Contra ego viuendo vici mea vota, superstes

Restarem vt genitor miser.

At te) Antapodosis dissimilitudinis, effectus & adiunctis. Cornuti confirmata, quod sit iuuentutis informator, eamque præceptis philosophicis instituatur, & bonis moribus imbuat: qua in re quantum profint reipublicæ doctores & magistri, declarat Cicero 3. de Diuinatione, cum ait: Nullum munus Reipub. afferre maius meliusue possumus, quam si doceamus atque erudiamus iuuentutem, his præsertim temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrigenda atque coercenda sit. Iuuen. 7. Satyra:

Dij maiorum vmbriſtenuem & sine pondere terram

Qui præceptorem sacri valere parentis

Esse loco.

Impalleſcere) Studio enim pallor contrahitur: vnde Iuuen. Sat. 7.

Tunc vtile multæ

Pallere, & toto vinum nescire decembri.

Vnde pallida Pyrene dicitur in prologo.

Inferis) Allegoria est à syluestribus arboribus, quibus generosa- rum arborum surculi inferuntur. Virgil. Ecloga 1.

Inſere nunc Melibæe pyros, &c.

Purgatas) Quemadmodum in agris prius arandum, pastinandum, eruncinandæ herbæ, remouendi lapides, noxia denique satis detrahenda omnia quam semina terræ mandentur: sic ex animis hominum extrahenda prius stirpitus vitia, detrahendæ cupiditates; eijciendæ libidines, quam illis honesti virtutis fatus committantur. Horat. 1. Epist.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima

Stultitia caruisse, &c.

Cleanthes) Disciplina Stoica, cuius assertor atque professor fuit Cleanthes, Zenonis Citiensis auditor pauperrimus & egentissimus, qui propter inopiã diurnos animi sudores, nocturnis corporis laboribus sustentabat: hic enim nocte aquã ad hortos irrigandos hauriebat, vt sibi interdum, dum philosophicis exercitationibus intendit, vitium compararet: vnde à Græcis φρεωνίς dictus est, quasi puteos exhauriens: tradunt illud, quæ à Zenone audiisset, in testis fictilium, aut ossibus. boum ferro aliquo exarare solitum. hic tamé Zenoni successit,

& inconstanter de Deo philosophatus est : de quo vide Ciceronem primo de Natura deorum: Laertium in eius vita: Valerium capite de studio. Iuuenalis:

Et iubet archetypas pluteum seruare Cleantbas.

Petite) Concludit proximam caussarum amoris in Cornutum explicationem, adhortatione ad studium philosophiæ, quia sit-viaticum ad senectutem: vbi allegoria est à viatoribus, qui longum iter ingressuri, viatico & comatu se muniunt: vnde Cicero (vt est apud Plutarchum in eius vita) Terentiam vxorem repudiauit, quod non satis amplum viaticum dedisset Tulliæ filiæ, cum patri ab exilio redeunti obuiam procederet.

Iuuenes & senes) Sic Horatius de studio philosophiæ:

Id quod

Æquè pauperibus prodest, locupletibus æquè,

Atque neglectum pueris senibusque nocebit.

Miseris canis) Senibus canis & canescentibus. Amplissima enim (vt ait in Catone maiore Cicero) sunt arma senectutis, artes & exercitationes virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cum diu multumque vixeris, mirificos afferunt fructus, quia nunquam deferunt, ne extremo quidem senectutis tempore.

*Cras hoc fiet, idem cras fiet. quid? quasi magnum
Nempe diem donas? sed cum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit ultra.
Nam quamuis propè te, quamuis temone sub vno,
Vertentem sese frustra sectabere cantbum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.*

Cras hoc fiet) Interponitur libidinosis cuiusdam adolescentis dialogismus, philosophiæ studium in sequentem diem reiicientis.

Idem) Discipuli ignauiam & inertiam reprehendit Persius ex paribus, quia idem sequenti dicitur fit die. Nam vt ait poeta:

Qui minus est hodie, cras minus aptus erit.

Itaque bona procrastinanda non sunt. Nam vt ait Tibullus Elegia quarta, lib. 4.

At si tardus eris, errabis, transiet ætas,

Quam citò non segnis stat remeat & die.

Quam citò purpureos deperdit terra colores,

Quam citò formosas populus alba comas.

Vidi

Vidi iam iuuenem, premeret cum senior ætas,

Mærentem tardos præterijße dies.

Quid? quasi) Verba sunt adolescentis, inorositatem Persij, qui vnum diem otiosè traduci nolit, ex adiunctis eleuantis, quod parua sit vnius diei iactura.

Sed cum) Virget adolescentis ignauiam Persius ex causa dissimili. Protasis sic est intelligenda, non quod vnum diem otiosè traduxisse magnum sit, hunc in otio diem traduci nolo, sed quod ista procrastinatione vitam traducamus, nec quicquam in philosophia promoveamus: vbi Epanodos est in dictionis (cras) repetitione. Martialis in Posthumum:

Cras te victurum dicis, cras Posthume semper,

Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Nam quamuis) Ratio proximæ antapodoseos dissimilitudinis ex similibus, quæ rursus dissimili amplificantur. Quemadmodum ille qui in secundo curras axe sedet, quamuis priorem axem persequatur, nunquam tamen assequetur: quia quanto magis posterior progrediatur axis, tanto magis prior antecedit: sic tempus otiosè traductum nullo studio reuocari poterit. Ouid. 15. Metamorph.

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu

Non secus ac flumen, neque enim consistere flumen,

Nec leuis hora potest, sed vt vnda impellitur vnda,

Virgeturque eadem veniens virgetque priorem:

Tempora sic fugiunt, pariterque sequuntur

Et noua sunt semper, &c.

Itaque nullius rei Catonem magis pœnituit (vt ait Plutarchus) quam diei sine linea traducti, quippe qui, ait Cicer. secundo de Finibus, nec reprehensionem vulgi inane in reformidans, in ipsa curia soleret legere, sæpe dum Senatus cogeretur, nihil operæ Reipublicæ detrahens.

Temone) Temon à Græcis ἑμῶν dicitur, pertica quæ continet iugum & plaustrum, sic dicta à tenendo, vt docet Varro. Ouid. 2. Metamorph. in descriptione curras Solis:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summe

Curuaturæ rotæ, radiorum argentens ordo.

Cantbum) Cantbus ferrum illud appellatur, quo rotarum orbis vincitur & connectitur. Martialis in Apophoretis:

Inducenda rota est, das nobis vtile munus,

Ille trochus pueris, at mihi cantbus erit.

Axe secundo) Axis lignum teres & rotundum, circa quod rotæ vertuntur, ad quas firmandas fibula immitti solet, quam rustici claviculam nominant (ait Baptista). Hinc per Metaphor. Poli mundi axes appellantur. Virg. 4. Eneid.

Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.

*Libertate opus est, non hac, qua vt quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. heu steriles veri, quibus vna Quiritem
Vertigo facit, hic Dama est non tressis agaso,
Kappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama: papa! Marco spondente recusas.
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit, ita est, assigna Marce tabellas.
Hæc mera libertas, hanc nobis pilea donant.*

Libertate) Describitur deinceps efficiens causa bene philosophandi, id est libertas, vbi paradoxon illud stoicum disputatur, omnes cupidos seruos, solos autem sapientes & cupiditatibus vacuos, esse liberos, ex dissimilibus. non est illa libertas verè nominanda, quam serui à dominis suis atque prætore accipiunt, sed animi securitas, quam vacuitas omnis cupiditatis, animusque ab omni scelerum contagione solutus affert. Protasis ad extremum ferè Satyræ perducitur, vbi ait:

Si totus & integer illinc.

Exieris: nunc, nunc, hic, hic, quem querimus, hic est:

quæ multis rationibus confirmatur & illustratur.

Qua vt quisque) Non ea libertate ad philosophandum est opus, qua vbi primum est aliquis rude donatus, & in numerum ciuium adscriptus, frumentum, quod in singulos ciues distribui quotannis solet, accipit, ostendens tesseram Velinæ tribus, in quam fuerit adscriptus.

Velina) Velina tribus Romæ fuit, sic dicta à Velio monte (ait Varro) cuius meminit Horatius, cum ait:

Hic multum Fabia valet, ille Velina

Publius) Prænomen est serui paulò antè rude donati, quod in ipsa manu in sione acceperat. Serui enim prænomen non habebant, sed patroni sui nomen accipiebant, vt indicat Lactantius Diuinarum institutionum lib. 4. vnde Dionysius Ciceronis seruus postea M. Pomponius Dionysius dictus. Iuuenal.

Ducere planta velut ictus ab Hercule Cacus,

Et ponere foris, si quid tentaueris vnquam.

Hiscere, tanquam habeas tria nomina.

Emeruit) Metaphora à bello, in quo emereri propriè dicuntur milites, cum honesta aliqua causa à belli munere domum remittuntur. Lucanus libro primo:

Quæ

Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur

Quæ noster veteranus aret, quæ mœnia festis?

Hinc emeritum stipendium passiuè dicitur, quod peractum est, cum iam milites missionem vt Veterani impetrauerunt (ait Budæus). Hinc emereri generaliter pro mereri ponitur, vt emeriti honores, emerita arma: vide Vallam lib. 5.

Tesserula) Tesserula diminutiuum à tessera. Est autem tessera signum, quod ad pugnam militibus datur, aliàs symbolum, Gallicè, *le mot du guet*: cuius inuentor in bello Troiano fuisse dicitur Palamedes. Virgil. 7. Æneid.

It bello tesseræ signum.

Hinc tessera frumentaria, signum quoddam, quo exhibitò frumentum à principe dabatur, vt hodie quibusdam in locis nummi plumbei vel ærei, vel quid simile, quod pro simbolo fit. Suetonius in Augusto cap. 45. ac ne plebis frumentationum causa frequenter à negotijs auocaretur, in annum quaternorum mensium tesseræ dare destinauit. Iuuenalis Satyra 7.

Summula ne pereat, qua leuis tesseræ venit.

Vide Budæum in Annotationibus in Pandect. leg. Si susceperit, titulo de Iudicijs.

Heu steriles) Repetitur sententia, protaseos dissimilitudinis, per exclamationem illustrata.

Steriles) Metaphora à terra & agris infœcundis.

Hic Dama est) Prima ratio antapodoseos ex repugnantibus.

Dama) Dama nomen vilissimi & impurissimi hominis, cuius meminit Horatius 2. Serm. Sat. 7.

Tu cum proiectus insignibus annulo equestri

Romanoque habitu prodis ex Iudice Dama

Turpis, odoratum caput obscurante lacerna.

Vappa) Vappa vinum dicitur, quod spontè deferbit, & odorem amittit. Horatius 2. Serm. Satyra 3.

Qui veientanum festis potare diebus

Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Hinc per Metaphoram pro infulto homine & stolido nulliusque ingenij ponitur. Horatius 1. Serm. Sat. 1.

Non ego auarum

Cum veto te fieri, vappam iubeo aut nebulonem.

Item Satyra tertia:

Suffenus vappæ famam timet aut nebulonis.

Lippus) Metaphora à corpore ad animum. Sic Satyra 2.

Messala lippa propago.

Et Satyra prima:

Eos pueris monitus patres infundere lippos.

Farragine) Synecdoche est. Farrago enim species rei vilis nulliusque pretij pro ipso genere ponitur.

Verberit) Iterat iam tertio loco sententiam protaseos Persius, & stultam multitudinis opinionem, quæ conuersione & vertigine libertatem à seruis comparari putabat, eludit. Argumentum est ex adiunctis ironia illustratis.

Turbinis) Aliàs temporis: vertebantur enim serui cum manumitebantur, (vt aiunt) quo significaretur potestas quolibet abeundi.

M. Dama) Id est liber, assumpto Marci patroni sui prænominis. sic ad Atticum Cicero de Eutythide liberto: Gratium, qui nouo nomine Titus erit Cecilius, vt ex te & me iunctus Dionysius, M. Pomponius. Fuit enim prænomen apud veteres nobilitatis insigne, quod perduellionis & læsæ maiestatis conuicti amittebant: vnde est illud quod de M. Manlio apud Liuium libro sexto ab Vrbe condita legimus, qui cum affectati regni damnatus è saxo præcipitatus fuisset, Senatusconsultum factum est, ne cui de gente Manlia Marco prænomen esset.

Assigna) Nam vt per stipulationem promittere, sic tabulas & testamenta seruis obsignare non licebat. Est autem hoc loco lepida commutatio eiusdem vocis Marcus, Marco, Marce, & anaphora in (Marco) initio duorum incisorum repetitio.

Hæc mæra) Eiusdem dissimilitudinis protasis commutatis verbis quarto loco repetitur, eademque ironia illustratur.

Pilea) Vt prænomen nobilitatis, sic pileus libertatis indicium fuit, quod manumissi serui in templo Feroniæ capite raso induebant, quod indicant hæc Plauti in Amphitrione:

Quod vrinam ille saxit Iuppiter, vt ego

Hodie raso capite capiam pileum.

Quod & Persius Saryra tertia visus est indicare, cum de libidinoso homine loquens, qui moriens suos seruos manumisisset, ait:

at illum

Hesterni capite induto subiere Quirites.

Vnde Brutorum sturnas pileolo ornari olim solitas accepimus, & à Bruto primo consule excusam moneta, in qua duobus pugionibus impositus pileus expressus erat, quo pileo libertas paulo antè recepta significaretur. Lilius Gregorius Syntag. 1. & Cælius Rhodiginus lib. 20. cap. 12.

*An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, vt voluit? licet, vt volo viuere: num sum
Liberior Bruto? mendosè colligis, inquit*

Stoicus

Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.

Hæc reliqua accipio: licet vt volo viuere, tolle.

Vindicta postquam meus à Prætoce recessi,

Cur mihi non liceat, insit quodcumque voluntas?

Excepto, si quid Masuri rubrica vetauit?

Disce. sed ira cadat naso, rugosaq; sama,

Dum veteres auias tibi de pulmone reuello.

An quisquam) Prolepsis est ad protasim dissimilitudinis per propopœiam pileati cuiusdam serui, cuius obiectionem anticipat, & ficta eiusdem oratione repræsentat: vbi libertus liberum esse se ex adiunctis docet, quia sibi vt velit liceat viuere. Syllogismus simplex primi generis, tertij modi:

Qui vt vult viuere, liber est:

Dama vt vult viuere:

Liber est igitur.

Propositio ex definitione libertatis ducta est, quam sic Cicero 5. Paradoxo definit: Quid est enim libertas? potestas viuendi vt velis. & i. Offic. Libertatis proprium est, vt velis, viuere.

An quisquam) Propositio syllogismi per subiectionem.

Licet vt volo) Assumptio syllogismi.

Non sum) Complexio eiusdem syllogismi minorum collatione amplificata.

Bruto) Iunium Brutum intelligit, qui Bruti, id est, stolidi & bar. di hominis cognomen acceperat, quod erat (vt est apud Ouid. 2. Fast.

Stulti sapiens imitator, vt esset

Tutus ab insidijs dire Superbe tuis:

Hic autem non solum liber fuit, sed etiam publicæ libertatis vindex, ad quam tuendam suos liberos flagris cæcos securi percussit, tandemque ipse contra Tarquinius fortiter dimicans occubuit: vide Liuium lib. 2. primæ Decadis.

Mendosè) Retexit liberti syllogismum Persius, & scholastico more partibus singulis respondet. Propositionem admittit: Assumptionem negat.

Stoicus) Cornutum fingit huic disputationi interesse tanquam honorarium iudicem: vbi definitio quedam est Stoici ex adiunctis, quibus Stoicorum acumen & subtilitatem in disputando significat, quorum fuit, vt ait Cic. 3. de Finib. subtile & spinosum dicendi genus.

Lotus aurem) Grammatica synecdoche est, qualis apud Virgil.

Oculos suffusa nitentes.

ANT. FOQUEL EXPLIC.

Aceto) Metaphora est ab aceto, quod per similitudinem pro acumine & sale ponitur. vide Erasmus in proverbio, Acetum habet in pectore.

Vindicta) Assumptionem syllogismi à Persio negatam confirmat libertus, item ex adiunctis, quia vindicta à prætore percussus fuerit, ubi enthymema est duarum partium, quibus addita propositione syllogismus sic erit:

Vindicta percussit, ut volunt viuunt:

Damas est vindicta percussus:

Damas igitur ut vult viuuit.

Propositio deest, assumptio præcedit, complexio communicatione illustratur.

Vindicta) Vindicta genus fuit serui manumittendi, cum seruum manumissurus dominus eius caput lignea virgula feriebat, cum his verbis, liber esto. Cicero in Topicis: Si neque censu, neque vindicta nec testamento liber factus est, non est liber. Hanc virgam Lilius vindictam à Vindicio seruo dictam fuisse author est lib. 2. & Plutarchus, quibus tamen reclamant Grammatici, vindictam à vindicando dictam existimantes, & vindicem eum qui seruum manumittat appellantes. est enim vindicare in libertatem asserere: vnde Brutus publicæ libertatis vindex appellatur. De hac libertate habes in codice de vindicta libertate. exemplum etiam est in lege prima ff. de actionibus & obligationibus.

Excepto) Correctio est proximæ complexionis ex specie singulari.

Masuri) Masurius cognomine Sabinius, Eques Romanus Tyberij tempore, idemque Romæ iuriconsultus doctissimus, qui primus publicè scripsit (ait Baptista). Hic ab Athenæo *ἰστορικὸς*, id est legum interpretis appellatur, cuius mentio est in Digestis de origine iuris.

Rubrica) Metonymia adiuncti pro subiecto. Rubricam enim pro lege dixit, cuius initia minio & rubrica notari solent. Iuuenalis:

Protege rubras

Maiorum leges.

Significat autem hoc loco Persius, quædam fuisse lege definita à Masurio Iureconsulto, in quibus liberti patronis suis operam deberent: vnde est apud Iureconsultos titulus, de Operis libertorum.

Disce) Resistit proximæ assumptionis confirmationi Persius, quam paulò post refutaturus attentionem & docilitatem orationi suæ veniam precatur.

Naso) Alludit ad canum naturam, qui corrugatis naribus iram suam demonstrant.

Sanna) Id est perturbatio animi, dolor, iracundia, odium: quæ omnia vultu & ore significantur. Nam, ut est apud Salustium, haud facile

IN V. PERS. SATYRAM. 183

facile animus verum significans prouidet, ubi odium, amicitia, ira atque misericordia intercedunt. Horatius:

Malè verum examinat omnis

Corruptus iudex.

Id est perturbatus, & aliqua animi perturbatione affectus.

Veteres auis) Metonymia causæ pro effectu: veteres enim auis pro veteribus fabulis dixit.

De pulmone) De pulmone renellere prouerbialiter vsurpari posse putat Erasmus, pro eo quod est stultam & arrogantem opinionem animo eximere: quia factum & superbiam physici in pulmone collocant. vnde Persius Satyra 1.

Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anbelet.

Non Prætoris erat stultis dare tenuia rerum.

Officia, atque vsum rapidæ præmittere vitæ.

Sambucam citius caloni aptaueris alto

Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem,

Ne liceat facere id, quod quis vitabit agendo.

Publica lex hominum, naturæque continet hoc fas,

Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.

Diluis helleborum, certo compefere puncto

Nescius examen: vetat hoc natura medendi.

Nauium si poscat sibi peronatus arator

Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse

Frontem de rebus.

Non prætoris) Accedit ad proximæ obiectionis refutationem, qua Dama potestate in habere se dixerat viuendi ut velit, quia vindicta à prætore percussus fuisset: quam refellit ex repugnantibus, quia sit stultus. Syllogismus simplex primi generis:

Prætor potestatem stultis dare viuendi ut velit non potest:

Dama est stultus:

Ei igitur non potest prætor dare potestatem viuendi ut velit.

Rapidæ vitæ) Nam ut ait Iuuenalis Sat. 9.

Festinat decurrere velox

Flosculus, angustæ miseræque breuissimæ vitæ

Portio, dum bibimus, dum ferta, vnguenta, puellas

Poscimus, obrepat non intellecta senectus.

Sambucam) Ratio propositionis ex minoribus, potius agressi sambucam aptaueris, quam prætor viuendi potestatem stulto dederit. Est autem Sambuca (vt ait Porphyrius in Ptelomæi Harmonia) instrumentum triangulum, quod ex inæqualibus longitudine, sicut & crassitudine neruis efficitur. Est & instrumentum bellicum, cuius meminit Athenæus lib. 14. vide prouerbium, Sambucam caloni.

Caloni) Rustico & inepto ad Lyram. Calones enim agresses ferui olim dicebantur, qui calam, id est vallum militibus ferebant: vnde per synecdochem pro rusticis, & agressibus calones dicimus. Sic Horatius Epist. 14. libro primo:

inuidet vsu

Lignorum & pectoris tibi calo argutus & horti.

Alto) Vide Alphrodil. lib. 1. problem. 26. cur homines qui breui sunt corpore, prudentiores magna ex parte sunt, quam qui longo: Quoniam (inquit) animus toto in corpore per longitudinem exoluitur & hebetascit. quod si breue est, coactius & compactius manet: vnde Homerus Vlysem breuem sed prudentem, Aiacei procerum & longum, sed bardum fuisse refert.

Stat contra) Altera eiusdem propositionis confirmatio ex legis cuiusdam naturalis autoritate;

Vetant enim leges ne id agendi cuiquam potestas fiat quod ignoret:

At Dana: viuendi rationem ignorat:

Huc igitur viuendi potestas non fiat. Propositio sola est.

Gannit) Metaphora est a vulpibus, quarum proprium est gannire: hinc generaliter pro obstrepere & clamare.

Vitiabit agendo) Hinc prouerbium: Nihil graculo cum musicis.

Vt teneat vetitos) Alludit ad Aristophanis versum, qui est in Comœdia, quæ Σφῆκας dicitur.

Ἐρδοι τις ἢ οὐκ ἔργος εἶδειν τέχνην.

Cicero 1. Tuscul. Quam quisque norit artem in hac se exercet: vnde Stratonicus Citharœdus Ptolemæo rege secum contendente de Citharistria: Aliud quidem (ait) rex est sceptrum, aliud plectrum: author est Athenæus libr. 8. Huc pertinet & illud Apellis, qui Alexandro in officina de pictura multa ineptè differenti comiter silentium suasis, admonens illum rideri à pueris, qui tum colores terebant.

Inscitia debilis) Metonymia effectus pro causa. Debilis enim inscitia dicitur, quia debiles & infirmos homines reddat, vt doctrina & scientia superbos.

Vetitos actus) Vide Vrsal. in prouerbio, Ne sutor ultra crepidam.

Diluis helleborum) Confirmatio proximæ propositionis syllogismi ex duorum similium inductione, quorum vtrumque complexus est Horatius Epist. 1. lib. 2.

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotonum agro

Non

Non audet, nisi qui didicit dare: quod medicorum est, Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Helleborum) Primum simile, vbi synecdoche est, helleborus nempe pro quouis medicamento. Quid sit autem Helleborus, antè dictum est.

Examen) Examen quid sit, vide primæ Satyræ initio.

Nauim) Secundum simile, quale est illud Aristophanis in Ranis:

πῶς δ' αὖθις ἴσους

Ἄπειρος, ἀδελὰ πῶτος, ἀσφαλμίτις,

ὦν ἔτ' ἐλαύνειν.

Id est, quoniam modo potero imperitus & à mari alienissimus, Salaminis expers, atque nauim agere rudis? Est autem hoc loco Metonymia subiecti pro adiuncto: nauis enim pro gubernaculo & regimine nauis ponitur.

Peronatus) Pero genus calceamenti, Gallicè *questres, & trique boues*. Iuuenal. Satyra 14.

Quem non pudet alto

Per glaciem perone tegi.

Virgilius lib. 7. Æneid. *Crudus tegit altera pero.*

Dicuntur autem perones, quod peræ modo sint informes, author Budæus in Annotat. in Pandect. in lege, Si nauc. titulo, Locali.

Luciferi) Synecdoche est, Lucifer nempe pro astris & astrorum cognitione, quorum pars est lucifer: qui à Græcis φῶσφορος, à Latinis ante Solis exortum Lucifer, post occasum Hesperus dicitur. Virgilius secundo Æneidos:

Iamque iugis summa surgebat Lucifer Idæ

Ecloga 10. *Ite domum saturæ venit hesperus, ite capellæ.*

Martialis libro octauo:

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?

Cæsare venturo Phosphore redde diem.

Significat autem hoc loco Persius, Astrologiam cæterasque artes, quæ Mathematicæ appellantur, nautæ & gubernatori cognitæ esse debere, quod & exemplo Palinuri docet Virgil. 3. Æneid.

Melicerta) Melicerta Inus & Athamantis Thebarum regis filius, qui & Palemon dicitur, à Sipylo Aeoli filio consecratus: Historiam omnem diligenter describit in Atticis Pausanias: & in Mythologijs suis Higinus hoc modo. Athamas Ino nouercam filijs suis superinduxit: Ino nouercarum more priuignos occidere voluit. Athamas re animaduersa in furorem versus, Learchum Inus filium interfecit, ipsam verò Inum cum persequeretur, vnà cum Melicerta filio ex Moluride petra sese in mare cogit dare præcipitem. Delphin eos ad Corinthiacum sinum vexit: quo miraculo attonitus Sipylos, qui tum Corintho imperabat, Melicertæ mutato in Palemonem nomine,

A

templum ac Isthmicos ludos instituit. Ovidius sexto Fastorum:

*Hinc agitur furis Athamas sub imagine falsa,
Tuque cadis patria parue Learchæ manu.
Mæsta Learchæ mater tumulauerat umbras,
Et dederat miseris omnia iusta rogis.
Hæc quoque funestos ut erat laniata capillos,
Profilit, & cunis te Melicerta rapit.
Et spatio contracta breui freta bina repellit,
Vnaque pulsatur terra duabus aquis.
Huc venit insanis natam complexa lacertis,
Et secum è summo mittit in alta iugo.
Excipit illæsum Panope, centumque sorores,
Et placido lapsu per sua regna ferunt.*

Hanc historiam fabulosè tractat idem Ovidius 4. Metamorph. ubi utrumque in marina numina fingit esse mutatum: Ino in Leucothoem, quam & Matutam vocant, Melicertam verò in Palemonem, quem Latini Portumuum nominant.

Frontem) Metonymia est subiecti pro adiuncto, frons nempe pro pudore, cuius sedes in fronte est. vnde frontem perfricuisse dicuntur, qui pudorem amiserunt: quòd olim frons pudori esset sacra. Vide Aphrodisæum lib. 1. problemate 15.

Tibi recto viuere talo

*Ars dedit, & veri speciem dignoscere calles,
Ne qua sub ærato mendosum tinniat auro:
Quæq; sequenda forent, & quæ vitanda vicissim:
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis,
Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes,
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec gluto sorbère saliuam Mercurialem.
Hæc mea sunt, teneo, cum verè dixeris, esto
Liberque, ac sapiens, prætoribus, ac loue dextro.*

Tibi recto) Secundum argumentum principis quæstionis, quòd Dama non sit liber, ex repugnantibus declaratur. Syllogismus simplex secundi generis, tertij modi.

Omnis

Omnis liber est bonus, viuendi gnarus, virtutis amator, non fraudulentus, non dissimulator:

At Dama non est eiusmodi:

Dama igitur non est liber.

Propositio specialiter tractatur, & à thesi ad hypothesim reuocatur. Horatius Satyra 7. lib. 2.

*Quisnam igitur liber? sapiens sibi qui imperiosus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Respon sare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus:
Externi ne quid valeat per leue morari,
In quem manca ruit semper fortuna.*

Vnde Martialis lib. 2. ad Maxim.

Vis fieri liber? mentiris Maxime, non vis:

Sed si vis fieri, tu hac ratione potes, &c.

Recto talo) Allegoria ab illis, qui obtortis pedib. incedunt, ad animù.
Ars dedit) Primus gradus ad sapientiam est cognitio honesti. Iuuenalis Satyra octaua:

Prima mihi debes animi bona.

Veri speciem) Vitia enim sæpe virtutis speciem induunt. Nam & malitia prudentiam, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspersionis, & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & religionem superstitio studijsq; bonis similia videntur ea, quæ sunt in genere nimia. Cicero in Partitionib. Ouid. lib. 1. de Remed. amoris:

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo,

Pro vitio virtus crimina sepe tulit.

Iuuenalis Satyra 14.

Fallit enim vitium specie virtutis & umbra,

Cum sit triste habitu vultuq; & veste seuerum.

Ne qua sub ærato) Allegoria est ab ijs, qui tinnitu nummos explorant. similis ferè fuit paulò antè,

dignoscere cantus

Quid solidum crepet & pictæ testoria lingue.

Quæque sequenda) De hac veterum in felicibus & auspiciis rebus lapillo albo notandis consuetudine satis dictum esse arbitror secunda Satyra.

Modicus voti) Tua forte contentus: id est quod dicit Horatius ad Loll. i. Epistola:

Quod satis est tibi contigit, nihil amplius optas.

Idem libro 1. Epistola 10.

Lætus sorte tua viuis sapienter Aristi.

Cuiusmodi homines soli sunt diuites, vt ex Iuuenal. illo versu constat. Satyra 14.

Sensit Alexander testa cum vidit in illa

Magnum habitarem, quantum felicior hic, qui

Nikeuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.

Pressolare) Non dissolutus, aut luxuria diffuens, sed paruo contentus: & vt est apud Iuuenalem Sat. 14.

In quantum sitis atque fames & frigora poscunt,

Quantum Epicure tibi paruis suffecit in hortis,

Quantum Socratici ceperunt ante penates.

Dulcis amicis) Facilis, benignus, humanus.

Iam nunc) Definitio quædam est liberalis hominis ex effectis. Sic secundo Officiorum Cicero: Non ita est claudenda res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit, nec ita deserenda, vt pateat omnibus: sequuntur enim largitionem rapinæ. Vide i. Officior. capite de Liberalitate.

Granaria) Granarium locus est, in quo grana reconduntur, quem sublimem esse, & ad Aquilonem spectare oportet, vt ait Cato quarto de Re rustica.

In luto) Si non sis auarus, nec ob fixum assem in triuio te demittas. Sic Horatius lib. i. Epist. 17. ad Quintium:

Quo melior seruo quo liberior sit auarus,

In triuis fixum cum se demittit ob assem,

Non video

Nec gluto) Allegoria ducta à famelicis & helluonibus, qui vt dapes paulo suauius conditas viderunt, saliuam deglutiunt: sic auari oblata quæstus faciendi occasione, ardent auri cupiditate, illudque antequam fecerint, iam spe deuorant: quos Horatius hoc castigat carmine, Od. 14. lib. 4.

Verum pone moras & studium lucri,

Nigrorumque memor dum licet ignium, &c.

Mercurialem) Id est, nec sis lucri cupidus, cui præest Mercurius: vnde nomen traxisse dicitur. nam cum lucrum in vendendis & emendis mercibus sit maximum, inde dictus Mercurius, furum & mercatorum deus: quod videtur significare Horat. hoc carmine, de Mercurio loquens, 2. Serm. Sat. 3. *Mercarier vnus*

Cum lucro noram, vnde frequentia Mercuriale,

Imposuere mihi cognomen compita.

Sed de his 2. Satyra & Sat. sexta.

Hæc mea sunt) Id est, si has virtutes antea enumeratas tibi poteris vindicare. Est autem hoc loco prosopopœia.

Esto) Propositionis exornatio per permissionem.

Prætoribus) Qui libertati corporis præsumt, si tamen illa libertas est dicenda.

Sin

Sin tu (cum fueris nostra paulo ante farinæ)

Pelliculam veterem retines, & fronte politus,

Astutam vasfro seruas sub pectore vulpem:

Quæ dederam supra, repeto: funemque reduco.

Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas:

Et quid tam paruum est? sed nullo thure litabis,

Hæreat in stultis breuis & semuncia recti.

Hæc miscere nefas, nec cum sis cætera fossor,

Treis tantum ad numeros Satyri moueare Bathylli.

Sin tu) Assumptio syllogismi ex aduersis significatur.

Farinæ) Metaphora est à panibus, qui cum sunt eiusdem farinæ, eundem sensum gustumque retinent. Hinc eiusdem farinæ homines dicuntur similes. eiusdem pulueris atque notæ, eiusdem gregis atque conditionis. Vide Erasmus.

Pelliculam) Allegoria à serpentibus, qui vt pellem quotannis exuunt, sic homines viuendirationem mutant.

Fronte politus) Sic antea 4. Satyra.

Quin tu igitur summa ne quicquam pelle decorus.

Sic Paulus apostolus Ananiam sacerdotem fictum & fucatum, parietem dealbatum appellat in Actis apost. Et Christus in Euangelio sanctimoniam simulatores sepulchra vocat dealbata, quæ cum foris nitent, intus sunt cadauerum ossibus polluta.

Astutam vulpem) Metonymia tertij generis: vulpes pro vulpis calliditate & astutia, quæ ei à natura inest quemadmodum leonibus audacia. Vnde Pindarus in Istmiorum hymno:

πόλμα δ' εἰκός θυμὸν εἰς βραμύτων θεῶν λέοντων ἐν πόνῳ. μήτιν δ' ἀλώπηξ. virum fortem ob robur leoni, ob prudentiam vulpi comparat. Nam cum duob. modis fiat iniuria, vi & fraude: vis leonis, fraus est vulpularum. Assuenda verò (dicebat Lyfander) vulpina pellis, si leonina non sufficit.

Quæ dederam) Complexionis sententia: quare Dama non est liber.

Funemque reduco) Allegoria ab equis, quibus lasciuientibus & ferocientibus habentæ contrahuntur.

Nil tibi) Assumptionis confirmatio ex repugnantibus: Dama non est prudens, non est continens, liberalis: quia nil agit cum ratione, à qua tamen ista omnia proficisci oportet.

Ratio) Quam Deus

Alta capitis fundauit in arce,

A 3

Mandatrix operum, prospecturamq; labori.

Ait Claud. de 4. Honor. coff.

Digitum) Hunc locum interpretatur Erasmus in proverbio: Tolle digitum: quem secuti interpretes, allegoriam, nescio quam, nobis comminiscuntur à certantibus, qui victi digitum attollebāt, aut herbam porrigebant. qui tamen aliter non ineptè sic intelligi poterit: Cùm enim nihil ratione agere Damam proximè dixerit Persius, id ipsum confirmat ex Damæ factis, collatione maiorum illustratis: Dama peccat etiam in rebus minimis, qualis est digiti subleuatio, quanto magis igitur in rebus grauioribus? vbi Stoicum agit Persius: Stoici enim æqualia peccata putabant, nec quæ cuique peccato pœna sit, sed quantum cuique liceat, spectabant, quicquid non oporteret, scelus esse, quicquid non liceret, nefas esse putabant: etiã in minimis rebus? (ait 3. Paradoxo Cicer.) etiam, siquidem rerum modum fingere non possumus, animorum modum tenere possumus. Histrio, &c. Item, siquidem est peccare tanquam transilire lineas: quod cùm feceris, culpa cõmissa est, quam longè progrediare cùm semel transieris ad augendam transeundi culpam non pertinet, quod hoc loco significare voluisse videtur Persius, cùm ait:

Et quid tam paruum est.

Huc accedit quòd Stoica est ista sententia, quam vt in Paradoxo Cicerò, sic hac Satyra tuetur Persius.

Nulla ture) Altera eiusdem argumenti confirmatio, quòd ratione præditus non sit Dama, ex aduersis. Syllogismus simplex primi generis, quarti modi:

Ratio cum stultitia coniungi non potest:

Dama est stultitia præditus:

Dama igitur ratione præditus non est.

Propositio dissimili amplificatur, nullis licet magistris & opimis sacrificijs impetrare possis, vt cum stultitia ratio & prudentia coherere possit.

Semuncia) Metaphora est ab ijs rebus, quæ libra expendantur.

Resti) Quid est enim tam disinctum tamque diuulsam, quam à ratione temeritas, à prudentia stultitia, quorum tam dissimiles & contrarij sint effectus? sic enim in Biantis sententijs Aufonius:

Quod prudentis opus? cùm possit nolle nocere,

Quod stulti proprium? non posse & velle nocere.

Nec non) Illustratio eiusdem propositionis, cui admixta est assumptionis & complexionis sententia. Quemadmodum Calones & rustici homines ad sonum tibi numerumque moueri & saltare non possunt: sic nec stultus secundum rationem viuere. Assumptio hoc loco statuat:ur:

Nec cùm sis cætera fossor.

At tu es fossori similis, id est stultus. Complexio deinde subijcitur, permissio-

permissione ironica illustrata. Itaque nec ad numerum saltare scis, nec cum ratione potes viuere.

Cætera) In rebus cæteris vel omnibus. Cic. 2. de Nat. deor. Non solum enim poeta suauis, sed etiam cætera doctus sapiensq; traditur.

Satyri) De Satyris initio huius operis satis dictum est. Hoc autem loco Satyrum pro saltatore dixit, per synecdochem: Satyri enim saltare in theatro consueuerant: vnde Virgil. Ecloga 7.

Saltantes Satyros imitabitur Alpheus.

Hinc pro saltatore ponuntur.

Bathylli) Bathyllus pantomimus & mollis saltator (ait Britannicus) de quo sic Iuuenal.

Gyronum ladam, molli saltante Bathylla.

Liber ego: vnde datum hoc sumis tot subdite rebus?

An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,

Si increpuit, cessas nugator? seruitium acre

Te nihil impellit? nec quicquam extrinsecus intrat,

Quod nervos agitet? sed si intus, & in iecore agro

Nascantur domini, qui tu impunitior exis,

Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?

Manc, piger stertis, surge inquit, auaritia, eia

Surge, negas, instat, surge inquit, non queo, surge.

En quid agam? rogitas? en saperdam aduehe ponto,

Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa:

Tolle recens primus piper è sitiante camelo.

Verte aliquid, iura, sed Iuppiter audiet. heu heu

Vare regustatum digito terebrare salinum

Contemptus perages, si viuere cum loue tendis.

Liber ego) Altera Damæ proleptis est, eiusdem prosopopœia expressa, qui nullis Persij argumentis edomitus atq; victus sese nihilominus liberum esse profitetur. Simile est illud Horat. 2. Serm. Sat. 7.

quinque talenta

Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum

Perfundit gelida, rursus vocat, eripe turpi

Colla iugo liber. Liber sum, dic age, &c.

Vnde datum) Refellitur Dama proleptis ex repugnantibus.

Dama est subditus multis dominis:

Non igitur liber.

Simile est illud Horatij Sat. 7. lib. 2. Serm.

Tunc mihi dominus rerum imperijs hominumque

Tot tantisque minor? quem ter vindicta, quaterque

Imposita, haud unquam misera formidine priuet?

An dominum) Confirmatio proximi argumenti, quod Dama mul-
torum dominorum sit seruus, distinctione dominorum per collatio-
nem maiorum, quod non solum illi domini dicendi sint, qui imperium
habent in corpus, sed & qui in animum, quibus qui pareant, misero-
re seruitute premantur, quam qui dominis imperiosis parent. Cicero
5. Paradox. Non enim ita dicunt, illos esse seruos, ut mancipia quae
sunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili, sed si seruitus (si-
cut est) obedientia fracti animi est, & arbitrio carentis suo, quis neget,
omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos.

I puer) Amplificatur Damae seruitus minorum collatione. Syllo-
gismus simplex primi generis tertij modi.

Miserior est qui animi dominis pareat, quam qui corporis:

At Dama dominis animi pareat:

Miserior igitur, quam qui corporis dominis.

Propositio syllogismi, prolopoecia cuiusdam domini seruum suum
contumeliose tractantis & grauissimè increpantis exornatur.

Strigiles) Instrumenta ferrea, quibus discutiebatur sudor in bal-
neo. Martialis in disticho, cuius index est, Strigiles.

Pergamus has misit, curuo disstringere ferro

Non tam sepe teret linthea fullo tibi.

Vide Plinium libro vigesimo octauo.

Mane piger) Assumptionis sententia, At Dama dominis animi pa-
ret: quae declaratur per species singulares: quia paret pigritiae & aua-
ritiae. vbi dialogismus est auaritia cum Dama.

Surge) Verba sunt auaritia, Damae ad quæstum faciendum &
mercaturam exercendam excitantis: vbi epanodos est in verbi (sur-
ge) in dissimilibus locis repetitione.

Sarpedam) Genus piscis vel potius concilij hoc loco significari
volunt interpretes, quanquam hoc nomen in ea significatione posi-
tum aliàs non reperio: vide Paulum Iouium in libro de Piscibus, ca-
pite de Coruo.

Castoreum) Castores, qui & fibri à Plinio dicuntur, canes sunt pon-
tici, quorum testes castorea appellantur, medicinis multis faciendis
accommodatissima: vnde cum à venatoribus premuntur (ait Cic.)
liberant se ea parte corporis, propter quam expetuntur. Iuuenal. Sa-
tyra 12.

Imitatus castora, qui se

Eunuc

Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno

Testiculorum, adeò medicatum intelligit inguen.

Quod apud Plinium lib. 32. cap. 3. negat Sestius. Hoc autem loco Ca-
storeum pro vnguento ex Castoris genitalibus confecto ponitur,
quod Beuerissum dicitur (vt ait Murmelius.)

Hebenum) Hebenus arbor, quam è peculiaribus Indiae Virgilius
celebrauit (ait Plinius libro 12. capite quarto.) Virgilij versus sunt
primo Georgic.

Diuisæ arboribus patriæ, sola India nigrum

Fert hebenum, solis est thurea virga Sabæis.

Thus) Quod apud Sabæos nascitur, & ad Euphratem. Ouidius
primo Fastorum:

Thura nec Euphrates, nec miserat India costum.

Virgilius 1. Georgicorum:

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Huius tanta est apud illos copia, vt thuris ligno aut myrrhæ suos ci-
bos coquant (ait Plinius lib. 12. cap. 17.) De thure autem & eius gene-
ribus vide Plinium lib. 12. cap. 14.

Lubrica coa) Vina, quæ nascuntur in insula Coa: quæ lubrica ap-
pellantur, quia alui laxandi vim habent. vnde Horatius secundo Ser-
mon. Satyra 4.

Si dura morabitur aluis

Mugilus, & viles pellent obstantia conchæ.

Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coa.

Id est vino. vtrobique autem est synecdoche.

Piper) De pipere antea dictum est: de quo vide Plinium libro 12.
capite septimo.

Camelo) Synecdoche est, Camelus pro pelle & membrana Cameli.
De Camelis autem sic Plinius lib. 8. cap. 18. Camelos inter armenta
pascit Oriens, quorum duo genera, Bactriani & Arabici: differunt,
quod illi bina habent tubera in dorso: hi singula, & in pectore alte-
rum, cui incumbant. Dentium superiore ordine vt boues carent v-
troque genere. Omnes iumentorum in his terris dorso finguntur,
atque etiam equitatu in prælijs velocitas inter equos, sed sua cuique
mensura, sicuti vires, nec vltra assuetum procedit spatium, nec plus
instituto onere recipit: odium aduersus equos gerunt naturale, si-
tium quatrduo tollerant, implentur cum bibendi occasio est, & in
præteritum & in futurum, obturbata conculcatione prius aqua: ali-
ter potu non gaudent: viuunt annos quinquaginta, quidam etiam
centum, &c.

Iura) Quod facere solent mercatores, quo facilius emptoribus
imponant. Ita que sordidi putandi sunt, qui mercantur à mercatorib.
quod statim reuendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum men-
tiantur, ait 1. Offic. Cic. cum tamen veteres nullum ad astringendam

B

vitam arctius vinculum esse quam iusurandum voluerint. Id indicant leges in duodecim tabulis, indicant sacra, indicant foedera, quibus etiam cum hoste deuincitur fides, indicant notationes, animaduersionesque Censorum, qui nulla de re diligentius quam de iureiurando iudicabant, &c. Vide Ciceronem circa finem 3. Offic. Iurandi autem ratio hæc ab Isocrate præscribitur: vel ut teipsum turpi suspicionem liberares, vel ut amicos ex magnis periculis eripias: pecuniarum verò gratia etsi iustam causam habueris, nullum Deum iuraueris: si minus alijs periurus, alijs auarus videbere. ad Nicoclem.

Iuppiter audiet) Verba sunt Damæ: non enim intellectu caret (ait Euripides) numen, sed potest intelligere, quænam sint mala facta iuramenta & necessitate coacta.

Heu heu) Verba sunt auaritiæ, Damæ simplicitatem ex adiunctis eludentis, per exclamationem.

Vare) Metaphora à corpore ad animum, qualis antea fuit Sat. 4. *Ostendit pede regula varo.*

Terebrare) Metaph. est hyperbolica à fabris lignarijs, qui viriculo a ferres & ligna perforant. Virgil. 2. Æneid.

Aut terebrare cauas vteri, & tentare latebras.

Significat autem tenuit eum esse victurum, foreque, vt (quemadmodum est in Prouerbio) salem lingat, si viuere cum loue, id est sancte pieque velit. Vide prouerbiū apud Erafinum, Salem lingere.

Iam pueris pellem succinctus, & œnophorum aptas

Ocyus ad nauem: nil obstat, quin trabe vasta

Ægeum rapias, nisi solers luxuria antè

Seductum moneat, quo deinde insane ruis? quò?

Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis

Intumuit, quam non extinxerit vna cicuta.

Tum mare transfiliat? tibi torta canabe fulto

Cœna sit in transtro? Veietanumque rubellum

Exhalet vapida lesum pice sessilis obba?

Quid petis, vt nummi, quos hic quincunce modesto

Nutrieras, peragant auidos sudore deinceps?

Iam pueris) Assumptionis expolitio ex effectis Damæ, qui Auaritiæ oratione persuasus ad mercaturam faciendam accingitur, & nauim conscendit. Sic enim est apud Horat.

Per mare

*Per mare, per terras currit mercator ad Indos,
Pauperiem fugiens.*

Pellem) Synecdoche est: pellem enim dixit pro veste ex pellibus hirsutis confecta, qua qui peregrè proficiscuntur sæpe uti solent: vnde Iuuenalis:

*Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui summonet Euros
Pellibus inuersis.*

Ouidius tertio de Tristibus:

Pellibus hirsutis arcet mala frigora.

Succinctus) Diligenter & sedulo, quod qui faciunt, solent vestem aut deponere aut colligere. Horat. 2. Sermon. Sat. 6.

Veluti succinctus cursat hospes.

Ibidem Sat. 8. *Hic ubi sublatis puer altè ciustus acerram, &c.*

œnophorum) Vas vinarium. est autem singularis pro plurali.

Trabe) Synecdoche est & metonymia. Trabs enim causa est efficiens & pars nauis: hinc pro nauis tota, & ex trabibus confecta ponitur. sic Ouidius 2. de Ponto:

Quo duce trabs cholca sacra cucurrit aqua.

Ægeum) Synecdoche est. Ægeum enim pro mari dixit: Est autem Ægeum pars maris mediterranei propè Græciam, Europam ab Asia diuidens; vt ait Plinius lib. 4. cap. 11.

Solers luxuria) Quæ suis blanditijs & illecebris homines à labore auocare solet ad voluptatem: vnde prædulce malum appellatur à Clodiano 2. lib. in Stilconis laudes:

*Quæ dedita semper
Corporis arbitrijs, bebetat caligine sensus,
Membraque Circeis effeminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior vlla,
Internis fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris.*

Quo deinde) Protopopœia luxuriæ, Damam à labore ad voluptatem reuocantis ex adiunctis.

Calido) Parenthesis est, qua Damæ ira ex efficiente causa significatur, & per collationem minorum amplificatur.

Canabe torta) Periphrasis est rudentis ex materia, quæ est canabis, quam & pantagruelion vocant.

Transtro) Transtra tabulata dicuntur in nauibus, super quæ sedent remiges (inquit Festus). Cæsar: Transtra ex pedalibus in altitudinem trabibus, confixa clauis ferreis, &c. Virgil. 5. Æneid.

Furit immixtus Vulcanus habenis,

Transtra per & remos & pictas abiecte puppes.

Veietanum) Vinum quod Veijs oppido Italiæ nascebatur: fuit autem huiusmodi vinum inspidum. Horatius.

*Qui Veientanum festis potate diebus
Campana solitus Trulla.*

Martialis:

Sed Veientani bibitur fex crassa rubelli.

De hoc vino sic Columella lib. 4. Veientanæ vix non ita rubent ut Aminæ, à quo colore Rubellanæ appellantur, eademque Fecenninæ, quod plus quam cæteræ fecis habent.

Pice) Qua vinum post feruorem condiebatur, aliquando flore resinæ, ut est apud Plinium lib. 14. cap. 2.

Obba) Obba vas potorium galeæ similitudinem referens, fundo latiore, cui insidere solebant plerumque qui in nauis versabantur: unde sefalis appellatur (ait Baptista) quomodo lactucæ dicuntur sefiales, quia late humi diffundantur.

Quid petis) Navigandi studium propositum ex adiunctis eludit luxuria, ubi vis comparationis minorum quædam est: quasi diceret, satius est Romæ sine labore & periculis paruum lucrum facere, quam in mari non sine vitæ discrimine magnum quæstum facere.

Quincunce) Quincunx & deunx partes sunt assis ex numero vnciarum, quincunxenim quinq; vncias, deunx verò assis totum dempta vna vncia significat.

Modesto) Allegoria est ab hominibus, qui modesti proprie dicuntur & nutrir: hinc & pecunia modesta, id est tenuis: nutrir, id est paulatim augetur.

Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est

Quod viuus, cinis & manes, & fabula fiet.

Vive memor leti. fugit hora, hoc quod loquor, inde est:

En quid agis? duplici in diuersum scinderis hamo.

Hunc cine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet

Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres:

Nec tu cum obstiteris semel, instantiq; negaris

Parere imperio: Rupi iam vincula, dicas.

Nam lactata canis nodum arripit, attamen illi

Cum fugit, à collo trahitur pars longa catena.

Indulge genio) Cohortatio ad voluptatem ex adiunctis: qualis illa Epicuri celebratur.

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Quid sit autem Genius & Genio indulgere, dictum est initio 2. Sat. *Quod.*

Quod viuus) Vnde Martialis:

*Vive velut rapti fugitiuaque gaudia carpe,
Perdiderit nullum vita reuersa diem.*

Nam hoc tempus duntaxat Ethnici vixisse se putabant, quod hilariter, faustè, & cum voluptate traduxissent, author Plinius libro septimo, capite quadragesimo.

Cinis & manes) Horatius Od. 4. lib. 1.

*Vita summa brevis spem nos vetat inchoare longam,
Iam te premet nox fabuleque manes,
Et domus exulis Plutonia.*

Iuuenalis Satyra nona:

*Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque breuissima vitæ
Portio, dum bibimus, dum fert, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.*

Cinis) Corpora enim cremabantur, cum post acceptam magnam in bello cladem cadauera propter multitudinem sepeliri non possent (ait Plutarchus in Mario.)

Vive memor) Sic Horatius:

Vive memor quam sis æui brevis.

Idem lib. 1. Epistolarum:

*Inter spem curamque timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superueniet quæ non sperabitur hora.*

Martialis libro primo:

*Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuum:
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.*

Fugit hora) Ovidius 1. Metamorp.

*Labitur occultè fallitque volatilis ætas,
Et nihil est annis velocius.*

Hoc quod loquor) Id est hoc quod ait Horatius,

*Dum loquimur, fugit inuida ætas
Carpe diem quam minimum credula postero.*

En quid) Sententia assumptionis hic aptius ponitur: At tu dominis animi pares: ubi poeta seruitutem eorum amplificat, qui cupiditatibus obsequuntur. Sic Cicero quinto Paradoxo: An eorum seruitus dubia est, qui cupiditate peculij nullam conditionem recusant durissimæ seruitutis? Hæreditatis spes, quid iniquitatis in seruiendo non suscipit, quem nutum locupletis, orbi senis non obseruat? loquitur ad voluntatem, quicquid denuntiatur sit, facit: assentatur, assidet, miratur, quid horum est liberi? quid denique non serui inertis?

Duplici) Allegoria est à piscibus, qui hamo inescantur.

Nectus) Sententia complexionis syllogismi: Ergo Dama est seruus.

quæ ex dissimili significatur. Itaque quamuis aliquando avaritiæ non parueris, aut luxuriæ imperantis imperium detrectaueris, non definis tamen esse seruus.

Rupiam vincula) Breuis prosopopœia Damæ, ubi allegoria est ab illis, qui rupto carcere effugiunt.

Nam luctata) Ratio proximæ antapodosis dissimilitudinis per similitudinem, cuius protasis altera dissimilitudine amplificatur, & adiunctis confirmatur. Quemadmodum canis licet vincula soluerit aut ruperit, tamen libera non est, quia maximam catenæ partem collo trahit: sic Dama cum semel avaritiæ vel luxuriæ imperium detrectarit, tamen non est liber. Protasis sola est.

A collo trahitur) Sic Horatius de cane 2. Serm. Sat. 7.

Quæ bellua ruptis

Cum semel effugit reddit se prava catenis.

Huc pertinet Gallicum proverbum, *Il n'est pas escappe, qui traine de son lien.*

*Dane citò, hoc credas iubeo, finire dolores
Præteritos meditor, crudum Chærestriatus vnguem
Abrodens, ait hæc: An siccis de decus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis vdas
Ebrius ante fores extincta cum face canto?
Euge puer sapias, dijs depellentibus, agnam
Percute: sed censen plorabit Dane relicta?
Nugaris, solea puer obiurgabere rubra:
Ne trepidare velis, atque arctos rodere castes,
Nunc ferus & violens: at si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? nec nunc, cum accersar, & vltro
Supplicet, accedam? si totus & integer illinc
Exieris, nunc nunc, hic hic, quem querimus, hic est:
Non in festuca licitor quam iactat ineptus.*

Dane citò) Confirmatur proximæ dissimilitudinis antapodosis, quod qui semel cupiditatibus obtemperare recusarunt, liberi non sunt ex specie singulari. Traducit enim Persius ex Menandri Græci poetæ

poetæ fabula Chærestriatum quendam adolescentem, de amasia Chryseide relinquenda cum Dauo seruo deliberantem, cum quo tamen vana falsa lacrymula Chryseis in gratiam redeat, & leuissimo momento reconcilietur. Quem Menandri locum imitatus est in Eunuchio Terentius, scena prima: ubi ab alienatus à Thaidæ Phædræ, eiusdem blanditijs placatur. Est igitur hoc loco dialogismus Chærestriati cum Dauo seruo, ubi Chærestriat. ex adiunctis hominis solliciti describitur.

Dolores) Metonymia secundi generis, effectus amoris pro causa, id est amore. Nam ut est apud Plautum in Mercatore:

Amorem hæc cuncta vitia sectari solent,

Cura, ægritudo, nimiaque elegantia:

Hoc non illum modò qui amat, sed quem attigit

Magno atque solido mulctat infortunio.

Nec post profectò quisquam sine grandi malo,

Præterquam res patitur studeat elegantie.

Sed amor accedunt etiam vltra hæc, quæ diximus,

Insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,

Ineptia, stultitiaque, adò & temeritas,

Incogitantia, excors, immodestia,

Petulantia, cupiditas, & malevolentia.

Inheret etiam auiditas, desidia, iniuria,

Inopia, contumelia, & dispendium.

Ergo dolores dixit, id est amores, tot secum dolores afferentes.

An siccis) Subiicit Chærestriatus deliberationis suæ argumentum, ex fine varijs adiunctis amplificato: cupio finem amoribus imponere, ne patrimonium cum magna nominis & famæ meæ iactura effundam, meaque profusione turpitudinis notam aliquam familiaræ meæ inuram.

Siccis) Sobrijs, frugalibus, prudentibus, sobrijs & continentibus. Plautus in Asinaria:

Ab scelestis, ego præter alios virum meum sui rata siccum,

Frugi, continentem.

Sic postea ebrium sicco opponet.

Limen ad) Synecdoche: limen obscœnum pro obscœna domo & meretricia, ad quam sæpe adolescentes patrimonij sui naufragium facere solent. Nam, ut ait Quidius de Arte:

Inuenit artem

Femina, qua cupidus carpat amantis opes:

Si nihil attuleris ibis Homere foras.

Rumore sinistro) Amatores enim iacturam sui nominis facillimè ferunt, & quid de se quisque sentiat non magni faciunt. Vnde Ovid. lib. 2. Eleg. ad Cynthiam:

Ab pudeat certè, pudeat, ni forè quod aiunt,

Turpis amor surdis auribus esse solet.

Chrysidis) *Chrysis* nomen meretricis, quo vsus est in *Andria* Terentius.

Ante fores) Quod facere solent amatores; vnde Ouid. 2. de Arte:

*Nox & hyems, longæq; viæ, seuque labores
Mollibus his castris, & dolor omnis adest.*

Idem Eleg. 1. lib. 1. in comparatione militis & amatoris:

*Peruigilant ambo, terra requiescit vterque,
Ille fores domniæ seruat, at ille domus.*

Euge puer) Verba sunt *Daui* serui, hero suo meretricum illecebris liberato gra tulantis.

Dys depellentibus) Periphrasis est *Arunci* dei vel *Auerrunci*, quem noxia ab hominibus auertere solitum credidit antiquitas: vnde verbum *auerruncare* pro auertere (ait Varro) nisi malis hoc de *Laribus* intelligere, quibus pro depulso furore sacrificabatur. Horat. 2. Serim.

*Non est periurus neque sordidus, immolat æquis
Hunc porcum laribus.*

Vide *Lilium* Greg. Hist. deor. syntagm. 1.

Sed censor) Verba sunt *Chærestri*, quibus amantium amentia declaratur & exprimitur. Sic *Parmeno* apud Terent. in *Eunucho*, de *Thaide* cum *Phædria* loquens:

*Me hercule vna falsa lacrymula,
Quam oculos terendo miserè vix vi expresserit,
Restinguet, & te vltro accusabis, & ei dabis
Vltro supplicium.*

Plautus in *Amphitryone*:

*Nam in hominum ætate multa eueniunt huiusmodi,
Capiunt voluptates, mox rursus miseria:
Ire interueniunt, redeunt rursus in gratiam.
Verum ire si que interueniunt huiusmodi
Inter eos, rursus si reuentum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se quam prius.*

Nugaris) *Chærestri* incontinentiam acerbè reprehendit & castigat *Dauus* ex dissimili.

Atque arctos) Allegoria est à feris, quæ pedicas & laqueos, quibus irretitæ tenentur, solent rodere. Similis est apud Lucretium:

*Nam vitare plagas, in amores ne iaciamur,
Non ita difficile est, quam captum rebus ab ipsis
Exire, & validos Veneris perumpere nodos.*

Vide *Erasmum* in *Prouerbio* *Cassus* rodere, & in *Prouerb. ex 1. v. 10. u.*

Quidnam igitur) Locus est apud Terentium in *Eunucho*, vbi *Phædria* apud se deliberat, an ad *Thaidem* meretricem redire debeat. *Sæna prima*, Actu primo:

*Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem
Cum accersor vltro? an potius ita me comparem,*

Non

Non perpeti meretricum contumelias?

Excluset, reuocat, redeam? non, si me obsecret.

Quem item locum imitatus est Horatius 2. Serim. Sat. 3.

Nec nunc cum me volet, vltro

Accedam? an potius mediter finire dolores?

Excluset, reuocat, redeam? non, si me obsecret, &c.

Significat igitur hoc loco, huiusmodi homines, qui cupiditatibus pareant esse seruos. Cic. Paradoxo 5. An ille mihi liber videbitur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur, qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet: si pœscit, dandum est: si vocat, veniendum: si eiicit abeundum: si minatur, extimescendum. Ego verò istum non modò seruum, sed nequissimum seruum, etiam si amplissima familia natus sit, appellandum puto:

Si totus) Hactenus protasis dissimilitudinis disputata est, ea non esse libertate opus ad philosophandum, quam donant pilea, donatue prætor, quæ multis argumentis confirmata & amplificata ad hunc vsque locum perducta est. Antapodosis tandem sequitur, vbi liber definitur omnibus animi cupiditatibus solutus. Ac ne aliena hoc loco videatur esse huiusmodi antapodosis propter interiectum longissimum in ter protasim spatium, protaseos sententia breuiter sequente versiculo repetitur.

Festuca) Id est (vt antè dixit) vindicta, vel festuca, quæ in caput eius, qui manumittebatur, spargebatur, ait Plutarchus.

*Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? vigila, & cicer ingere large
Rixanti populo, nostra vt Florali possint
Aprici meminisse senes: quid pulchrius? at cum
Herodis venere dies, vnctaq; fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thymni, t. met alba fidelia vino,
Labra moues tacitus, recutitaq; sabbata palles.*

Ius habet) Illustratio proximæ antapodoseos ex dissimili. Qui solutus omni cupiditate est, liber est: qui autem ambitione ducitur, aut alia cupiditate, liber esse non potest.

Quem ducit) Sic Cicero 5. Paradoxo: Quid iam illa cupiditas, quæ videtur esse liberalior honoris, imperij, prouinciarum, quam dura est domina, quam imperiosa?

C

Palpo) Id est assentator, qui populi benevolentiam aucupatur, quod facere solebant qui ad aliquam honoris sedem aspirabant (ait Cicero pro Plancio) unde nationem candidatorum officiosissimam vocat in Pisonem.

Hiantem) Metaphora est à terra, quæ hiare tum propriè dicitur, cum æstu Solis exiccata finditur, rimas quæ suas in bri aliquo expleri cupit. Hinc metaphoricòs pro: expetere: vt 3. Catilin. Paruum atque lactantem vberibus lupinis in hiantem fuisse meministis.

Cretata) Metonymia est adiuncti pro subiecto: nec enim cretata erat, seu alba vt creta ambitio, sed ambitiosi, qui & candidati dicebantur, à toga quam gestabant candida. unde fuit illa Ciceronis oratio Romæ habita in toga candida, quæ temporis iniuria excidit. Nisi fortè hoc malum ad Floralia referre, quibus albæ vestes, vt in Cerealibus dabantur & gestabantur. Cuius rei rationem sic explicat Ovidius quinto Fastorum:

Curtamen videntur vestes Cerealibus albæ,

Sic est hæc cultu versicolore decens?

An quia maturis albescit messis aristis,

Et color & species floribus omnis adest?

Virgila) Profopopœia est ambitiosi familiares suos hortantis, vt pro se in captandis populi suffragijs incumbant ex fine: populi enim gratiam & fauorem sibi promerebantur, qui honores ambibant, spatione & effusione leguminum in festis Floraliibus: unde Horatius:

In cinere atque faba bona perdas atque Lupinis,

Letus vt in circo spatieris & æneus stes,

Nudus agris.

Floralia) Floralia Romæ festa in honorem Floræ, quæ à Martiale festa popularia appellantur, propterea quod populus per eos dies maiore cum licentia lasciuiret: tum enim propter verborum obscenitatem excolebantur meretrices vestitus, spectante populo. Fuit enim Flora in signe scortum & nobile, quæ cum maximo quæstum arte sua fecisset, moriens populum Romanum heredem reliquit cum magna pecunia, ex cuius annuo fœnore eius natalis Romæ celebrari solebat editio ludorum, qui Floralia dicebantur; verum ad vitandam rei turpitudinem, deam sinxerunt pontifices fuisse Floram, quæ floribus præfesset; quæ floribus & leguminibus placanda esset, vt omnia bene florent. Ouid. 5. Fast.

Turba quidem cur bos celebret meretricia ludos,

Non ex difficili cognita causa fuit.

Non est de tetricis, non est de magna professis,

Vult sua plebeio sacra patere choro.

Et monet atatis flore dum deceat vti:

Contemunt spinam cum cecidere rosæ.

Celebrabantur autem ad 4. Cal. Maij.

At cum

At cum Herodis) Altera eiusdem antapodoseos illustratio ex altero dissimili, quod superstitiosi non sint liberi, sed omni timore & superstitione vacui. Protasis specie singulari declaratur, id est exemplo Iudæorum, quorum gens Romanis maxime superstitiosa visa est, quippe quæ se die sabbati sine vlla defensione à Pompeio capi & expugnari passa sit: vt est apud Iosephum, & 1. Machab. cap. 10. nefasque eo die esse putauerit, hostem muro deiecere, arma pro vita, pro aris & focis capere: quid dicam cibum parare? Hi die sabbati prætorium non ingrediebantur, sed filium Dei verum sabbatum interficiebant, Ioann. 8. Iudæos igitur Romæ tumultuantes (vt ait Suetonius) Christo impulsore, nouæ cuiusdam religionis tumultu hoc loco infectatur Persius, & liberos non esse docet ex effectis, quæ adiunctis declarantur. Nam vt ait 1. de Finib. Torquatus Epicureus: Imbutus superstitione quietus esse non potest.

Herodis dies) Periphrasis est sabbati ex adiunctis: Herodes enim rex fuit Iudæorum, à scalonita dictus, Antipatri ex Cypride filius, qui primus in Iudæa regnavit insigni crudelitate notus, qui morbo tandem intercutis scatentibus vndique vermibus interiit.

Vincta que fenestra) Superstitiosa aliquot Iudæorum facta enumerantur, ridendaque propinantur: primum est accensio lucernarum. Solebat enim Iudæi pridie sabbati ennea mixon, id est lucernam novem lychniorum in fenestra ponere sale & oleo imbutam: unde fenestra vincta dicitur, propter oleum quod ex lucernis exudabat (ait Nebricensis.)

Thynni) Thynnus piscis est familiaris Iudæis, cuius cauda vilior est, quia pinguedine caret. vide Plinium.

Labra mouet) Sic Horatius:

Labra mouet cupiens audiri, pulchra Lanerna,

Da mihi fallere, dat & c.

Sabbata recutita) Recutitorum & circumcisorum Iudæorum. Martialis:

Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum.

Dicuntur autem recutiti, quia noua cutis est restituta: sic recutita colla mulæ appellantur à Martiale.

Sabbata) Sabbatum dicitur fuit otij & quietis, Iudæis indictus à Deo, Exod. 16, 20, 31, 34. Leuit. 19. Deut. 5. Sabbatum autem instituit ideo Deus, quod septimo die cessasset à creatione mundi, tum etiam ad refrendam memoriam quietis, quam præstiterat Deus Iudæis, cum eos à seruitute Pharaonis liberauit: vt est Exod. cap. 20. & Deu. 5. cap. Hanc Iudæorum superstitionem ridet Iuuenal. Sat. 14. his versibus:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,

Nil præter nubes & celi numen adorant:

Nec distare putant humana carne suillam,

Qua pater abstinuit, mox & præputia ponunt.

Romanas autem soliti contemere leges,
Iudaicum discunt, & seruant, & metuant ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses,
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti.

Tunc nigri lemures, ouoque pericula rupto,
Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos,
Incussere deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaueris alli.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuo Crasum videt Vulpenius ingens.
Et centum Græcos curto centusse licetur.

Tunc nigri) Explicat alia superstitionis genera, quibus qui laborant, liberi esse nullo modo possint.

Lemures) Lemures antiqui manes & mortuorum animas esse crediderunt, quæ nocturnis incurfionibus domos infestarent, quas qui lectis suis arcere cupiebat, digitis cum pollice complicatis signa dabat: vt est apud Ouidium 5. Fast.

Occurrat tacito ne leuis vmbra sibi.
Cumque manus puras fontana perluit vnda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas:
Aversusq; iacit: sed dum iacit hæc ego mitto,
His (inquit) redimo meque meosq; fabis.
Hæc nouies dixit, nec respicit, vmbra putatur,
Colligere, & nullo terga vidente sequi.
Rursus aquam tangit, Temeseaq; concrepat æra,
Et rogat vt tectis exeat vmbra suis.
Cum dixit nouies, manes exite paterni,
Respicit, & purè sacra peracta putat.

Dicti autem sunt Lemures, quasi Remules, à Remo Romuli fratre: cuius vmbra Faustulum, à quo educatus fuerat, monuisse in fomnijs fingitur, vt Romulum fratrem moneret, vt in honorem Remi fratris celebrem & solemnem quendam diem festum institueret. quod cum Romulo renuntiaffet Faustulus:

Romulus obsequitur, lucemq; Remuria dixit,
Illa, qua postis iusta feruntur auis.
Aspera mutata est in lenem, tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.

Mox

Mox etiam Lemuret animas dixere silentum,
Hic sensus verbis, vis ea vocis erat.

Ouoque pericula rupto) Oua veteres in purgandis ædibus adhibuerunt: vnde Ouidius 2. de Arte:

Et veniet qua lustrat anas lectumque locumque,
Præferat & tremula sulphur & oua manu.

Iuuenalis Satyra sexta:

Metuq; iubet septembris & austri
Aduentum, nisi se centum lustrauerit ouis.

Eius rei ratio à recentioribus traditur, quod ex animalium generibus adeo multiformibus plurima ædantur ouis, quæ velut media sint inter animal & non animal, proinde dijs grata censuisse veteres, quando & Cyami nomine nihil aliud intellexisse videatur Pythagoras, quam ouum, quod in eo sit animantium *κόμις*, id est foetura. Cælius lib. 27. capite 16. Ea autem fuit superstitio, vt si ouum igni immissum rupto putamine efflueret, id summum esse piaculum, & toti anno ominosum crederent.

Galli) Gallos sacerdotes Cybeles intelligit, sic dictos à Gallo fluuio, vt docet Ouid. 4. Fast. his verbis:

Cur igitur Gallos qui se excidere vocamus,
Cum tantum à Phrygia Gallica distet humus?
Inter, air, viridem Cybelem altasque Celenas
Annis & insana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite, queis est
Cura bonæ mentis, qui bibit inde, furit.

De quibus vide Plinium lib. 11. cap. 49. & lib. 35. cap. 12. & Lucretium lib. 2. Augustinum lib. 7. de Ciuitate Dei.

Sistro) Sistrum instrumentum musicum, quo sacerdotes Ifidis in eius sacris utebantur. Virgilius 8. Æneid.

Patrio vocat agmina sistro.

Lusca sacerdos) Periphrasis sacerdotis deæ Ifidis, item ex adiunctis, vbi synecdoche est: luscam enim dixit pro muliere aliqua corporis parte vitiosa, & membro aliquo mutilato: quales omnes esse solebant Ifidis sacerdotes: de Ifide autem vide Ouidium 1. Metamorp. Huius sacra ex Ægypto Romam sunt translata, eiusque templum in campo Martio fuit. Iuuenalis:

A Meroe portabit aquas, quas spargat in adem
Ifidis, antiquo quæ proxima surgit ouili.

Deos) Metonymia tertij generis, deos pro timore Dei.

Inflantes) Hydropisim & morbum intercutem in corpus immitentes. hoc autem videtur dicere, quia per Ifidem iurantes, morbis affigerentur.

Ter mane) De ternario numero satis à nobis dictum esse puto Satyra secunda.

B 3

Alli) Allium apud Ægyptios pro deo cultum fuit, & cæpe: author Plinius lib. 16. cap. 6. vnde Galenus 12. Therapeutices allium rusticotheriacem vocat: nam rusticus intentus operi, vbi colica grauius affligitio infestare adorta illum est, remedio hoc vsus, primum se præcinxit mox & cum pane allium esitando ventris dolorem sedauit.

Dixeris hæc inter) Prolepsis ad extremum additur, quæ dissimilibus soluitur. Et si homines ignari & stupidi hanc in eam de vera libertate sententiam irrisuri sunt: vera tamen est. Protasis ex effectis huiusmodi agrestium hominum declaratur, quod illi philosophos falsis non æstiment.

Varicosos) Qui propter assiduam laborem varices contrahunt: sunt autem varices, venæ in suris obtortæ, quæ solent baiulis & cursoribus accidere.

Centuriones) Synecdoche est & metaphora. Centuriones enim agrestes & nulla disciplina exculi homines dicuntur, quales esse solent Centuriones.

Crassum) Id est Crasse (ait Britannicus) nomen pro aduerbio.

Vulpenius) Fictum nomen est stupidi cuiusdam bellatoris.

Græcos) Metonymia quarti generis: Græcos enim dixit pro philosophis, qui serè omnes Græci natione fuerunt, vt postea Satyra 6.

Licetur) Liceri siue licitari, est pretium deferre in venditione siue conductione facienda. Inde licitatores dicti, qui pro re emenda conducendæ pretium alius alio maius pollicentur. Cicero 3. Officior. Non licitatore venditor, nec cõtra se qui liceatur emptor opponat.

Curto centusse) Centum assibus curtatis.

Finis quintæ Satyræ.

ANTO.



EXTA & postrema Persij Satyra in effrenatam Romanorum avaritiam comparata est, ad quam notandam & perstringendam occasio captatur per dissimilitudinem studiorum Persij & Balsi (ad quem scribitur) poetarum & imperitiæ multitudinis Romanæque plebeculæ. Illi enim ruri honestis sese studijs oblectant. Plebs verò Romæ diuitijs inhæret, infinitisque laboribus sese exercet, vt opimam suis hæredibus hæreditatem relinquat.

Admouit iam bruma foco te Basse Sabino?

Alâm ne lyra, & Tetrico viuunt tibi pectine chordæ?
*Mire opifex, numeris veterum primordia vocum,
 Atq; marem strepitum fidis intendisse Latine.
 Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto
 Egregios lusisse senes, mihi nunc Ligus ora
 Intepet, hybernatque meum mare, quâ latus ingens
 Dant scopuli, & multa litus se vallerceptat.*

Admouit) Protasis dissimilitudinis, in qua Balsi & Persij poetarum studia inter se quidem similia, vulgi tamen studijs dissimilia, ex adiunctis & effectis comparantur.

Basse) Hunc Bassum alij Saleium, alij Cæsum nominant. Ego verò Cæsum potius quàm Saleium intelligi crediderim. Saleius enim sub Vespasiano in pangendis heroicis versibus floruit, à quo 50 sestertijs donatus est, vt ait Cornelius Tacitus. At verò Persius circiter decimum Neronis imperij annum obiit, qui fuit ante Vespasiani tempora 21. vt Saleium non modò coluisse, sed ne vidisse quidem Persius videri possit. Huc accedit, quod hic Bassus non Epicus, sed Lyricus poeta Persij versibus definiatur, cum ait:

*Iam ne Lyra & tetrico viuunt tibi peccine chordæ &
Mire opifex numeris veterum primordia uocum
Atque marem strepitum fidis intendisse Latine
Mox iuuenes agitare iocos & pollice bonesto
Egregios luisse senes.*

Hic igitur Cæsius Bassus non Saleius intelligatur: fuit enim Cæsius Lyricus poeta Persij æqualis, qui à Claudio principe floruit vsque ad Vespasiani tempora, cuius meminit Fabius Quintilianus libro vndecimo, capite primo: & Diomedes Grammaticus & Priscianus: qui cum alios permultos, tum verò istum ex secundo Lyricorum Bassi libro citat:

Calliope princeps sapienti psallerat ore.

Bruma) Bruma dies est anni totius breuissimus, qui circiter Idus Decembres nostro tempore accidit, ubi solstitium est hyemale. Plinius libro decimo octauo, cap. 25. Bruma Capricorni ab 8. Ianuarij ferè. Ouidius 1. Fast.

Bruma noui prima est, veterisque nouissima Solis.

Dicitur autem Bruma (vt ait Festus) quasi *Βραχμία ημερα*.

Sabino) Sabini, populi inter Umbros & Latinos, sic dicti (vt ait Plin. lib. 3. cap. 2.) quasi Seuini, à cultu & religione deorum: Velinos accolunt lacus, rosicidis collibus.

Foco) Significat Bassum relicta vrbe rus secessisse, vt illic melius meditaretur & scriberet: nam, vt ait Horatius:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbeum.

Et Ouid. *Carmina secessum scribentis & otia quarunt.*

Iam ne) Effecta studiaque Bassi in agro Sabino degentis explicantur. sic Horatius tertia Epistola secundi libri de Titio poeta, Pindari interprete.

Fidibus ne Latinis.

Thebanos aptare modos studet auspice Musa?

Lyra) Instrumentum musicum, sic dictum *λύρα*, quod est canere, quòd ad lyram sua carmina veteres canerent, quibus statuebatur chorus quinquaginta virorum, & tauro donabantur. Lyram autem Erasosteni poetæ Græco, Mercurius primus ex testudine fecisse dicitur.

Viuent) Metaphora ab animatis rebus, id est, personant.

Pectine) Pecten instrumentum musicum, quo citharam pulsamus. Virgilius 6. Aeneidos:

Iam peccine pulsat eburno.

Tetrico) Tetricus mons in Sabinis asperrimus (ait Seruius) vnde nonnulli codices Tetrico maiuscula prima legunt litera, vt Tetricus per synecdoc. pro Sabino vsurpetur: ego verò Tetricum metaphoricòs explicare malim pro graui & aspero: qualis esse mons ille dicitur. Martialis libro sexto:

At quam

At quam nos tetricus quam nulla nubilis ira?

Hinc tetricitas pro asperitate & morositate. Ouidius ad Pisonem:

Talis inest habitus, qualem nec dicere mæstum

Nec fluidum leta sed tetricitate detorum

Possumus.

Ergo adiectiuum illud vel ad Bassum vehementem & seuerum, vel ad pecten graues in Lyra cantus personans referatur.

Mire opifex) Laus Bassi ex adiunctis.

Numeris) Metonymia quarti modi, numerus pro carmine numero, qualis antea frequens fuit.

Primordia) Id est versus & carmina; quia quæ ad posteritatem primum homines peruenire voluerunt, ea versibus & numerosa oratione tractauerunt, vt constat ex Strabone lib. 1. cum ait: *Primo ante omnia apparatus ipsa poetica processit in medium, & probata complacuit: dehinc illam imitati, cum metrum soluisent, reliquis poeticæ seruatibus partibus, rem scriptis commendarunt; Cadmus videlicet & Pherecydes Hecateus: qui deinde post illos, &c. Hoc orationis genere Dij olim hominibus responsa dederunt.* Horatius.

Dictæ per carmina sortes

Et vitæ cantata via est.

Hoc orationis genere Orphæus, Linus, Musæus, Amphion, totus denique sacer poetarum, vt ait Horatius 1. Epist.

Posit opem chorus & præsentia numina sentit,

Celestes implorat aquas, docta prece blandus

Auertit morbos, metuenda pericula pellit,

Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.

Hoc orationis genere antiquissimi reges & principes, sacerdotes & prophetae, Moses, Samuel, Iob, Dauid, Salomon, Esaias, preces votaque Deo fecerunt. nam vt ait idem Horatius 1. Epist.

Carminibus dii superi placantur, carmine manes.

Ergo primordia veterum uocum sunt carmina: Nam, vt ait Horatius in Arte:

Fuit hæc sapientia quondam

Publica priuatis discernere sacra profanis,

Concubitu pro bibere vago, dare iuga maritis,

Oppida moliri, leges incidere ferro,

Carminibus.

Intendisse) Cum solerti neruorum intensione virorum fortium certamina versibus Latinis descripta, ad Lyram cecinisse.

Mare strepitum) Metonymia est quarti modi: ex adiuncto enim strepitu virorum certamina significantur, quæ versibus descripta ad Lyram cantabat Bassus. hoc enim proprium est Lyricorum poetarum subiectum. Horatius in Arte:

Musa dedit fidibus diuos puerosque deorum,

*Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vna referre.*

Virgilius:

*Cui carmina semper
Et cit baræ cordi, numerosq; intendere nervis:
Semper equos atque arma virum pugnasq; canebat.*

Iocos iuuenes.) Metonymia quarti generis, ioci iuuenes, id est iuuenum, vt amores, libidines, & cætera quibus abundare iuuentus solet, de quibus superiore Satyra.

Egregios senes.) Metonymia primi generis, causa pro effectu: egregios enim senes dixit pro factis illustribus veterum.

Mibi nunc.) Altera pars protaseos dissimilitudinis, vbi similiter honesta Persij studia Romanæ plebis studij dissimilia declarantur: ac primum ex subiecto loco, id est Lunæ oppido Hetruriæ, cuius loci amœnitas ex adiuncta aeris clementia, & benignitate demonstratur.

Ligus ora.) Periphrasis est Liguriæ, quæ regio est Italiæ, magna sui parte montana, Macra fluuius ab Hetruria, Varo à Gallia Narbonensi distincta, cuius incolæ Ligures nominantur. Plinius libro tertio, capite quinto.

Intepet.) Quia sita est ad littus maris mediterranei, quæ pars Italiæ ad meridiem vergit. Est autem Metaphora ab aquis. sic Horatius Epistola 10. libri 1.

Est vbi plus tepeant hyemes.

Meum mare.) Ligusticum vel Hetruscum: Volaterris enim natus est, vt initio dictum est, oppido Hetruriæ.

Qua latus.) Altera Lunæ oppidi amœnitas declaratur ex adiuncto portu. Luna enim oppidum est Hetruriæ ad mare situm, cum portu eiusdem nominis iuxta Macram fluuium, Liguriæ & Hetruriæ terminum: vnde hic oræ Liguris meminit. Græci enim (vt ait Strabo lib. 5.) & portum & urbem Selenes appellant, id est Lunæ. Vrbs quidem haud sanè magna, maximus verò & pulcherrimus portus est, multos intra se portus complectens, magnæ profunditatis vniuersos, adeo vt omnium, quæ maris teneant imperium, facile fieret receptaculum. Celsis verò montibus portus ipse circumcluditur, qui prospectum longe pelagi præbeant. nam & Sardinia, & magna littoris vtriusque pars cernitur. & Plin. cap. 5. lib. 3. Primum Hetruriæ oppidum portu nobile.

Scopuli.) Quibus portus circumcluditur.

Lunai portum est operæ cognoscere ciues.

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse

Meonides quintus pauone ex Pythagoreo.

Hic

*Hic ego securus vulgi, & quid præparèt Auster
Infelix pecori, securus & angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior; & si aded, omnes
Ditescant orti peioribus, vsque recusem
Curuus ob id minui senio, aut cœnare sine victo,
Et signum in Vapidana sœ tetigisse lagena.*

Lunai portum.) Portus Lunæ amœnitas confirmatur Ennij testimonio, ex cuius antistichis versus hic citatur.

Est operæ.) Pretium subaudi. Est autem allegoria à mercenarijs, quibus quia iucundissimus est laboris fructus, operæ pretium per metaphoram, pro se iucundissima vel vtilissima, qualis est operis merces, usurpatur: Iuuenal. Sat. 6.

Est operæ pretium penitus cognoscere, toto

Quid faciant agentibus die.

Id est fructuosum & ad rem pertinens: vide Vallam lib. 4. cap. 76. & Budæum in annotationibus in Pandect. in L. Cum duobus. paragr. si in cœcunda: eodem titulo.

Lunai.) Licentia est veteribus poetis familiaris, diphthongum latinam Græco more distinguentiunt. Sic sæpe Lucretius, aliquando etiam Virgilius:

Pictai vestis & auri.

Quod Martialis in poetis sui temporis reprehendit his versibus:

Attonitusque legis terrai, frugiferai

Accius & quicquid Paruinisq; vomunt.

Cor iubet.) Metonymia tertij generis: cor enim pro Ennio cordato & ingenioso dicitur, quod in corde sedem ingenij mentisque domicilium veteres philosophi putarent esse. alijs enim (ait Cicero primo Tusculanar.) cor ipse animus videtur, ex quo excordes, vecordes, discordesque homines dicuntur: & Nasica ille prudens bis consul Corculum appellatus:

Egregie cordatus homo Catus Elin' Sextus.

Empedocles autem animum esse censet cordi suffusum sanguinem, alijs pars quedam cerebri visa est animi principatum habere, alijs nec cor ipsum placet, nec cerebri partem quandam esse animum, sed alijs in corde, alijs in cerebro esse dixerunt, &c. Huc accedit, quod tria sibi corda inesse dicere solitum ferunt Ennium, quod tres linguas calle-ret, Græcam, Oscam, & Latinam: quod proprium mentis & ingenij munus est: author Gellius lib. 17. cap. 17.

Enni.) Ennius poeta Rudius, qui (vt ait Lucretius lib. 1.

Primus ameno.

Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,

Primus Annales scripsit: unde sunt illa prima Tusculana:

*Aspicite, o ciues, senis Ennij imaginis formam,
Hic vestrum paucis maxima facta patrum.*

Postquam desertuit.) Definitio quædam est Ennij ex adiunctis personæ. Alludit autem ad huius poetæ somnium, qui (vt i. Satyra diximus) cum Homeri versus legeret, meditaretur, disceret, imitaretur, totumque se ad illius imitationem componeret, somniauit se Homerum esse factum. fit enim sæpe (ait in Scipionis somnio Cicero) vt cogitationes sermonesque nostri pariant in somno aliquid tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare & loqui: unde ab Horatio

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus

appellatur. Vide i. Satyræ initium:

Desertuit.) Expergetactus est.

Mæonides.) Synecdoche generalis pro speciali. Mæonides autem dictus Homerus à Mæone patre. Ouid. 3. Amorum:

Viuet Mæonides Tenedos dum stabit & Ide.

Pauore ex Pythago.) Id est, in quem anima Homeri, quæ eadem ante Pythagoræ fuerat (vt aiebat ipsemet Pythag.) commigrarat. Pythagoras enim Palingenesiam induxit, id est animæ in diuersa corpora commigrationem, vt qui se primùm Euphorbum, tum paonem, deinde Pythagoram fuisse diceret: tandem verò in Homeri, postremo in Ennij corpus transfusus esse crederetur (ait Lactantius). Sic apud Ouid. Pythagoras 15. Metamorph.

*Corpora siue rogis flamma seu tabe vetustas
Abstulerit mala posse pati non vlla putetis.
Morte carent animæ, semperque priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt, habitantque receptæ.
Ipse (nam memini) Troiani tempore belli
Panthorides Euphorbus eram, cui pectore quondam, &c.*

Neque verò hoc loco (Quintus) ad numerum & ordinem referatur, cum nullo modo conuenire possit, sed Ennij prænomen sit, & nominatiuus verbi (desertuit).

Hic ego.) Facta loci descriptione studia sua declarat Persius ex adiunctis, quòd illic degat ab omni cupiditate, inuidiâ & perturbatione seiunctus.

Securus vulgi.) Alienus ab omni ambitione populari & sollicita honorum cupiditate, qua qui tenentur, omnia non modò quæ reprehendi palàm, sed etiam quæ obscure cogitari possunt, timent, rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescunt, ora omnium atque oculos intuentur: nihil est enim tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas populi, sensusque ciuium, qui non modò improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam rectè factis plerumque fastidiunt. Cicero pro Milone. Iuuenalis Sat. 10.

Turba

*Turba tremens sequitur fortunam, semper & odit
Damnatos, idem populus si Nursia Tibusco
Eauisset, si oppressa foret securâ senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum, &c.*

Itaque securum se à vulgo & imperita dicit esse multitudine Persius, quæ (vt ait Seneca in Octauia)

*Cum flatu
Vela secundo ratis impleuit
Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto seuoque mari.*

Quid præparet.) Significat se in maxima animi tranquillitate & securitate esse, qualem scriptori carminum necessariam esse indicat Ouidius, cum ait:

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Idem: *Carminibus metus omnis abest, &c.*

Auster.) Ventus meridionalis calidus & humidus, exitialis & morbosus, qui à Græcis *νότος* dicitur. Est autem hoc loco Metaph. ab animalibus consilio præditis. simili metaphora dixit Virgilius 1. Geor.

Vnde serenas

Ventus agat nubes, & cogitet humidus Auster.

Infelix.) Id est noxius, quò flante, vt ait Plinius lib. 2. homines grauiiores & inualidiores redduntur, siquidem naturæ est calidæ & humidæ, quibus in corpore animalium superfluentibus, febris solet excitari: de quo sic Virgilius:

Arboribus satisque Notus pecorique sinister.

Securus.) Significat se ab omni inuidiâ esse liberum, qua

Siculi non inuenere Tyranni

Maius tormentum.

Ait Horatius lib. 1. Epist. ad Lolium: ab inuidiâ enim (ait Ouid. 2. Metamorph.)

*Risus abest, nisi quem visis mouere dolores,
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis:
Sed videt nigratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque, & carpitur vna,
Suppliciumque surm est.*

Angulus vicini.) Synecdoche est: angulus enim vicini pinguior, pro quouis secundo successu vicini ponitur: inuidis enim (vt ait Ouid.

1. Artis) *Fertilior seges est alienis semper in agris,*

Vicinumque pecus grandius vber habet.

Iuuenal. Sat. 14. *Maiorque videtur*

Et melior vicina seges.

Est adco.) Illustratur protaficos dissimilitudinis pars posterior alio dissimili. Etsi homines ignobiliores ditescunt, non tamen inuidere possum, aut aliquem animo dolorem capere.

Et si) Protasis dissimilitudinis, minorum collatione illustrata.
Minui senio) Quod inuidis, & his, qui sese curis & sollicitudinibus excruciant, solet accidere, ut testatur Ouid. i. de Ponto his versibus:

Iam mihi deterior carnis aspergitur etas,

Iamq; meos vultus ruga senilis arat.

Iam videri quæstia languent in corpore vires,

Nec iuueni lusus qui placere iuuant.

Nec me, si subito videas, cognoscere possis,

Etatis facta est tanta ruina meæ.

Confiteor facere hoc annos: sed & altera causa est,

Anxietas animi continuusq; labor.

S. Antonomasia) Id est, non tamen quicquam de victus mei quotidiani leuitia remittam, meumque genium idcirco defraudabo: ut Menodemus apud Terentium propter filij Clinie absentiam.

Sine vincto) Metonymia adiuncti pro subiecto: vinctus autem cibus metaphoricòs dicitur, conditus & pinguis, sic antea:

Vincta vixisse patella.

Et signum) Id est, nec tamen lagenas vino plenas obsignabo (ut ait Nebricensis) quod facere solent auari, qui lagenam vini annulo obsignabant, ne à famulis obliguriretur, aut veneno interciperetur. Martialis:

Nunc signat annulus meus lagenam.

Tetigisse naso) Id est, tam curiosè, tam accuratè, ut ad occludendam lagenam non modò manus, sed & nasum admoueret; quod hyperbolicòs dictum est, quo modo dixit Martialis de Sellio quodam, qui de cœna cogitans, tristis & cogitabundus demisso capite incedebat:

Quod penè terram

Tangit indecens nasus.

Lagenas verò & œnophora sigillo annuli obsignari à veteribus solitas testis est. Cicero ad Tyronem, cum ait: Sicut olim matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat. Sic Plautus in Persa: Nam id demum lepidum est, Triparchas homines vetulos, aniles bene admordere, qui allium seruo obsignent cum sale. Hoc autem signo referato irascebantur heri. vnde Horatius Epist. 2. lib. 2.

Possit qui ignoscere seruis

Et signo læso non insanire lagenæ.

*Discrepet his alius, geminos horoscope varo
 Producis genio, solis natalibus est qui
 Tingat olus siccum muria vaser in calice empta,
 Ipse sacrum irrorans patinæ piper: hic bona dente*

Gran

*Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, Utar,
 Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
 Nec tenuem solers turdorum nosse saliuam.
 Messæ tenuis propria viuæ, & granaria fas est
 Emole. quid metuas? occa, en seges altera inberba est.*

Discrepet his alius) Protasis dissimilitudinis ad hunc usque locum producta est in hanc sententiam: Bassus in Sabinis; Persius in Liguriis, seiuncti ab vrbe, ambitione, auaritia, & omni cupiditate; honestis sese recreant & reficiunt studijs. Antapodosis deinde sequitur: At Romani à nostris moribus longè differunt, quorum alij cupiditate habendi excruciantur, alij omni genere luxuriæ cupiditatique diffuunt.

Geminos) Ratio antapodoseos ex collatione maiorum non mirum est si dissentiant à nostris moribus & studijs Romani: Nati enim sub eodem horoscopo & eadem constellatione, dissimilibus tamen plerumque sunt studijs & moribus, quanto magis igitur Romani sub diuersis sideribus nati: Protasis sola ponitur. Horatius Epist. 2. lib. 2. eandem sententiam attingit his versibus:

Cur alter fratrum cessare, & ludere, & vngi

Præferat, Herodis palmetis pinguibus: alter

Dives & importunus, ad vmbra lucis ab ortu

Syluestrem flammis & ferro mitiget agrum &

Scit Genius.

Et 2. Sermōnum Satyra prima:

Castor gaudet equis, ouis prognatus eodem

Pugnis: quot capitum viuunt totidem studiorum

Millia.

Horoscope) Apostrophe ad Horoscopum. Est autem Horoscopus id temporis momentum, intra quod quisque nascitur, quasi horæ inspectio & notatio: de quo multa sunt apud Censor. & Genetliacos.

Varo genio) Id est dissimili, vario ingenio, & moribus studijsq; dissimilibus contra Possidonium Stoicum, qui putat homines sub eadem cœli constellatione natos, similiter esse affectos. Cicero in Pato:

Solis natalibus) Confirmatur protasis collationis maiorum per distributionem: nati sub eodem horoscopo diuersis plerumque affecti sunt moribus. alius enim est auarus, alius profusus & dissolutus: prior pars distributionis est de avaris, quos ex effectis, varijs circumstantijs amplificatis designat: ut Satyra 4. Ventidium:

Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,

Seriola veteris metuens deradere limum,

Ingemit, hoc bene fit, tunicatum cum sale mordens.
Cape & farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam fecem morientis sorbet aceti.

Solis natalibus) Natalia Romæ vrbis eadem quæ & Palilia fuisse, antea dictum est. Significat igitur summam in ciuibus avaritiam, qui ipso die natalitiorum, qui Romæ summa vel religione obseruabatur, holeribus & muria contentus viueret. sic Horatius:

Natales aliosie deorum
Festus & albatu celebrat, cornu ipse bilibri
Caulibus instillet.

Muria) Muria genus liquaminis olim fuit, ex Thynnorum & Seombrorum falammentis collectum, Martialis in Xenijs:

Antipolitani fateor sum filia, Thyyni
Essem, si scombri non tibi missa forem.

Vide Plinium lib. 31. cap. 8.

In calice) Id est vnciatum, Gallicè *liure à liure*: ne profunderetur. *Irrorans*.) Metaphora est hyperbolica ad significandam hominis avaritiam nimiamq; victus parsimoniam, id est infundens leuiter more roris qui lentissimè distillat.

Piper sacrum.) Quo tanquam re sacra vtebatur, quam nefas est profunderere. Horatius l. Serm.

Congestis vndique saccis
Inermis, inbian, & tanquam parcere sacris
Cogere.

Item secundo Sermone. &c. de avaro:

Qui nummos aurumq; recondit, nescius vti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum.

Hic bona) Altera pars distributionis est de prodigis nepotibus & patrimonio naufragis, quos item ex effectis exprimit Persius.

Vt ar ego) Concludit propositam hominum etiam sub eodem horoscopo natorum dissimilitudinè alia dissimilitudine. Quare quantum alij sordidè & avarè, alij profusè & intemperanter viuunt, modum tamen & mediocritatem tenebo. Protasis expressa non est.

Vt ar ego.) Antapodosis illustrata epizeuxi, verbo interposito. *Nec Rhombos*) Illustratio proximæ dissimilitudinis per aliam dissimilitudinem, & quantum avarus esse nolim, nolim tamen esse dissolutus & profusus.

Rhombos.) Rhombus piscis planus, cui dextrum latus resupinatum est, quem lautæ gulæ fuisse indicat Horatius, cum ait:

Num esuriens fastidis omnia, præter
Pauonem & Rhombum?

Vide Plinium lib. 9. cap. 20.

Ideo) Hæc dictio protaseos vim habet, hoc modo: nec ideo, quia nolim esse avarus, &c.

Libertis

Libertis) Id est conuiuis & comitibus.

Saliuam) Metonymia adiuncti pro subiecto: saliuam enim pro sapore hic ponitur, quia deglutienda saliuam rerum sapores percipiuntur.

Turdorum) Turdus auis suauissimi saporis. Horat. Epist. 15. lib. 1.

Cum sit obeso

Nil melius Turdo, nil vulua pulchrius ampla.

Martialis: *Inter aues Turdus, si quis me iudice certet,*

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Vide Plinium lib. 10. capite 53.

Messe) Cohortatio ad vitandam avaritiam & mediocritatem in vita seruandam. Argumentum est ex adiunctis, quia sit fas. Horatius

Ode. 10. libri secundi:

Rectius viues Licini, neque altum
Semper vrgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem

Diligit, intus caret obsoleto

Sordibus tecti, caret inuidenda

Sobrius aula.

Terentius in Andria:

Nam id arbitror apprimi in vita necessarium,

Ne quid nimis.

Cicero ad Brutum: Modus est optimus, decus ipsum tenere, nec progredi longius.

Messe) Allegoria est ab agricolis, qui vt pro mensis suæ fertilitate & abundantia viuunt, sic vnusquisque pro ratione census sui viuere debet. Sic Iuuenalis Satyra vndecima:

Bucce

Noscenda est mensura tue, spectandaq; rebus

In summis, minimisq; etiam cum piscis emetur:

Nec cupias mullum cum sit tibi Gobio tantum

In loculis.

Horatius Epistola 7. lib. 1.

Metiri se querique suo modulo ac pede certum est.

Vide Erasimum in proverbio, *Messe* tenus propria viuere.

Granaria) Metonymia subiecti pro adiuncto: continens enim pro contento ponitur, granarium pro frumento in granario recondito.

Quid metuis) Proleptis: occurrit enim tacitæ auari obiectioni: at vereor ne hoc consumpto meo frumento mihi desit. quam refellit ex adiunctis: non debes hoc timere, nam dum paratum consumis, ecce aliud tibi paratur & resurgit in agris.

Occa) Occare alij ab occidendo & frangendo, alij ab occultando deducunt. Posteriorem sententiam secutus videtur esse in Catone

E

maiore Cicero, de terra loquens: quæ vbi gremio mollito & subacto semen sparsum excepit, primum id occacatum (vel vt alij legunt) occacatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est.

*Aut vocat officium, trabe rupta, Brutia saxa
Prendit amicus inops, remq; omnem, surdaq; vota
Condidit Ionio, iacet ipse in littore, & vna
Ingentes de puppe Dei, iamqut obuia mergis
Costaratis laceræ. nunc & de cespite viuo
Frangere aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cerulea in tabula. sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quod rem curtaueris, vrne
Ossa inodora dabit: seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casia, nescire paratus.*

Aut vocat) Altera cohortatio ad liberalitatem in miseros & afflictos exercendam. argumentum est ex adiunctis, quia id officij ratio postulet, quod alijs circumstantijs calamitatis amplificatur.

Trabe rupta) Synecdoche est duorum generum: naufragus enim hoc loco & naufragium describitur, pro quouis calamitoso & calamitate: species pro genere, & trabs pro naui ponitur, pars pro toto, vt tertia Satyra:

*Cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes.*

Vocat officium) Propensior enim esse debet liberalitas in calamitosos, nisi fortè digni erunt calamitate. Cicero. 2. de Offic. Martial. lib. 5.

*Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
Quas dederis solas semper habebis opes.*

Brutia saxa) Descriptio est naufragi, ex effectis & adiunctis, sic Virgil. 6. Æneid. de Palinuro naufrago.

Prensas atemque vncis manibus capita aspera montis

Sunt autem Brutia saxa scopuli, Brutijs Italiæ populis Lucanisque proximi in mari mediterraneo.

Surdaque vota) Non exaudita à Dijs in tempestate: solent enim tempestate vexati nautæ ad vota contugere rebus deploratis. Ouidius in Tristibus:

*Dij maris & cœli, quid enim nisi vota supersunt,
Soluere quassatæ parcite membra ratis.*

Condidit) Metaphora à penu & arca, vbi res conduntur.

Ionio

Ionio) Ionium mare dicitur pars maris mediterranei, quæ supra fauces Adriatici inter Siciliam & Cretam expanditur, ait Mela & Seruius in illud Virgilij:

Insule Ionio in magno, &c.

Est autem hoc loco Synecdoche, partis maris pro mari, sic dicitur ab Ionio Dirrachij filio, quem interfestum Hercules in mare præcipitavit, author Appianus. Solinus à rege eiusdem nominis.

Lacet) Hypotyposis quædam est & subiectio ante oculos ad misericordiam commouendam.

Ingentes de puppe) In quorum tutela naus fuerat, quorum statuas & simulachra secum nautæ deferebant. Ouidius:

*Est mihi si que precor flauæ tutela Minervæ,
Naus & à picta casside nomen habet.*

Virgilius: *Arma deosque parant comites.*

Costa) Metaphora est ab animalibus, quorum latera costis cingitur. hic enim per similitudinem costa pro parte naus ponitur.

Ratis) Synecdoche est speciei pro genere, qualis antea fuit.

Mergis) Synecdoche item est speciei pro genere. Mergus enim pro aquaticis auibus (ex quarum genere est) ponitur, quæ nauium fragmentis sepe incurstant. de Mergo vide Plinium lib. decimo octauo, capite vltimo.

Nunc & de) Aliud argumentum ad eandem exercendæ liberalitatis cohortationem ex fine.

Cespite viuo) Allegoria est ab hortorum cultoribus, qui vt sæpe non modò flores in cespite excisos, sed etiam plerumq; partem cespitis viua cum radice amicis largiuntur: sic liberales non modò fructus quos ex agris colligunt, sed etiam agri partem aliquam in miseros & afflictos conferre debent. Cæpes enim herba est cum terra euulsa, ait Festus.

Ne pictus oberret) Quod facere solent naufragi, vt Satyra 1. docuimus, ad locum paulò antè citatum ex eadem Satyra:

Cantas cum fracta te in trabe pictum, &c.

Sed cœnam funeris) Prolepsis est, qua auari obiectionem occupat Persius, eiusdemque prosopopœia representat. argumentum est ex fine: non audeo viuis patrimonium minuere, ne meus hæres feralem cœnam parare, ossaque mea post mortem honorificè sepelire, & suauissimis odoribus perfundere & condere recuset.

Cœnam funeris) Periphraus est Silicernij. cœna enim quæ in mortuorum solatium dijs manibus inferebatur, Silicernium dicebatur, quod eam silentes vmbra cernere crederentur (ait Donatus.)

Iuuenal. *Ponitur exigua ferale cœna patella.*

Hæc autem cœna vnà cum funere cremabatur. hinc illud Virgilij:

Congesta cremantur

Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo.

Ossai modora) Vetus hæc fuit sepeliendi ratio, vt cadauera multis odoribus & aromatis conderentur & perfunderentur. Plin. lib. 13. capite 1. de vnguentis loquens.

Nescire paratus) Dissimulans.

Cinnama) Synecdoche: Cinnamum enim & Casia pro quolibet aromatum genere ponitur, species pro genere: & Metonymia primi generis, Cinnamum & Casia pro vnguentis ex Cinnamo & Casia factis. Est autem Cinnamum siue Cinnamomum frutex odoratissimus duorum cubitorum altitudinis, de quo antea ex Plinio lib. 12. capite decimo nono.

Surdum) *καταγενεσις* metaphora à sonis ad odores.

Peccent) Id est adulterentur.

Ceraso) Metonymia tertij generis. Cerasus enim pro gummi Cerasi arboris ponitur, qua Seplassarij odores solent adulterare. de Ceraso autem vide Plinium lib. 15. cap. 25.

Casia) de Casia dictum est Satyra 2. ad illum locum.

Hæc sibi corrupto Casiam dissoluit oliuo.

*Tunc bona incolumis minuas? Sed Bestius vrget
Doctores Graios, ita fit, postquam sapere vrbi
Cum pipere & palmis venit nostrum hoc maris expers,
Fœnifecæ crasso vitiarunt vnguine pultes.
Hæc cinere vltior, metuas? at tu, meus hæres
Quisquis eris, paulum à turba seductior audi,
Obone, num ignoras? missa est à Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
Iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis.
Essedaque, ingentesq; locat Cæsonia Rhenos.
Dis igitur, genioque ducis, centum paria, ob res
Egrediè gestus indico, quis vetat? aude:
Væ, nisi coniuues oleum, artocreasq; popello.
Largior, an prohibes? dic clarè. non audeo, inquis.*

Tunc) Profopopœia est futuri hæredis cuiusdam, eum cuius hæreditatem erat aditurus, à minuendo patrimonio censuque reuocantis, argumentum est ex adiunctis, quia sit viuus & incolumis.

See

Sed Bestius) Apparatus ad alterâ hæredis alterius profopopœiam.

Bestius) Bestius nomen est hæredis cuiusdam.

Doctores graios) Periphrasis philosophorum, quos ferè omnes Græcos fuisse constat, vnde Græcia docta vulgo appellatur, ex qua (vt ait pro Flacco Cicero) leges, humanitas, doctrina, fruges, iuraque orta sint, & in reliquas terras distributa. sic Satyra 5.

Nec centum Græcos curto centusse licetur.

Id est philosophos.

Ita fit) Profopopœia est Bestij philosophos ex effectis increpantis, quòd Romanos à parsimonia summa & frugalitate ad lautitiam deliciasque traduxerint.

Sapere) Græca dicendi ratio est, verbum pro nomine. sic I. Sat.

Et nostrum illud viuere triste.

Id est vita, vt hic, sapere id est sapientia. Sensus autem est: Postquam philosophia è Græcia in Italiam translata est, & in Urbem penetravit, frugalitas Romanorum parsimoniaque exoleuit, & qui antea pulte & tenuissimo cibo utebantur, lautissimè viuere cœperunt: in philosophia enim, vt ait Horatius lib. 1. Epist.

Feruet auaritia miserique cupidine pectus?

Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem

Possis, & magnam morbi deponere partem.

Cum pipere) Id est, eadem naui aduecta, qua piper & palmæ. simili est illud Iuuenalis:

Aduectus Romam quo pruna & costana vento.

Pipere) De pipere dictum est antea Sat. 4.

Palmis) De palma & eius generibus vide Plin. lib. 13. cap. 4.

Fœnifecæ) Hic maiorum vis quædam inest, postquam philosophia Romam aduecta est, non modò diuites & nobiles, qui antea parcissimè viuiebant, sed etiam fex populi, ex qua sunt fœnifecæ, suos cibos condire cœperunt, & lautè viuere. Iuuenal. Sat. 11. de Curio:

Ipse fœcis breuibus ponebat oluscula, quæ nunc

Squalidus in magna fastidit compede fossor,

Qui meminit calide sapiat quid vulua popinæ.

Hæc cinere) Respondet Persius ad primam auari profopopœiam, in qua se, ne ab hærede continneretur, patrimonium minuere non audere dixerat, quem eludit ex dissimili. Protasis permissione exornatur hoc modo: O auare, qui times ne hæres tibi infensus cœnam funeris tui negligat, isto metu frueri: at ego istis rebus non commoveor. nam, vt ait 2. Æneid. Æneas apud Virgil.

Facilis iactura sepulchri est.

Cinere vltior) Subaudi cum fueris: vbi significare videtur Persius, nullum esse post mortem metuendi & reformidandi locum.

At tu) Antapodosis dissimilitudinis apostrophe Persij ad hæredem & dialogismo exornata, vbi significat Persius quid de se dicant

aut sentiant hæredes nihili se facere, quibus inuitis & repugnantibus patrimonium sit profusus, aut etiam, si stomachum mouerint, alios hæredes etiam alienos & incognitos quæsiturus. Sic Horat. Epist. 2. lib. 2.

*Vtar, & ex modico quantum res poscet aceruo
Tollam, nec metuam quid de me iudicet hæres
Quod non plura datis inuenerit.*

Missæ est) Proponit iustas aliquot & honestas minuendæ rei sive familiaris species, quas si hæredi futuro molestas, & graues esse sentiat, eum ipsum sit exhæreditaturus, vt si Cæsaris Caligulæ genio propter recentem & nouam de Germanis victoriam Hecatombem duplicem velit facere, aut etiam aliquid misero populo velit liberaliter dare. Cæsarianæ autem victoriæ suspitiones varias mouet ex effectis & adiunctis.

Cæsare) Synecdoche est: omnes enim Imperatores communi nomine dicti sunt Cæsares, à Iulio Cæsare, qui primus hoc nomen sortitus, idem quoque suis posteris indidit. Caligulam autem intelligit, qui Nerone in imperio præcesserat.

Laurus) Metonymia adiuncti pro subiecto: Laurus pro laureata epistola, qua suam victoriam Senatui populoque nuntiare imperatores solebant. Martialis de nuntio de victoria Cæsaris Domitiani accepto libro 7.

*Publica victrices testantur gaudia chartæ,
Martia laurigeræ cuspide tela virent.*

Laurus enim triumphalis erat, vnde Apollo apud Ouidium 1. Metamorph. ad Laurum:

*Tu ducibus lætis aderis cum læta triumphum
Vox canet, & altis visent capitolia pompas.*

Vide Plinium libro 15.

Insignem ob) Finis missæ lauri:

Pubis) Metonymia quarti modi, pubes Germana pro Germanis puberibus.

Excutitur) Ad noua sacrificia reparanda, sic Virgilius:

Impositum cinerem & sopitos excitat ignes.

Penelope Vlysi: *Argolici rediere duces altaria fumant,
Ponitur ad patrios barbara præda deos.*

Postibus) Templorum columnis. Sic Virgilius:

Captiui pendent currus curuæque secures.

Cæsonia) Cæsonia Calligulæ vxor, nec facie insigni, neque ætate integra, materque iam trium ex alio viro filiorum, sed effrenatæ luxuriæ & lasciuix (ait Suetonius) mulier, quam tamen tam constanter Caligula dilexit, vt eam aliquando chlamyde, pelta, & galea ornatam & iuxta se adequitantem militibus suis ostentari, amicis etiam nudam hæc Calligulæ dicitur poculum amatorium porrexisse, ex quo ille in furorem actus sit. Iuuenalis Satyra sexta:

Et furere

*Et furere incipias, vt auunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.*

Locat) Id est accommodat ducibus Germanis captiuis.

Gausapa) Gausape vel gausapum, genus est villosi stramenti, quo induti duces captiui in triumpho trahebantur.

Esedaque) Eseda proprie dicebantur Gallorum vehicula, vnde Belgica appellantur à Virg. 3. Georgic.

Delgica vel melius feret eseda collo.

Synecdochicòs autem pro quolibet curru.

Ingentes Rheuos) Disponit & digerit in ordinem Germanos Rheini accolæ: vt sit metonymia subiecti pro adiuncto. Ingentes autem dixit, quia (vt est apud Suetonium) Caligula conuersus ad curam triumpho, præter captiuos & transfugas barbaros, Gallorum quemque procerissimum legit & seposuit ad pompam, coegitque non tantum rutilare & comam submittere, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre.

Dixi) Quorum numine & auxilio parta est victoria.

Genioque ducis) Hoc ad inuidiam Caligulæ dictum est, qui (vt ait Suetonius) multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla & munitiones viarum, aut ad belluas condemnauit, aut bestiarum more quadrupes cauea coercuit, aut medios ferra dissecuit, nec omnes ex grauibus caussis: verum malè de numine suo opinatos, vel quod nunquam per suum genium deierassent.

Centum paria) Periphrasis est duplicis Hecatombes, celebre Græcorum sacrificium (vt ait Iulius Capitolinus) quod in hunc modum peragebatur: Centum aræ vno loco constituebantur cespitiæ, ad eas centum sues, centum oues mactabantur, inde si imperatoris sacrificium fieret, centum leones, centum aquilæ & cætera huiusmodi animalia feriebantur, quod quidem etiam Græci fecisse dicuntur, cum pestilentia laborarent: vnde nominis ratio facile intelligi potest. Nam *ἑκατόν* id est centum & *βοῦς* bos à Latinis dicitur, quanquam nonnulli (vt Strabo lib. 8.) non à numero victimarum, sed quod centum Peloponesi vrbes id sacrificium peragerent, dictum esse volunt.

Indico) Sacrificaturum me esse profiteor.

Aude) Permissio.

Ve nisi) Imprecatio.

Connives) Metaphora à corpore ad animum, id est dissimulas.

Artocreasque) Artocrea genus est cibi ex pane & carne confecti, vt indicat ratio nominis: *ἄρτος* enim panis, *κρέας* verò caro Latinis dicitur.

Non audeo inquis) Breuis pro popocæia futuri hæredis, molestè ferentis Persij hæreditatem eiusdem liberalitate & ingenti ob principis victoriam sacrificio minui & deteriorem fieri.

*Exossatus ager iuxta est. agè, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deq̄ auia nihilum superest: accedo Bouillas,
Climumque ad Virbi, præstò est mihi Manius hæres,
Progenies terræ. quere ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud promptè, dicam tamen: adde etiam vnum,
Vnum etiam, terræ est iam filius, & mihi ritu
Manius hic generis propè maior auunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?*

Exossatus) Verba sunt Persij quibus hæredem sibi non defutura auguratur ex adiunctis hæreditatis & agri, qui sit exossatus, id est fertilis & fœcundus, lapidibus expurgatus. Exossare enim est ossa ex cadauere remouere, Terentius in Phormion. de piscibus loquens: *Cum rediero exossabitur.* hinc exossari ager per metaphoram dicitur, id est lapidibus (qui ossium instar sunt in corpore terræ) purgari: vnde Deucalion apud Ouid. i. Metamorph.

Lapides in corpore terræ

Ossa reor dici.

Quamquam & ossa è terra nasci inueniri que lapides osseos scribit ex Theophrasto Plin: lib. 36. cap. 18.

Age si) Aliud argumentum ad eandem quæstionem, quòd familiaritari etiam maxima ex parte diminuta, tamen defuturus Persio nõ sit hæres: quia etsi nullos affines & proximos habeat: sint tamen multi, qui quamlibet exiguam eius hæreditatem grato animo sint subituri, vbi eorum simplicitas apertè coarguitur, qui ne hæredibus destituantur suum miserè defraudant genium.

Amitis) Amita patris mei soror dicitur, quam Græci aliquando *δείων* aliàs *πθλω* nominant, vulgus Gallicum *Tantam*.

Patruelis) Patruelis ex duobus fratribus prognati dicuntur, quòd qui alteri sit pater, alteri sit patruus.

Nulla) Epanodos, id est regressio ad idem verbum (nulla) repetendum.

Matertera) Matertera soror matris meæ dicitur, quasi mater altera.

Auia) Metonymia tertij generis, auia pro auis stirpe vel consanguinitate & affinitate.

Bouillas) Synecdoche est speciei pro genere. Bouillas enim dixit pro villa aliqua rustica. Bouillè autem pauper vicus fuit Latij, Romæ

proximus

proximus, ad quem interfectus est à Milone Clodius (scribitur Asconius Pædianus) sic dictus à bouum multitudine, quasi bouum villa, vbi egentes multi stipem mendicabant.

Climumque virbi) Qui fuit in valle Aricina, sic dictus, quia vt ait Ouidius tertio Fastorum:

*Hic latet Hippolitus furijs discerptus equorum,
Vnde nemus nullis illud aditur equis.*

Dictus est autem Virbius, quòd cum fraude nouercæ suæ Phædræ ab equis paternis discerptus fuisset, ab Aesculapio sanatus, vel potius (vt fingunt Poetæ) à Diana iterum vitæ restitutus crederetur. Ouidius sexto Fastorum:

*Notus amor Phædræ, nota est iniuria Thesæi,
Deuouit natum credulus ille suum.
Non impunè pius iuuenis Troezena petebat,
Diuidit obstantes pectore taurus aquas:
Solliciti terrentur equi frustra que retenti,
Per scopulos dominum duraque saxa trabunt.*

Manius) Manij hæredis hoc loco de Aricino colle loquens meminuit (vt aiunt interpretes) quòd Manius quidam Aricinum lucum Dianæ consecrarit: vide Erasmus in prouerbio, Multi manij Ariciæ:

Progenies terræ) Proleptis est, qua tacitè obiectioni occurrit. Persius. Dixerit enim aliquis: At Manium hæredem scribere non potes, quia est terræ filius, & idcirco à familia tua alienus, qualem hæredem scribere, affines autem debita hæreditate orbare, leges non permittunt: cui resistit primùm Persius ex dissimilibus: etsi est terræ filius, non est tamen alienus. Antapodosis collatione parium confirmatur, quia & meus attauus fuit terræ filius, quòd confirmat ex definitione terræ filij.

Terræ filij dicuntur, quorum genus incertum est:

At Attai mei genus incertum est:

Attauus igitur meus fuit terræ filius.

Propositio deest, quæ varijs testimonijs & autoritatibus confirmatur apud Erasmus in prouerbio, Terræ filius.

Quere ex me) Assumptionis sententia hinc est. At attai mei genus incertum est, quæ testimonio quodam confirmatur: quia si me roges quis eius pater fuerit, ego planè me nescire respondeam.

Vnum) Anadiplosis.

Terræ est iam) Complexio syllogismi, quare attauus meus fuit terræ filius.

Et mihi ritu) Confectarium est ex proxima syllogismi complexione per dissimilitudinem: Quare cum attauus meus terræ fuerit filius, Manius non est à nostra familia alienus: sed est mihi tanquam maior

quidam auunculus, id est (vt Festus interpretatur) aui & auia meæ auunculus.

Qui prior) Apostrophe est ad hæredem, quem indignum hæreditate sua esse ostendit, quia sit Persio & ditior & annosior.

Cur me in) Allegoria est à stadio dromis, qui (vt ait Higinus) ex Promethei consuetudine currebant, lampadem iactantes, quam primus cursu fatigatus secundo tradebat, qui item defessus alteri, ac deinceps alius alij successione tradebat in manum, historię Prometheæ, quasi simulachrum repræsentantes, quemadmodum ferulam, qua cœlestem ignem exceperat, ne rursus extingueretur, perpetuo motu iactarit in terram deuolans. Cicero in vetere Rhetorico: Non enim quemadmodum in palestra, qui tædas ardentis accepit celerior est in eo cursu continuo, quàm ille qui tradidit: ita melior imperator nouus qui accipit exercitum, quàm ille qui decedit, propterea quòd defatigatus cursor dat integro facem: hic peritus imperator imperito tradit exercitum. hac igitur allegoria significat Persius, iniquum esse, hominem se ipso annosiorum & ditiorum sibi hæredem dari. Quemadmodum enim fatigatus cursor facem tradit integro valentique & celerius currenti: sic homines in hac vita currentibus similes, sua bona junioribus & egentioribus debent tradere. In hac enim hominum vita (vt ait Lucretius lib. 2.)

*Mutantur secla animantum,
Et quasi cursores vitæ lampada tradunt.*

*Sum tibi Mercurius, venio deus huc ego, vt ille
Pingitur anrennis? vni tu gaudere relicti?
Deest aliquid summa, minui mihi, sed tibi totum est.
Quicquid id est, vbi sit, fuge querere, quod mihi quondam
Legarat Staius, neu dicta reponere paterna.
Fœnoris accedat merces, hinc exime sumptus.
Quid reliquum est? reliquum? nunc nunc impensius vinge,
Vnge puer caules, mihi festa luce coquat
Vrtica, & fissa fumosum sinciput aure,
Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis
Cum morosa vago singultiet inguine vena,*

Patri-

*Patricie immetat vuluæ? mihi trama figure
Sic reliqua, ast illi tremat omento popa venter?*

Sum tibi Mercurius) Dialogismus est ad finem vsque Satyræ productus, in quo Persius cum hærede suo colloquitur, eumque ad eandem hæreditatem, quantulacunque futura sit, adhortatur. Argumentum est ex adiunctis, vbi syllogismus est huiusmodi:

Quæ gratuita hominibus eueniunt, grato animo sunt accipiendæ:

Bona Persij gratuita heredi aduentura sunt:

Ea igitur grato animo hæres adire debet.

Sum tibi) Assumptio syllogismi simili illustrata. At mea bona gratis ad te deuoluuntur, tanquam tibi deorum munere aliquo oblata. Mercurium enim luci deum credidit antiquitas: vnde *ἑμποροῦντος* & *κερδοῦντος* dictum esse antea monuimus, quin etiam lucra & thesauri, qui præter expectationem contingunt, *ἐρμεία* & *ἐρμεία* vocantur: quomodo in Sophistis Philostratus, Phurnutus in Mercurio affirmant, & Erasmus in proverbio Mercuriale. Quin & de inuentis thesauris participem Mercurium facere veteres soliti erant, cui idibus Maij rem diuinam faciebant (ait Macrobius) quia vt ait Martialis:

Maie Mercurium creastis idus.

Vt ille pingitur) De Mercurij imagine sic Galenus Pergamenus in sua oratione (si libellus est legitimus) Mercurium (inquit) vt orationis parentem & artium omnium authorem in aliam effigiem, quam fortunæ effinxerunt, tum pictores tum plastæ. Effingunt enim iuuenem formosum, non tamen fucatum aut comptum, sed naturali quadam virtutis specie, vultu hilari, acris oculis, in basi quadrata, quæ stabilitatis & firmitatis figura est. Lilius Gregorius in Mercurij synagmate scribit, vidisse se Mercurij imaginem in libro quodam antiquitatum hoc modo effictam: filo quidem erat corporis iuuenili, facie imberbi, cum alis supra aures, nudus verò totus, præterquam quòd pallium habere videbatur, dextra marsupium continebat, quod supra caput hirci iacebat. Sinistra verò caduceum præferbat: ad pedes illius hircus & gallus suberant. vide Macrobius & Artemidorum lib. 1. Onirocriticon.

Vni tu gaudere) Complexio syllogismi.

Deest) Verba sunt hæredis, Persij hæreditatem adire detestantis. Argumentum est ex adiunctis, quia sit aliqua ex parte imminuta. Minui mihi) Reprehenditur hæres à Persio ex dissimili: imminuta quid est mihi, at tibi est integra. Neque enim viui testatoris bona hæres esse, aut damno hæredis minui dici possunt, aut imminuta hæredi-

tas, quæ nondum erat hæreditas. hæreditatem enim appellamus id omne quod ad hæredem morte alicuius peruenit: quod si non dilapidauit, integram hæreditatem habet.

Quicquid id est) Aliud argumentum ad eandem quæstionem, quod hæres quantumuis exiguum debeat cupidè hæreditatem accipere: quia non debeant à testatoribus de alienis legatis & hæreditatibus rationem sibi reddi postulare:

Non dicta) Illustratio proximi argumenti ex dissimilibus: non quemadmodum pater à filio, sic filius à patre, aut hæres à testatore rationem accepti & expensi debet reposcere.

Paterna) Quibus uti solent patres in repetenda ratione rerum filijs creditarum, quæ metuens apud Virgilium Damocetas, ait:

*De grege non ausim quicquam deponere tecum,
Est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca,
Bisque die numerant ambo pecus alter & hædos.*

Vel quibus patres solent suos liberos ad cumulandas opes adhortari, quæ posterior explicatio magis conuenire mihi videtur, ut in proximo versu sit prosopopœia patris cuiusdam senis, filium suum ad comparandas opes & frugalitatem excitantis: vnde sunt ista apud Iuuenalem Satyra 14.

*Et pater ego animi felicitis credit auaros,
Qui mirantur opes qui nulla exempla beati
Pauperis esse putant, iuuenes hortantur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere sectæ.
Mox acquirendi docet insatiabile votum.*

Horatius Epist. 1. libri primi:

*Quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos, hæc lanus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt iuuenes cantata, senesq;
Leo suspensif loculos tabulamque lacerto.*

Fœnoris) Prosopopœia patris, &c.

Quid reliquum) Verba sunt hæredis, hæreditatem imminutam esse molestissimè ferentis.

Reliquum) Epanodos est, siue regressio ad idem verbum repetendum, quæ figura accommodata est exprimendis iratorum affectibus, qui sæpe solent postrema eius, quo cum irascuntur, dicta referre. sic apud Terentium Demea. Mitio: Quid is fecit? Demea: Quid ille fecerit?

Nunc nunc) Apostrophe est, qua Persius effrenata hæredis auaritia commotus ab eo sermonem auertit, & ad seruum dirigit, iubetq; multò quàm vnquam antea lautius & sumptuosius cœnam parare.

Vnge) Anadiplosis est, qualis paulò antè fuit: repetitio nempe eiusdem dictionis in eadem parte sententiæ, ut apud Virgilium:

Mea

Mea carmina Gallo,

Gallo cuius amor.

Caules) Synecdoche speciei pro genere. Caules enim dixit pro cibo crasso aliquo & pingui: vngi autem caules & olim solebant. Horatius:

*Vngere sic caules oleo meliore caputque
Cæperis,*

Mibi festa) Concludit Persius nihil esse, quod in vita quisquam genium suum defraudet, ut opulentiorum & ampliorum relinquat hæredibus hæreditatem; argumentum est ex fine, ne quod quisque magno labore parauerit, hæres ad voluptates & cupiditates turpissimè profundat. Locus autem totus Ironicus est, & per contrarium sensum explicandus & intelligendus. Iuuenal. Sat. 14.

Sed quò diuitias hæc per tormenta coactas?

Cùm furor haud dubius, cùm sit manifesta phrenesis,

Vt locuples moriaris egenti viuere fato?

Horatius Epistola 5. libro primo:

Parcus ob hæredis curam nimiumque seuerus,

Affidet insano.

Vrtica) Synecdoche hîc quoque est: vrticam enim pro vilissimo cibo dixit, speciem pro genere. Sic Horatius Epistola duodecima, libri primi:

Si forè in medio positorum, abstemius herbis

Viuis, & vrtica, &c.

Sinciput) Id est porcini capitis frustum aliquod, ut sit rursus synecdoche. nam vt ait Iuuenal. Satyra 11.

Sicci terga suis rara pendentia crate

Moris erat quondam festis seruare diebus,

Et natalitium cognatis ponere lardum,

Accedente noua si quam dabat hostia carne.

Fumosum) Ad fumum seruatum. Sic Horatius:

Fumose cum pede perna.

Fixa aure) Clauo ad caminum affixa.

Nepos) Nepos præter notam significationem, qua refertur ad auum, significat & dilapidatorem patrimonij, siue decoctorem: quod eiusmodi esse solebant nepotes ab auis molliùs educati: qui quemadmodum Nepa (vt ait Plinius libro vndecimo) deuorat suos foetus: sic illi relictas à parentibus & propinquis possessiones & hæreditates decoquant. Cicero pro Quintio: Quis tam perditus ac profusus nepos non aduersa iam sed abundantia pecunia sic dissolutus fuisset, vt fuit sextus Neuius.

Anseris extis) Synecdoche est, exta pro iecore anseris, quod apud veteres in cibis commendabatur Plin. libro 10. vt nostri sapientiores,

qui anseris iecoris bonitatem nouere fartitibus in magnam amplitudinem crescit, exectum que lacte mulso augetur, nec sine causa in quaestione est, quis primus tantum donum inuenerit, Scipio, an Metellus vir consularis, an M. Seius eadem ætate eques Romanus. Martialis libro decimotertio:

*Aspice quàm tumeat magno iecur anseris mains
Miratus dices hoc vego, creuit vbi?*

Horatius 2. Sermonum Satyra octaua:

Non sine farre

Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi.

Cum morosa) Turpissima & detestanda maximè nepotum obscenitas honestis & pudicis velatur verbis: id est, cum impurus ille nepos fractus libidine rem cum patritia habeat muliere. Hic autem turpes sunt metaphora.

Mibi trama) Repetitur idem argumentum mutatis verbis, eademque ironia exornatur.

Trama fig.) Id est Tramae figura. Est autem Trama (vt ait Seruius) filum quod intra stamen currit, quod panno consumpto, aut tela, aut ea re cuius est trama, postremum remanet: vnde tramae figuram dicuntur habere senes macilenti, consumpta & adesa senio carna, cum sola ligamenta, nerui, venæ, arteriæ, membranæ veluti tramae apparent. Est igitur metaphora à textorum operibus.

Popa venter) Crassus & obesus, id est quod ante dixit Satyra 1.

Pinguis aquaticulus propenso scsquipede extet.

*Vende animam lucro, mercare, atque excute solers
Omne latus mundi, ne sit prestantior alter,
Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.
Rem duplica: feci, iam triplex, iam mihi quarto.
Iam decies redit in rugam, depinge vbi sistam,
Inuentus Chrysispe tui finitor acerui.*

Vende animam) Verba sunt hæredis Persium ad augendam & amplificandam rem familiarem adhortantis. argumentum est ex fine, ne quis illo sit ditior.

Vende animam) Sic Satyra quinta:

*Verte aliquid, iura, sed Iuppiter audiet, heu, Deu!
Vare, regustatum digito te rebrare salinum
Contentus perages, si viuere cum Ioue tendis.*

Omne

Omne latus) Nam vt ait ille:

*Per mare, per terras currit mercator ad Indos,
Pauperiem fugiens.*

Cappadocas) Metonymia est adiuncti pro subiecto: & synecdoche, nec enim omnes Cappadoces serui fuere: inde tamen maxima seruorum multitudo Romam ducebatur. Vnde Horatius Epistola sexta libri primi:

Mancipijs locuples eget æris Cappadocum rex.

Rigida catasta) In eo loco vbi venales serui exponebantur. Martial.

*Inspexit molles pueros oculisq; comedit,
Non quos patritiæ prostituere case.*

Nec quos arcanae seruant tabulata catastæ.

Tibullus:

Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Dictus autem locus ille Catasta à verbo *καταστάνω*, quod est expono, quem locum auarum & barbarum Tibullus, Persius verò rigidum, metonymicòs appellant, quia ad illum serui barbarè, crudeliter, auarè, & rigidè tractabantur.

Feci) Respondet auaro hæredi Persius, neque rem sibi amplius duplicandam esse docet, sed potiùs cupiditati finem imponendum: argumentum est ex effectis, qui iam id fecerit, nec modò duplicauerit.

Depinge vbi) Concludit totam Satyram apostrophe ad Chrysispum, à quo terminandæ auaritiæ rationem sibi dari postulat ex paribus: Tu, ô Chrysispe, qui in Sorite & acruali argumentatione, quæ quasi in infinitum progredi videbatur, certos fines terminosq; constituiti, terminandi quæstus mei lucroque finem imponendi rationem mihi perscribe.

Chrysispe) Chrysispus, Solensis, Stoicus philosophus, Cleantis discipulus (vt ait Cicero in Lucullo) qui floruit Olympiade 143. hic tantum se scire dicebat, vt neminem in philosophia sibi parem esse diceret. vnde passim illud carmen de Chrysisppo iactatum est:

*Hic solus sapit, ast alij velut vmbra feruntur,
Et nisi Chrysisppus fuisset, porticus non esset.*

Quoniam in Dialecticis planè hebes & rudis fuit, vnde ignorantia Dialecticis Syllogismi ad dissoluendas captiones foritarum confinxerat modum quendam stationis, ultra quem progredi non liceret: quem ridet Cicero in Lucullo his verbis: At vitiosi sunt foritæ, frangite igitur eos si potestis, ne molesti sint: erunt enim, nisi caueatis: cautum est, inquit. Placet enim Chrysisppo, cum gradatim interrogetur, verbi gratia: tria pauca sint an né multa, aliquanto prius quam ad multa perueniat quiescere, id est quod ab ijs dicitur *ἡσυχάζειν*, per me vel stertas licet (inquit Carneades) non modo quiescas. Vnde dicitur finitor acerui Chrysisppus.

Accru) Metaphora est à rebus corporeis, vt lapidum, lignorum, quibus similes sunt Stoicorum argumentationes, in quibus per gradationem multa argumenta coaceruabantur & cumulabantur: quod genus argumentationis Cicero lubricum & periculosum vocat in Lucullo: propterea quod in ea gradationis continuatione non satis coherenter copulantur, ad cuius captiones dissoluendas Chrysi- pus stationes quasdam inuenerat, vt antè dictum est: vnde finitor acerui à Persio nominatur. De Soritis quatuor li- bros à Chrysiippo conscriptos re- fert Laertius.

Finis Satyrarum Persii.

INDEX

INDEX RERVM ET VER-
BORVM, QVAE IN HIS
Persij Satyris continentur.

A <i>Acus</i> quid 63	<i>Allium</i> pro deo cultum 75	<i>Aqua</i> non tollit delictum 75
<i>Ablutio</i> corpo- 206	<i>Amatores</i> vigilant 200	<i>Aquæ</i> aspersio 74
<i>vis</i> 74	<i>Amatores</i> famam negli- 199	<i>Arcadia</i> vbi 103
<i>Abstinentiæ</i> vtilitas 130	<i>gunt</i> 199	<i>Arcadia</i> vnde dicta 103
<i>Accedere</i> 16	<i>Ambages</i> 107	<i>Arcadia</i> asinis abundans 103
<i>Accius</i> poeta durior 43	<i>Ambitiosorū</i> miseria 212	<i>Arcefilas</i> quis 128
<i>Accij</i> annales 43	<i>Amicorum</i> vna anima 164	<i>Aretina</i> vasa 63
<i>Acerra</i> quid 68	<i>Amita</i> quid 224	<i>Arionis</i> fabula 50
<i>Acer</i> un in pectore, pro- 182	<i>Amomum</i> 136	<i>Aristophanes</i> poeta 62
<i>uerb.</i> 182	<i>Amoris</i> incommoda 199	<i>Aristonis</i> dictum 129
<i>Adolescentiæ</i> libido 94	<i>Anaximenes</i> horologio- 102	<i>Arista</i> vnde 138
<i>Ad vnguem</i> 38	<i>rum</i> inuentor 102	<i>Artocrea</i> quid 223
<i>Adulatoris</i> descriptio 39	<i>Angues</i> picti 58	<i>Aruncus</i> deus quis 200
<i>Adulatores</i> quomodo no- 38	<i>animus</i> quomodo cogno- 156	<i>Arundo</i> nodosa 105
<i>secundi</i> 38	<i>scendus</i> 156	<i>Asini</i> in arcadia 104
<i>Ædiles</i> qui 63	<i>Animum</i> vincere oportet 168	<i>Asini</i> auriculæ 37
<i>Ægeum</i> mare 195	<i>Animi</i> partes duæ 168	<i>Assiduus</i> quid 101
<i>Ægroti</i> color 134	<i>Animus</i> in pcordijs 164	<i>Assentatores</i> 34
<i>Aer</i> serenus 16	<i>Animi</i> morbus 137	<i>Astra</i> regunt homines 170
<i>Æs</i> saturnium quid 93	<i>Annales</i> Accij 43	<i>Athamas</i> quis 185
<i>Abstiner</i> e a fabis prouer. 138	<i>Anseris</i> iecur 230	<i>Atheniensium</i> sacrificia 94
<i>Albati</i> qui 84	<i>Antiopea</i> 44	<i>Atlas</i> mons 33
<i>Album</i> calculum addere 65	<i>Antitheta</i> 46	<i>Atreus</i> 161
<i>Alba</i> pro honestis 57	<i>Anticyra</i> 146	<i>Atropos</i> 170
<i>Albus</i> lapillus 65	<i>Antipater</i> 146	<i>Alys</i> Berecynthius cur 49
<i>Albus</i> color dijs gratus 83	<i>Apenninus</i> mons vnde 31	<i>Alys</i> fabula 49
<i>Albula</i> fluuius 74	<i>Aper</i> rancidus 26	<i>Auaritia</i> scelerum mater 137
<i>Alcibiades</i> quis 140	<i>Apollinis</i> templum 10	<i>Auerruncare</i> 200
<i>Alcibiades</i> Eupolid. in- 62	<i>Apollinis</i> templum quis 10	<i>Auerruncus</i> deus quis 200
<i>refecit</i> 62	<i>construxit</i> 10	<i>Aues</i> querere puerb. 120
<i>Alcibiades</i> formosus 145	<i>Apostrope</i> 17	
<i>Alcibiadis</i> cum Socrate 143	<i>Appulia</i> 37	
<i>disputatio</i> 143	<i>Appuliæ</i> lana 96	
<i>Alcæ</i> ludus sordidus 174	<i>Aqualiculus</i> 35	
<i>Ally</i> vis 206		

I N D E X.

<i>Augustus à cornu salutatus</i>	13	<i>Bilis morborum causa</i>	73	<i>Calculis suffragia feruntur</i>	65
<i>Augustus Musis templi posuit</i>	10	<i>Bilis pueris infesta</i>	94	<i>Calligulae crudelitas</i>	223
<i>Auriculae asini</i>	60	<i>Binarius sacer</i>	75	<i>triumphus</i>	ibid.
<i>Lurum ouatum</i>	90	<i>Bovae immolare nefas</i>	85	<i>Catenam trahere prouer.</i>	198
<i>Auster ventus noxius</i>	213	<i>Bovae hostia</i>	ibid.	<i>Callirhoe quid</i>	64
		<i>Bouille vicus</i>	224	<i>Caluus poeta</i>	34
		<i>Brissens</i>	43	<i>Cameli vbi</i>	193
		<i>Brissens Bacchus vnde</i>	43	<i>Camelorum descriptio</i>	193
				<i>Camelorum natura</i>	193
<i>Bacca quid</i>	96	<i>Britanni supplantat</i>	27	<i>Campus martius</i>	174
<i>Bacchus Bassareus</i>	54	<i>Brizo dea somniorum</i>	91	<i>Canabis quid</i>	195
<i>Bacchus Brissens vnde</i>	143	<i>Bruma</i>	208	<i>Candidati qui</i>	202
<i>Bacchus Iantinus cur</i>	26	<i>Brutia saxa vbi</i>	218	<i>Canes seruant domum</i>	166
<i>Bacchus hedera coronatur</i>	9	<i>Brutus stultitia simulatur cur</i>	18	<i>Canicula ortus</i>	102
<i>Bacchi currus lyncib. uehebatur</i>	51	<i>Brutus libertatis vindex</i>	182	<i>Canicula insana cur</i>	ib.
<i>Bacchi statuæ</i>	43	<i>Bruti moneta</i>	181	<i>Canis in testis</i>	116
<i>Bacchi virtus in gigante machia</i>	54	<i>Bulla quid & vnde</i>	164	<i>Canicula procyon</i>	102
<i>Baltens</i>	153		166	<i>Cappadoces qui</i>	187
<i>Barba quid pollicetur</i>	138	<i>Bulla quibus appendebatur</i>	166	<i>Caprificus</i>	23
<i>Barba viri est</i>	127	<i>Bulla laribus</i>	97	<i>Carminum virtus</i>	208
<i>Barba philosophi</i>	138	<i>Bullare</i>	71	<i>Carmina antiquissima</i>	208
<i>Barbam vellere prouerb.</i>	79			<i>Carmina lasciuia</i>	21
<i>Basilicum herba</i>	148			<i>Carmina dijs grata</i>	209
<i>Bassaris vestis</i>	54			<i>Carnedes Helleboro purgatur</i>	32
<i>Bassarides</i>	ibidem			<i>Cassia vnde & vbi</i>	95
<i>Bathylus</i>	191			<i>Casseres rodere prouerbiu.</i>	200
<i>Baucis annus</i>	148			<i>Castor & Pollux qui</i>	171
<i>Beata ciuitas quæ</i>	137			<i>Castoreum vnguentum</i>	192
<i>Berecynthia Cybele</i>	49			<i>Castorem quibus iurare liceat</i>	35
<i>Berecynthius Atys</i>	49			<i>Castoris venatio</i>	192
<i>Beuerissum quid</i>	193			<i>Castores qui</i>	192
<i>Bidental quid & vnde</i>	78			<i>Catasta vbi</i>	231
<i>Bidental quomodo instituitur</i>	ibidem			<i>Catonem quid penituit</i>	177
<i>Bidentes hostiæ</i>	ib.			<i>Causarum cognitio</i>	122
<i>Bilis vitrea cur</i>	94			<i>Cedi-</i>	

I N D E X.

<i>Cedimus & cedimus pro verb.</i>	153	<i>Columbae aues Veneris</i>	106	<i>fossam</i>	72
<i>Cedrinum oleum</i>	28	<i>Collegium figulorum</i>	93	<i>Declamandi ratio & tempus</i>	115
<i>Cedrus quid</i>	28	<i>Comes quid</i>	ibid.	<i>Decoquere</i>	174
<i>Cerealib. vestis alba gest.</i>	202	<i>Commutatio mercium</i>	173	<i>Deliberandi de genere vite difficultas</i>	167
<i>Censor quis</i>	109	<i>Compitalia festa</i>	151	<i>Delphini humanitas</i>	50
<i>Centuriones qui</i>	127	<i>Coniugium non optandū</i>	83	<i>Delumbare</i>	55
<i>Cherestratus adolescens</i>	199	<i>Concha hemicyclea</i>	102	<i>Demosthenes notatus ab anicula</i>	24
<i>Cespes quid</i>	219	<i>Contenti diuites</i>	187	<i>videnti patrocinium denegat</i>	48
<i>Cantibus quid</i>	177	<i>Cornicari quid</i>	162	<i>Demostri vngues</i>	56
<i>Charta vbi reperta</i>	105	<i>Cornices</i>	ib.	<i>de pulmone reuellerè pro verb.</i>	183
<i>χάρτις</i>	11	<i>Cornutus Stoicus</i>	164	<i>Deus muneribus non capitur</i>	62. 94
<i>Chrysippus philosophus</i>	231	<i>Corymbus quid</i>	54	<i>Deus sanguine non placatur</i>	98
<i>Chiragra lapidosa cur</i>	174	<i>Cor sedes mentis</i>	211	<i>Dictata</i>	24
<i>Chriseis meretrix</i>	200	<i>Coruus Augustum salutat</i>	13	<i>Digitus infamis</i>	80
<i>Cybele deorum mater</i>	90	<i>Corui et picæ qui</i>	ibid.	<i>Digitum monstrari</i>	23
<i>Cybele deorum mater</i>	90	<i>Cossius orator</i>	20	<i>Dijs iratis</i>	150
<i>Cybele deorum mater</i>	90	<i>Cotyla quid</i>	63	<i>Dijs propitijs</i>	151
<i>Ciborium copia nocet</i>	118	<i>Coum vinum</i>	193	<i>Dij fratres</i>	90
<i>Ciceronis error</i>	81	<i>Crasus diues</i>	82	<i>Dij tardi ad penam</i>	77
<i>Cicuta quid</i>	140	<i>Craterus medicus</i>	121	<i>78</i>	
<i>Cincinnatus ab aratro vocatus</i>	41	<i>Cratinus poeta audax</i>	61	<i>Dij depellentes qui</i>	161
<i>Cincinnatus dictator</i>	41	<i>Cronia festa</i>	43	<i>Dij quando in poemate implorandi</i>	161
<i>Cincinnatus vnde Seranus</i>	41	<i>Cuminum herba pallens cur</i>	173	<i>Dionysius Tyrannus</i>	114
<i>Cincinnati vxor</i>	ibid.	<i>Cupidi liberi non sunt</i>	192	<i>Diogenis cippus</i>	27
<i>Cippus quid</i>	27	<i>Cupidi serui</i>	197. 201	<i>Diogenes canis</i>	63
<i>Cirrati pueri</i>	24	<i>Cures oppidum</i>	150	<i>Dirce Solis filia</i>	44
<i>Cirrhus</i>	ibid.	<i>Curia corpus minuit</i>	151	<i>Discendum vbi</i>	24
<i>Citreæ tabellæ</i>	32	<i>Cisticulam curare</i>	147	<i>Diues quis</i>	150
<i>Citreæ mensæ</i>	33	<i>Cybele Berecynthia</i>	49	<i>Diuitiæ vtilis</i>	124
<i>Citrus arbor</i>	ibid.	<i>Cynici philosophi</i>	63	<i>Diuitiarum modus</i>	124
<i>Citri æstimatio</i>	32			<i>Domare</i>	101
<i>Claudere orationem</i>	49			<i>Domini animi & corporis</i>	192
<i>Cleantes opeatoris cur</i>	175			<i>Dolosus nummus cur</i>	12
<i>Cleantes philosophus</i>	175				

I N D E X.

Pilam reddere prouerb.	Poetae Graeci qui optimi	Propinqui chari	125
153	42	Prosperare proprium for-	
Pileus nobilium	Poetae laudis ambitiosus	tuna	87
Pileati serui	34	Prudentia cum etate	
Pileata Bruti statua	Poetarum vanitas	crefcit	143
180	Poetarum auctoritas	Prudentiae ciuili partes	
Pileus nobilitatis index	Poema inflatum	142	
180 & 181	Paematis virtus	Prudentis factum	190
Piper rugosum cur	Poeticae artis studium	Psittaci descriptio	11
Pisanae caporticus	3132	Psittaci heros salutatur	11
Piuuita unde	Poetae solitudinem quaerunt	Pueri muneribus ad studium alliciendi	168
Pyrausta quid	107	20	
Pyraustae interitus prouer.	Poetarum oratio anti-	Pueri iracundi	104
uer.	quisima	Pueri laudandi	115
107	209	Puerorum animi flexi-	
Pyrene fons	Poetarum imagines	biles	168
Pyrene cur pallida	8	Puerorum lustratio	80
Pyrene ubi	Polycrates	Pulmo sedes fastus	183
Pythagoras Samius	Polydamas quis	Puteal quid & ubi	155
119	Pontifices qui & unde		
Pythagorae de albo sententia	97		
65	Populus bellua		
Pythagoreum silentium	Populi iudicium contemnendum		
142	17		
Pythagorae litera	Porfene frugalitas	Quam quisque norit ar-	
Pythagorae litera quid significat	Porta urbiu	tem	184
Pythagorae mensa	Praeceptores & magistri	Quincunx quid	196
Pythagorae mensa	175	Quirinus Romulus	136
Pythagorae mensa	Præcordia	Quirinus trabeatus	109
Pythagorae mensa	164	Quirites unde	136
Pythagorae mensa	Prætexta quid & unde		
Pythagorae mensa	165		
Pythagorae mensa	Prætexta quis primum usus		
Pythagorae mensa	165		
Pythagorae mensa	Prænomine nobilitatis index	Ramale quid	52
Pythagorae mensa	80	Rancidus quid	26
Pythagorae mensa	112	Rancidus aper quis	26
Pythine fabula	Primipili qui	Rancilia Cincinnati vxor	41
Plasma quid	127	Rationis sedes	190
Plastice ars	Princeps sapiens	Recutitus quis	203
Platanus genialis	137	Recitandi cupiditas	32
Plutens quid	Principes poetica delectantur	Regula quid	168
Pluto cur summanus	32	Remuria festa	204
Poeta recitaturus	Principi necessaria	Resignare quid	165
Poetae fabulosi ridiculi	3352	Rhombus quid	216
161	Procrastinandum non est	Ridendi modus	133
Poetae gloriae cupidi	176		
28	Procyon canicula		
	Prognos fabula		
	Propertij patria		
	126		

Romano

I N D E X.

Romanorum luxuriosus	96	Satyricus monitor	14	Socratis dictum	168
Romani Satyrae auctor.		Scalpere quid	21	Socratis accusatores	139
59		Sclopus quid	162	Socratis accusatio	139
Romani togati	162	Seducere quid	67	Solario usi Romani	102
Romani unde	41	Senio quid	116	Solon quis	128
Romae mania quando signata	41	Sepia quid	106	Solonis edictum	72
Romulus sobrius	25	Sepulchra pretiosa	71	Somnia unde	91
Rubrica quid	38 & 82	Sera penitentia prouer.	89	Somniorum deus	91
Ruris descriptio	28	89		Somniorum dea	91
		Seria quid	72	Somnia diuina	91
		Seriola	151	Somnia nocturna	76
		Sermones qui mensam decent	170	Somnia fallacia	91
Sabbatum quid	203	Serranus quis	41	Somnia polluant	76
Sabini populi	208	Sesqui quid	35	Somnia quando falsa	92
Sacerdotes Isidis	205	Serui praenomen non habent	178	Somnia quando vera	12
Sacrificij partes	68	Serui quomodo vertebatur	180	Somniorum sedes	91
Sacrum templi proprium	10	Sextarius quid	63	Somniorum porta	92
Seueritas in principe	144	Si optantis	17	Somnium Ennii	7
Saleus Bassus quis	208	Sicci quid	199	Somnium Hesiodi	6
Salem lingere prouerb.	194	Signum lagenarum	214	Somnus irrigat	173
Salinum quid	108	Siletium Pythagoreum	142	Staius quis	77
Salina hominis	80	142		Stemma quid	109
Salina mulieris	80	Silicernium	219	Stoici qui & unde	117
Salina lustralis	80	Similitudo mater amoris	169	Stoici acuti	181
Sambuca quid	184	Simpuua	92	Stratonici Citarædi dictum	184
Sambucam caloni prou.	184	Siria deae simulachrum	581	Strigiles quid	192
Sanna quid	37	Sistrum quid	205	Stulti factum	190
Sannio quid	37	Sivire pro continere	133	Suber quid	52
Sardonix quid & unde	20	Socrates philosophiae parens	134	Subsellia quorum	45
Sarpeda quid	192	134		Suburra quid	166
Sartago quid	44	Socrates deus	141	Sumen	34
Saturnus planeta	171	Socrates barbarus	138	Summa quid	147
Saturnus malignus	171	Socrates Alcibiadis magister	139	Summa boni	147
Saturnia urbs unde	36	Socratis mores	139	Summanus Pluto cur	28
Satyra Romana est	59	Socratis statua	140	Superstitiosi serui	190
Satyrae subiectum	162			Supplantare	27

H

I N D E X.

Sufurrus quid	71	Timor frigidus	138	Veneris puppæ	97
Spes	13	Tyrannus timidus	114	Veneris signum salutare	
Spei templum ubi	13	Tyranni supplicia	114		171
Spes in pueris	81	Tyrānidis descriptio	112	Venter ingenij largitor	
Spes præmij	13	Titi qui Romæ	21		98
	F	Toga quid	162	Ventris sedes	12
Tabella citreæ	33	Tolle digitum prouerb.		Ventidius diues	150
Tabula naufragij	33		190	Ventidij descriptio	215
Taciturnitas	141	Tori quid	130	Venus in Thefferis	116
Talorum ludus	116	Trabea nobilitatis	109	Veratrum quid	33
Tantalus filius Thiestis		Trabeatus Remulus		Veratrum ubi	32
	161		109	Verpus quid	80
Tarentina lana	96	Tragœdia quid	159	Verna	148
Tarquinius Priscus prætextam primus dedit		Tragœdiæ subiecta	159	Vestis alba in sacris	83
	160	Trama quid	231	Vestis pura quæ	74
Tecum habita	156	Transstra quid	195	Vestalis urna	93
Tectorium	165	Tremor mortis index		Viatores	42
Temon quid	177		135	Viaticum quid	176
Templum sacrum	10	Triens quid	135	Vindicta quid & unde	
Templa unde	72	Tristis litera	145		182
Templa Germanorum		Trochi ludus	117	Vindicius seruus	182
	40	Troiades	16	Virgilius notatus	51
Templum Apollinis	10	Trossuli qui	44	Vinum falernum	101
Templum musarum	10	Tuba potentiorum	135	Virtus perse expetenda	31
Tempora labuntur	177	Tumulus quid	28	Vita breuis	123
Terebrare quid	194	Turdus quid	217	Vitia virtuti proxima	18
Terræ filius prouerb.	225	Turris mæcenatica	16	Viuere quid	197
Tetricus mons	208	Tbus	69. & 29	Vlmus quid	103
Ternarius sacer	75	Tbus ubi nascitur	193	Vmbo quid & unde	167
Tessera quid	116. et 179	Tbusci ubi populi	109	Vmbri populi & unde	
Thelamum	42	Tutor quis	134		126
Theophrasti querela	123	Thynnus piscis	203	Vmbri pingues	126
Therei metamorphosis			V	Vnguenta seruatur oleo	
	161	Vasri unde	48		96
Thesauri in sepulchris		Vanitas poetarum	14	Vota stulta	83
	71	Vappa quid	179	Vocis lenocinium	21
Θnigrum cur	145	Varices quid	206	Vrnæ Vestales	93
Thiestis tragœdia	161	Veientanum vinum	195	Vulgi inconstantia	212
Tiberis fluiuis unde	74	Velina tribus	178	Vulpecula fraus	189
Tibia popularium	135	Venæ pro arterijs	137	Vulpenius	206
		Venæ	96		

F I N I S.

I N D E X.

Membrane descriptio		Ocymum	102	Pituita	87
73.74		Offa	109	Piper	87
Mephites	91.92	Oleum & impensa prouerb.	26	Plasma	13
Mergi pisces	159	Omentum	62.196	Pluteum	39
Mercurius Mercarialis		Orbus	58	Poetæ quibus herbis con-	
63.135.136		Orestis infania	94	ronabantur	4
Messe tenuis propria:		Otus aus	26	Poetriæ feminae	5
prouerb.	768	Onum ruptum	151	Polenta	83
Midas	45		P	Polydamas	8.10.11
Monstrari digito	16	Pacruinus	32	Potiffices unde dicti	70
Muria	156	Paganus uide dictus	4	Popa	196
Murmur	54	Palilia festa	30.131	Portus lunæ amplitudo	
Muse dulces	3	Palingenesia pythagorica	155	153.154	
Mutire	45	Palitia festa	34	Postica sanna	21.128
Mycene	III	Pallere ad studia	1.4	Posticum quid	26
		Pallor in lumine	48	Postuorta Dea	27
	N	Palpus, palpa	147.149	Predium optimum	30
Naso suspendere	43.44	Pannucia	101.102	Præcordia	45
Natalis dies	52	Pappare	75	Prandia tenis luxuriosiora	
Natta	80	Parnassus mons	3.6	stora	27
Necessitas magistra	6	Patella	77	Proceres latine, heroes	
Nefas	43.44	Patrare	13	græce	52
Nefasti dies	49	Patres conscripti	27	Psitacus	2.4.6
Nerio verbū Sabinum	55	Patricij qui	26.27	Prætecta	113.115
		Patridæ	2	Pubes	19
Neronis saculum vitij		Patruus	9.11.	Pulmo tardiores & velociores	
marcescebat	3	Pedius senex	34	reddit pro sua	
Nihil de nihilo	89	Pegaseium melos	5	magnitudine & par-	
Nomisma	2	Pegasus unde natus	3	uitate	14
vbi primū signatum	5	Pernæ	86.87	Pulpa quid	66.67
Nonaria meretrix	9.50	Pero, peronatus	132	Pulmentum	92
Norma	28	Petulans	47	Pupillus	54
Nuces spargere	9.10.11	Pexus	14	Purpura	113.115
Numeros scribere	12	Phydon	5	Puteal	106
Numerus & pes idem	3	Philosophorum sectæ	51		
	O	Phyllis	20	Quadrans	92
Obba	142	Pica	246	Quincunx	92.142
Occare	157	Pilea	126	Quiritès	92.93.100
Occiput	26.27	Pinsere	27	124	
Oculi urentes	59				

);(2


I N D E X.

R		<i>Sinister</i>	103	<i>Triens</i>	91.92
<i>R litera</i>	40.41	<i>Sistrum</i>	151	<i>Triste</i>	9
<i>Ramale</i>	36	<i>Situla unde</i>	90	<i>Troades</i>	8.10.11
<i>Reges qui dicti</i>	27	<i>Sol. recens.</i>	119	<i>Tuceta</i>	64
<i>Remona locus</i>	31	<i>Somniare.</i>	3	<i>Turbo</i>	125
<i>Remunia</i>	ibid.	<i>Spes macra.</i>	59	<i>Turpe.</i>	8
<i>Rhenones</i>	191	<i>Staius iniquus praetor.</i>			
<i>Rombi.</i>	157	56.		<i>Vaser</i>	43.44
<i>Romulinus ager.</i>	31	<i>Stoici unde dicti.</i>	82	<i>Vapidus</i>	126.137
<i>Rosas loqui prou.</i>	21	<i>Stuppa.</i>	140	<i>Varicosus.</i>	151
<i>Rus saturum.</i>	29	<i>Stylus heroicus à satyri-</i>		<i>Varus.</i>	100
		<i>co quid distet.</i>	38	<i>Velina tribus.</i>	125.17
<i>S</i>		<i>Subsellia.</i>	32.33	<i>Vena cornea.</i>	21.23
<i>Salina pro lascivia.</i>	39	<i>Suburra.</i>	114.116	<i>Veratrum</i>	23.24
<i>Sambuca.</i>	130.132	<i>Sulphur sacrum.</i>	56	<i>Verruca.</i>	36
<i>Sanna</i>	25.27	<i>Sumen.</i>	22	<i>Vesta.</i>	67
<i>Saperda</i>	140	<i>Sumen optimum.</i>	24	<i>Veteres auie.</i>	119
<i>Sardonyche.</i>	13.14.15	<i>Superstitiosi.</i>	61	<i>Vetulum.</i>	17
<i>Sartago.</i>	32.33	<i>Surrentum.</i>	91	<i>Vibex.</i>	106
<i>Satyrus utilior liade.</i>	43			<i>Vindicta.</i>	129
45.		<i>T</i>		<i>Vmbri.</i>	87
<i>Scabies.</i>	54.55	<i>Terra filij.</i>	194	<i>Vngues.</i>	39
<i>Siloppus</i>	100	<i>Testiculi pro virilitate.</i>		<i>Vnio quando sic vocata.</i>	
<i>Scripta cedro & scom-</i>		39		69	
<i>bris digna</i>	19.20.21	<i>Toga togati.</i>	110		
<i>Scutica</i>	140	<i>Trabe</i>	158		
<i>Semifis</i>	92	<i>Trabea</i>	77.78		
<i>Senarius numerus</i>	82	<i>Tragedia.</i>	28		
<i>Senium</i>	17	<i>Trama.</i>	196	<i>Zeno Citeus.</i>	33
<i>Sepia</i>	75	<i>Trepidare.</i>	13.14		
<i>Septuinx</i>	92	<i>Tribus Romana.</i>	125		

F I N I S.

I N D E X V O C A B V L O.

rum & rerum in hoc libro.

	<i>Bacus.</i>	47.	<i>Aretium ubi situm</i>	47.	<i>Cachinnus</i>	91
	49		49		<i>Cagna Italica.</i>	25
	<i>Accij la =</i>		<i>Aricinia</i>	194	<i>Callirhoe.</i>	50
	<i>beonis scri</i>		<i>Ariste.</i>	94	<i>Calo.</i>	133
	<i>pta.</i>	24	<i>As</i>	92	<i>Candela in funere unde</i>	
	<i>Acerra pro sacrificio</i>	51	<i>Asini arcades</i>	73	<i>fluxerint.</i>	92
	52.		<i>Astuta vulpes</i>	136	<i>Candidus</i>	41.52.53
	<i>Aeneus taurus phalaris</i>		<i>Athys</i>	36	<i>Canicies.</i>	10
	<i>dis</i>	80	<i>Aues quae humanam vo-</i>		<i>Cannabis.</i>	143
	<i>Aera saturnia</i>	66	<i>cem. reddere possunt.</i>		<i>Caprificus.</i>	14
	<i>Aeratum aurum.</i>	133	4.		<i>Carminis heroici inuen-</i>	
	<i>Aediles.</i>	49	<i>Aurei montes.</i>	85	<i>tor</i>	153
	<i>Aeneidos Virgilij principium</i>	36	<i>Auricula alienae</i>	16	<i>Cassia.</i>	69
	<i>Affectatores.</i>	33	<i>Auricula Asinae.</i>	45	<i>Cassis</i>	143
	<i>Agaso.</i>	125	<i>Axis.</i>	123	<i>Castigare.</i>	9
	<i>Albares.</i>	41			<i>Castor & pollux.</i>	66
	<i>Amphipolis ancilla unde</i>		B		<i>Catasta.</i>	197
	144.		<i>Baccha.</i>	36	<i>Caudam iactare.</i>	99
	<i>Angues pingere.</i>	41	<i>Bacchus Bassereus.</i>	6	<i>Cedro digna.</i>	21
	<i>Anima unde dicta.</i>	13	<i>Euius.</i>	36	<i>Celeres.</i>	33
	<i>Animus aeternus.</i>	72	<i>Barba pro philosopho</i>	42	<i>Censores.</i>	77.78
	<i>Anteuorta Dea.</i>	27	<i>Barba stolidi.</i>	56	<i>Cerdo.</i>	106
	<i>Antiopa.</i>	32	<i>Batyllus Satyrus.</i>	137	<i>Charta quando inuenta</i>	
	<i>Anticyra pro insania</i>	22	<i>Baucis.</i>	101.102	74	
	99.		<i>Bellerophon.</i>	4	<i>Chlamides.</i>	192
	<i>Apella Iudaeus</i>	149	<i>Berecintbia.</i>	36	<i>Cippus.</i>	19.20
	<i>Aplorica unde sic dicta.</i>		<i>Bes.</i>	92	<i>Citrus arbor.</i>	24
	148.		<i>Bidental.</i>	57.58	<i>Clodius accusat maechos.</i>	
	<i>Apollinis templum Ro-</i>		<i>Pouille.</i>	193	74	
	<i>mae.</i>	6	<i>Bubo.</i>	25	<i>Cena feralis.</i>	160
	<i>Apricus</i>	148	<i>Bufones.</i>	25	<i>Calor luteus.</i>	91
	<i>Apulia olim Messapia</i>		<i>Bulla bullatus.</i>	113.113.	<i>Compta.</i>	104
	27.		115.116.		<i>Congius.</i>	124
	<i>Aquaticulus.</i>	23.24			<i>Comedia antiqua</i>	46
	<i>Arcefilas.</i>	88			48	
	<i>Archilochium</i>	5	C		<i>Corbes & corbule.</i>	30
			<i>Caballinus fons.</i>	3	<i>Coryidae Muse.</i>	4

);(

I N D E X.

Corycium Musarum an- trum 3	Fenus 195	Labeo 8.10
Crapulofus citius mori vo- lit quā abstinere 90	Fenificæ 191.192	Lacerna 28
Cras aesternum 122	Ferculum unde 63	Læna 19
Crassus 59.60.61	Feronia 127	Lambere 1
Cratinus 48	Eestuca 146	Lanæ Tarentinæ 69
Crepidæ 48	Fiber ponticus seu castor 140	Lapidoſa Chyragra 12
Cretatus 148	Fibræ 23.62	Lapillus melior 52
Crudi ſcriptores 24	Fidelia 77.86	Lemures 151
Cuminum 121	Floralia 148.150	Libertas quid 129
Curulis 49	Florum colores 19	Libethrides Muſæ 4
Cute perditus 17	Focus 30	Libethrum ſpecu ibid.
Cyrrati pueri 18	Fratres abeni 65	Licinius Stolo 60
D	Fulminata expiabantur 58	Liſtor unde dictus 31.
Decoctor 140	G	146.
Decoſtius 84	Galli grandes 151	Limina 41
Demofthenes cur vebe- mens orator 14	Genius 50.143	Limus 104
Denaio 2	Genuinum frangere 46	Linguae exertio 25.136
Dens 42.48	Græcari 29	Lippi 33
Dentalia 30.31	H	Litare 137
Deunx 92.142	Hebenus 139	Ludi talorum 84
Dextans 92	Helicon mons 4	Lumbus 15
Diana virbi 194	Helleborum bibere pro- uerb. 24	Lufcus 48
Dies faſti, nefafii 49	Helleborus latinè vera- trum 23.85	Lynx 37
Digitus infamis 59.61	Hercule iuramentum 8	M
Do, verbum prætoris 50	io	Macrinus vir ſanctus 51
Dodrans 902	Hircus. Hircofi 88	Mæna piſcis 86.87
E	I	Meonides 155
Ebullire 53.55	lacti ad ungues unde di- catur 26.28	Magnanimus 157
Edera ſequax 24	Ianus biceps 27	Maieſtas 98
Eſſeda 192	Deus Deorum ibid.	Manes 20
Examen 8.10.12	Ingenium 96	Manumifſio & manu- mittendi conſuetudo 93.126.147.
Excutare 23	Ingenuus 110	Mare Lyguſticum 154
Exhaurire 3	Iouem tonare 56	Margaritæ 69
Exoſſatus ager 193	Iudei recutiti 150	Mafurius 127.128
F	Inglades 10	Melicerta 132
Facies ſacræ 65	Iunices 63	Melas 3
Falerna vina 72		Membras
Fauilla 19		